This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

EX
LHW
REV

EY
LHW
QE46



EY
LHW
QEw6

Huber, Ulricus, 1636-1694

ULRICI HUBERI,

Supremæ Frisiorum Curiæ Ex-Senatoris,

POSITIONES JURIS,

SECUNDUM

INSTITUTIONES & PANDECTAS,

Ad primordia disciplinæ usumque seculi adtemperatæ.

EDITIO SEXTA,

Multis locis aucta, emendata & recognita

A

ZACHARIA HUBER, Ulr. Fil.

AMSTELÆDAMI,

Apud FRANCISCUM L'HONORÉ,

MDCCXXXIII.

NOBILIBUS & POTENTIBUS *DOMINIS*, SUPREMÆ FRISIORUM CURIÆ SENATORIBUS, ULRICUS HUBER S. D.

TAmetsi, quod in his pellibus offero, *Nobiles atque Potentes Domini*, non videatur ita comparatum, ut foro Curiæque tam illustri conveniat, religione tamen, nescio quâ, teneri videbar, omnium ingenii diligentiæque meæ primum fructum vobis consecrandi. Uti, quàm primum daretur facultas, publicum animi mei observantiæque erga Collegium singulosque vestrûm extaret testimonium. Ita enim benignitas & humanitas, qua triennio proximo me habuistis, exigere videbatur. Eadem facilitas vestra spem mihi facit, non fore, ut hoc opusculum dignitati vestræ meæque, dum vobiscum egi, indecorum judicetis. Nam etsi in usum Academicæ institutionis paratum sit, ut apparet,

paret, ejusmodi tamen rerum notitias continet, quibus bene valideque instructi etiam ad patrocinandum judicandumque brevi exercitatione se promptos habilesque demonstrare possint. Quod ut fidentius adfirmem facit experientia novissimi temporis, quo plane ita comperi, forensis disciplinæ fundamentum esse, Juris universi compendiariam, sed expromptam memoriam. Huc pertinent libri positionum, quos hoc exhibeo, non tam repetiti, quam noviter, dum in foro versatus sum, horis subcisivis compositi, & ad usum seculi, quantum in illâ brevitate fieri potuit, adtemperati. Insertæ quoque sunt passim stricturæ observationum, è quibus momenta rerum judicandarum pendere, in ipsa fori tritura animadvertere mihi licuit. Prorsus enim id operam mihi dandam intellexi, quo studiosi Academicam institutionem ita perciperent, ut, vetustatibus Artis minime neglectis, pariter ad forensis prudentiæ facultatem pararentur. Quod si hoc levidense munus facile benevoleque acceperitis, animum addetis, *Domini*, quo majore studio adornem commentationes, quarum animo calamoque

cœpi

cœpi ducere lineamenta, quibus effigies rerum non infrugiferarum, si Deus vitam otiumque largietur, includi possint. Ille, Juris Justitiæque summus auctor & stator Vos, *Nobiles ac Potentes Domini*, in ornamentum præsidiumque Patriæ diu servet incolumes. Scripsi Franekeræ, Eidibus Septembr. CIↃIↃCLXXXII.

DE instituto harum Positionum copiose diximus in Auspiciis *nostris*, oratione secundâ, quartâ, nonâ, *quæ heic non repetemus. Unum, quod ibi intactum reliqui, heic monendum putavi. In fronte libri diximus, has positiones ad* primordia disciplinæ usumque seculi *adtemperatas esse. Cautio est, ne præsumatis, heic vobis mixtum doctrinæ genus, ex theoretico atque practico, offerri. Mera theoria & institutio Academica est, quam exhibemus. Duntaxat ita, inde ex quo Jus docui, faciendum credidi, ut Auditores monerem, quid de Juris Romani capitibus universæ Europæ moribus aliter obtineret, quàm Justiniani positiones ferant, quod est ipsum* theoriæ *munus. Ita jam in præfatione mearum Prælectionum ante quadriennium præmonui, passim illis insertum esse*, quid universali consuetudine, vel Patriæ moribus obtineret. *Ita publice privatimque semper institui facere, cum pariter humaniores literas & antiquariam eruditionem enixe commendarem. Has enim res solas inculcare, nec meminisse temporum, quibus vitam sortiti sumus, existimavi locum dare Petronii dicto*, de adolescentibus, qui nihil in scholis eorum, quæ in usu habemus, audiunt & discunt. *Eâdem viâ ducti sumus à Præceptoribus* Wissenbachio, Matthæo, Vinnio, *quem & aliquando audivimus. In horum scriptis, quæ pro Academicis theoreticisque vel maxime habentur, id ubique videbitis, ut Jus civile cum moribus comparent. Vinnius etiam, qui theoreticorum subtilissimus audit, commentarium suum ad Institutiones ita inscribere ausus est*: Commentarius Academicus & forensis.

Non

Non feci id ego, quia non erat animus id præstare. Studium forense vobis non vendito, sed theoriam moribus seculi adtemperatam, *hoc est, primordia totius Romani Juris temperata monitis de usu diverso temporum. Quod temperamentum vobis tam est necessarium ad Juris studium, quàm sal est ad victum. Et tamen hæc monita tam exiguam hujus scripti partem faciunt, ut nomen non mereantur, nedum ut transversarii quicquam in theoretico studio, quod juvant & regunt, objicere queant. Scio, quam hæc tota ratio scribendi compendia ad laudem sit inutilis; sed hoc velim animadvertatis, an ullum hujus generis scriptum extet, in quo* tanta rerum copia tam paucis dictis *reperiatur; spero dicere*, tam *etiam* perspicuè. *Horatius ob oculos fuit; Quicquid præcipies, esto brevis: nec obscurus fias,* Ut cito dicta, Percipiant animi dociles teneantque fideles. *Inde copia redundabit, ut idem*: Omne supervacuum pleno de pectore manat. *Brevibus clarisque præceptis referti, divitias eruditionis ita demum detegetis. Præterea, duas res scire vos opus est. Prima, nos in explicandis Institutionibus non recessuros à textu Justiniani, sed ei positiones applicaturos. In Pandectis positiones cum præcipuis textibus conferemus, omniaque evolvemus; examinando positiones recolligemus. Sic vobiscum optime, quæ scimus ipsi, posse communicari jam pridem usu compertum habemus. Alterum est: in Germaniâ exiit hic liber, tali titulo:* Ulrici Huberi Positiones, sive Lectiones Juris contractæ, secundum Institutiones & Pandectas, *scholiis nonnullis auctæ à* Christiano Thomasio, *Phil. & J. U.*

D. Li-

D. Lipſiæ & Francofurti, *impenſis* Mauritii Weidmanni, 1684. *Ita editus inſcriptio in noviſſimo Francofurtenſi catalogo. Necdum vidi librum; ſed eſt animus Prælectiones noſtras, quæ denuò excudentur, accommodare Poſitionibus, ut, ſi tanti res eſt, ſit vobis expoſitionum loco, nec aliis brevitas noſtra creet moleſtiam commentandi. Spero meliores factas eſſe novis ſcholiis; bonum factum, ſi mendis repurgatæ fuerint, quas utinam omnes in hac editione tollere potuiſſem! Irrepſerunt adhuc nonnullæ. Cauſam videtis, occupationes certè nimias, quibus ſit, ut nonniſi raptim ipſe corrigendo incumbere queam, & qui alius id præſtet melius nullum habeo. Reſpicite, amabo, quæ ad calcem notavi. Si quæ adhuc, latèant, eas in Prælectionibus correctas videbitis, ſi volet Deus. Cuperem vobiſcum de totâ ſtudendi ratione colloqui; ſed hoc factum in Dialogo, de Juris ſtudio, nuper emiſſo. Unum repetam. Date operam, ut celeriter hisce elementis defungamini, citius, ſi poteſt, quàm in Dialogo ſpatia demenſus ſum, ut ſine morâ integrum Juris Corpus aggredi poſſitis. Sane impoſterum, ſpero fore, ut juxta collegium paratitlare Pand. cum provectioribus aliud* Textuale, *ut ita loquar, habere liceat. In me non erit mora. Incredibili utilitate & jucunditate conſtiturum, ita, ſicut illud habere animus eſt, nolite dubitare; modo Deus vires, occaſionem animumque vos ſuppeditet is. Denique, ad præſentis momentum editionis pertinet, quod ex parte primâ non paucas Poſitiones retuli ad Pandectas, quæ altioris indaginis & à textu Juſtinianæo alienæ viderentur. Quod diſcentium bono ita conſultum eſt.* Valete.

PO-

POSITIONES JUSTINIANEÆ; SIVE *Lectiones juris Contractæ* AD INSTITUTIONES.

LIB. I.

§. 1.

ENunciata Juris sunt vel axiomata vel positiones, ut docet Budæus ad *l. 1. ff. de I. & I.*

2. Axiomata, *ut*ere ut Mathematici, sunt sententiæ *evidentes*, quæ non egent demonstratione, sed naturali dictamine constant, veluti hæc; *Nemini jus suum detrahendum*, *Expedit Reip. ne quis re suâ male utatur*, aliaque passim obvia.

3. Positiones vocantur, quæ discipulis à Præceptoribus

ribus inculcari debent, veluti definitiones, partitiones, aliæque artis regulæ.

4. Sic Justinianus in § *ult. Inst. de Just. & J.* studii juris duas ait esse *positiones*, publicum & privatum, inquit θεσειςήγενείδη Theophilus.

5. Constitui jus nostrum id genus positionibus complecti, quam potero breviter & clare, ita ut rationes magis è nexu rerum quam diffusis verbis pateant.

6. Primo, secundum Institutiones, dein juxta Pandectas, quatenus ab Institutionibus discrepant, ut sit æquabile corpusculum elementorum universi juris, methodo Justiniani.

7. Nam etsi melior dari posset, tamen interest discentium, ordinem Cæsaris habere in memoria, quem velint nolint, sequi cogentur.

8. Quæ juris antiquati sunt, ea delibabimus tantum, & quæ aliter in foro accipiuntur quam Juris fert ratio, monebimus; praxi, inquam, universa, non pro moribus locorum, qui trans hoc institutum sunt.

9. Jura duntaxat certa ponemus, verum ita, ut insint thesibus semina quæstionum, quæ facili explicatione detegi atque produci queant. Sic igitur habeto.

10. Jurisprudentia sine dubio practica disciplina est, attamen studium ejus recte vel theoreticum vel practicum dicitur.

11. Theoreticum consistit in notitia legum & quæstionum, Practicum, in applicatione legum ad certas facti species.

12. Theoria juris petenda est è libris à Justiniano relictis: præter Statuta singularum gentium, quæ partem theoriæ, non praxeos faciunt.

13. Libri Juris Justinianæi sunt quatuor, Institutiones, Pandectæ, Codex & Novellæ. Historiam conditi juris vide *ad tit. de Or. Jur. pos.* 38. *& seqq.* & ex parte *in* §. 2. *& 3. h. proœm.*

14. Institutiones exhibent compendium reliquorum librorum, nisi quod in novellis Jus recentius est.

15. Auc-

15. Auctoritas Institutionum eadem, quæ omnium librorum atque legum §. 6. *proœm.* at si qua contrarietas appareat, habemus regulam, Jus posterius derogat priori *l. ult. d. Constit. princ.*

16. Ergo Novellæ, utpote recentissimæ, derogant omnibus libris, Codex Pandectis & Institutionibus.

17. Institutiones quoque Pandectis derogant, quatenus ex Codice descriptæ sunt. *vid. tamen d. tit. ff. de O. I. pos.* 48. Alioqui Pandectæ potius prævalebunt; nisi palam sit, fieri novationem in Institutionibus.

18. Antinomias, *id est*, leges contrarias, dari negat. Cæsar in *l.* 1. §. 8 *l.* 3. §. 15. *de vet. jur. enucl.* Idem tamen sibi diffidit in *l.* 1. § 4. *l.* 2 §. 14. & 16. *l.* 3. § 15. *eod.* Veritas est nec nullas, nec multas dari.

19 Cætera, quæ in proœmio habentur, illic legi possunt. Tu nota, quod in §. 4. habetur, Institutiones esse elementa totius legitimæ scientiæ, id ita capiendum; quatenus primo auditu erat necessarium.

20. Nam alioqui facile pars æqua Artis è Pandectis petenda est, de quâ nihil in his libris habes. Id nos agimus, ut universalis Institutio distinctè repræsentetur, non ut omnia in unum coacerventur.

TIT. I.

De Justitia & Jure.

PRimo omnium agitur de fine juris, sicut mos est in practicis disciplinis, atque is est Justitia.

2. Quæ definitur, Constans & perpetua voluntas Jus suum cuique tribuendi *pr. h.*

3. *Voluntas*, id est, propositum. *Constans & Perpetua*, non effectu semper, sed affectu duntaxat, in homine justo; vel saltem, ut debeat esse talis.

4. Divisio in Jure nulla traditur, petenda à Philosophis, quorum veteres eam distinguunt in universalem & particularem.

5. Universalis est observantia omnium legum atque

virtutum *erga alios*, quibus verbis discrepat à virtute in genere sumptâ. Aristot. 5. *Ethic. ad Nicom. c.* 1.

6. Particularis, ne quis sibi plus lucri aut alii plus oneri tribuat, quam oportet; de qua definitio accipienda, ut probavimus *lib.* 1. *Digress. c.* 8.

7. Hæc iterum est commutativa vel distributiva; commutativam obtinere volunt in contractibus, alteram in præmiis & honoribus. Arist. *ibid.*

8. In illâ dicunt proportione arithmetica, in hac geometricâ procedi, & arithmeticam vocant, ubi nullum servatur discrimen personarum; Geometricam, ubi pro diversitate personarum jus quoque diversum tribuitur.

9. Recentiores malunt distinguere Justitiam in Expletricem & Attributricem, iisque tum prioris divisionis non egent. Grotius de *jur. b. & p. l.* 1. *c.* 1. *n.* 8.

10. Expletrix est, quæ docet cuique tribuere, quod plene & perfecte ad eum pertinet, ut sunt bona, vita, membra, honos cujusque.

11. Attributrix, quæ cuique tribuere dictat, quod semiplene & tantum probabiliter ad eum pertinet ut sunt præmia officiaque misericordiæ, humanitatis & gratitudinis.

12. Pœna delicti magis ad priorem speciem refertur, quia malefici perfecte eam merentur, unde Aristotelis contractus *involuntarii d. l.* 5.

13. Hæc de justitia. Jus definitur ars boni & æqui *l.* 1. *in pr. d. Just. & Jur.* alio sensu, Jus est, facultas ad aliquid habendum vel agendum; ita in *definitione* Justitiæ sumitur.

14. A Juris arte non differt Jurisprudentia, etsi pluribus verbis finitur, *divinarum atque humanarum rerum notitia, justi & injusti scientia* §. 1 *h.*

15. Ultima verba sunt differentiæ loco, ut restringant res divinas, quatenus in iis quæritur de justo & injusto; veluti, an res sacræ possint alienari, numquid juris sit Principi in Ecclesiam &c.

16. In

16. In §. 2. Justinianus docet idem, quod omnes docendi magistri inculcant; in Jure discendo, primò levi ac simplici viâ, post deinde exactissimâ diligentiâ procedendum; sicut pictores, primo lineamentis rudibus, dein veris coloribus utuntur.

17. Præcepta Juris tria feruntur, honeste vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere §. 3. *h.* q. tamen magis sunt axiomata quam positiones juris. De his agimus *d. l.* 1. *Digress. cap.* 10. & 11.

18. An autem Ars nostra hæc præcepta ubique servet, prolixa quæstio fuerit, quam in parte 2. *Digress. lib.* 1. tractavimus; & in progressu Institutionis, ubi dubia hujus generis obviam venerint, videbimus.

19. Divisio summa Juris est in naturale & positivum; de naturali infra agetur.

20. Positivum est divinum vel humanum. Illud vetus aut novum.

21. Vetus Hebræis per Mosen præscriptum fuit; Novum cunctis *gentibus* ex ore Domini & Apostolorum.

22. Vetus est morale vel Cærimoniale, hoc typis Christi constabat, quos hic cruci adfixit, *Col.* 2. vers. 14. *nec* sunt amplius.

23. Morale est vel commune cum aliis gentibus, vel proprium Judæis, sicut *omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur*, ait Cæsar *in* §. 1. *tit. seq.*

24. Communia moralia sunt in Decalogo; excipe quartum *præceptum*; propria sunt politica & ad constitutionem Reipubl. Hebræorum inflexa.

25. Humanum Jus est vel Gentium vel Civile, de quibus *tit. seq.*

26. Nam Justinianus aliam partiendi viam ingreditur; prima divisio ab illo hic ponitur, in publicum & privatum, §. *ult. h.*

27. Illud, quod adstatum rei Rom. aut alterius li-

beri populi pertinet: hoc vero; quod ad singulorum utilitatem spectat §. *ult. h. t.*

28. Publicum jus versatur vel circa sacra vel in civilibus. *l.* 1. §. 2. *de Just. & Jur.* in administratione, inquam, pacis & belli, denique in omnibus, ubi regiminis publici causa vertitur.

29. Jus privatum versatur in quotidianis civium controversiis de meo & de tuo, quatenus res inter solos privatos, sine publico præjudicio, agitur.

30. Hoc jus privatum, aliquando & publicum dicitur, ratione utilitatis & auctoritatis *l.* 38. *d. Pact.*

31. Utraque species, sed maxime jus privatum, de quo solo in Instit. agitur, collectum est, è triplici *fonte juris* Naturæ, Gentium & Civilis, §. *ult. in fin.*

TIT. II.

De Jure Naturali, Gentium & Civili.

JUs naturæ ex mente Justiniani, sed impropriè, est; *quod natura omnia animalia docuit*, eoque pertinet maris & feminæ conjunctio, procreatio & educatio sobolis, defensio sui corporis *pr. h. t.*

2. Jus Gentium est quod naturalis ratio inter homines constituit. §. 1. *h.*

3. Estque vel primævum vel secundarium, ut vulgo non male Doctores ex mente Cæsaris.

4 Primævum, quod cum hominibus natum & cordibus inscriptum est; secundarium, quod usu ita exigente & humanis necessitatibus, inter gentes receptum est. §. 2 *h.*

5. Ad illud pertinet matrimonium, *storgè* sive amor sanguinis, ac omne discrimen turpis atque honesti; ad hoc, bella, imperia, dominia, plerique contractus *d.* §. 2. *sub fin. l.* 5. *d. J. & J.*

6. Hæc ita Jcti, de quorum ratione dix. *part.* 1. *Digress. l.* 1. *cap.* 11. Propriè tantum & philosophicè jus Natu-

Naturæ non competit brutis, quia jus est ratio & præceptum generale, quibus bruta non utuntur.

7. Ideo revera, Jus naturæ nihil est aliud, quam Ratio summa, insita à natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt prohibetque contraria. *Cicero* 1. *de LL.*

8. Jus gentium, quod ex voluntate populorum recta ratione utentium vim obligandi accepit. *Grot. lib. I. de jur. b. & p. Cap.* 1. *n.* 11.

9. *Atque hoc intellectu Jus Naturæ est idem, quod modo Jus Gentium primævum, & Jus Gentium simplex idem cum eo, quod secundarium appellari diximus.*

10. Jus civile est, quod quilibet populus liber sibi peculiare constituit *d.* §. 2. *in pr.*

11. Liber populus est, qui non agnoscit superiorem, sive ab uno, sive à pluribus regatur, licet alio sensu libertas regno sæpius opponatur.

12. Proinde, Jus quod faciunt populi habentes superiorem, id non civile, sed municipale vocatur, nec aliter valet, quam si conveniat cum jure superioris *l.* 9. *d. L. Rhod.* potestque semper à superiore tolli *l.* 3. §. 5. *de Sepulchr. viol.*

13. Per excellentiam autem solum jus Romanum dicitur *Civile*; reliquarum gentium, etsi liberarum, jura plerumque Statuta vocantur, tametsi vere civilia sint *d.* §. 3.

14. Docendi causa Jus Civile dividi potest in purum & mixtum, *arg.* §. 1. *à pr. h. t.* vel si malis verbis Justiniani, est vel *commune* cum aliis gentibus, vel *proprium.*

15. Purum sive *proprium* dicimus, quod à Populo Rom. peculiariter est receptum, aliisque inusitatum, quo pertinent variæ Leges & Scita, quæ in progressu nobis occurrent.

16. Mixtum sive commune, quod fundamento & origine est Juris Gentium, sed addito aliquo aut detracto, vel mutato, fit juris civilis *d.* §. 2. *l.* 6. *de Just. & I.*

17. Hujus generis sunt Herilis & Patria potestas, Nuptiæ, Tutela, Dominia, Testamenta & plerique contractus; nam verborum & literarum obligationes sunt pure civiles. §. 2. *in fin. h.*

18. Rursus dividitur jus civile, in scriptum & non scriptum. Illud una voce *Lex*, non scriptum *Consuetudo* vocatur. §. 3. *h.*

19. Vera tamen earum differentia non est à scriptura, Lex potest esse non scripta, sicut *rhetrâ* Laconicæ, hoc est, leges Lycurgi fuerunt §. 10. *h.* ubi hæ cum jure non scripto conferuntur, sicut Leges Solonis cum jure scripto; respectu formæ scil: externæ, quia Lycurgus vetuerat uti *Legibus scriptis*, Solon scripserat suas; nihilo tamen minus illæ, quas Lycurgus tulit, *Leges* fuerunt.

20. Etenim vera differentia Legis & Consuetudinis hæc est, lex habet certum auctorem & initium, consuetudo incertum. Lex e voluntate expressa, consuetudo e tacito populi consensu oritur *l.* 32. *d. LL.*

21. Juris scripti appellatione inde oritur, quod plerumque sane Leges scribuntur, ut populo innotescant Etiam consuetudinibus sæpe accidit, ut scribantur, ex post facto.

22. Species juris scripti apud Romanos erant sex; nempe Lex, in specie dicta, Plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, Magistratuum sive prætorum Edicta, Responsa prudentium. §. 4. *& seqq.*

23. Lex erat, quod populus Rom. senatorio Magistratu interrogante, veluti Consule, constituebat §. 4.

24. Plebiscitum, quod plebs, plebejo Magistratu interrogante, veluti Tribuno, constituebat. *d.* § 4.

25. Hæ duæ erant & dicebantur Rogationes. Senatus-Consultum est, quod Senatus jubet atque constituit, ad relationem Consulis aut Prætoris. §. 5. *h.*

26. Plebiscita suo jure non habuere vim legum, sed eam nacta sunt ex Lege Hortensiâ *d.* §. 4. *in fin. Gell. l.* 15. *c.* 27.

27. Se-

27. Senatus-Consulta habuere vim legum, pro lubitu Principum, & plerumque ad eorum orationes condebantur *l. pen. ad Sc. Tertul. l.* 20. §. 6 *de hered. pet. l.* 16. *d rit. nupt. &c.*

28. Principum placita sunt; quæ Princeps aut per epistolam constituit, aut cognoscens decrevit, vel edicto præcepit § 6. *h.* modo sint generalia; Nam

29. Privilegia, quæ in gratiam vel in odium certarum personarum indulta sunt, vim suam non extendunt ultra eas personas *d* §. 6.

30. Lex Regia sub Antonino Cæsaribus ita dicl cœpta, dedit Principibus inde ab Augusto hanc potestatem, uti leges conderent, ipsique Legibus essent soluti *d* §. 6 diximus *l.* 1. *Digest c.* 16. *& seqq*

31. Edicta Prætorum jus Civile (cui sæpe stricto sensu opponuntur *l.* 7 §. 1. *d. I. & I.*) adjuvare, supplere, atque mitigare solent *d. l.* 7. §. 1. tollere penitus vel mutare non possunt *l.* 12. §. 4. *d. Publ. act.* Sub his continentur Edicta Ædilium, quæ tantum duo extant *in tit. ff. de Ædil. Ed.*

32. Responsa Prudentium sunt sententiæ atque opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere; ea nunc vim legum habent, quatenus a Justiniano in corpus juris digesta sunt §. 8. *h.*

33 Hæ sex species ad formam Romani Imperii spectabant; hodie non usurpantur; sed una pro omnibus Lex in genere, sive placitum summæ Potestatis ungitur.

34. Sequitur Consuetudo, quæ est jus, quod tacito populi consensu sine scriptura vim obligandi accepit §. 9.

35. Vim habet parem cum Lege, *d.* §. 9 *l.* 32. §. 1. *d. Legib.* modo hæc tria requisita adsint: I. ut consuetudo sit generalis, hoc est, passim in republ. recepta *d. l.* 32. *in fine.* II. ut sit rationabilis *l.* 39. *d. LL.* III. ut certa sit

36. Ad certitudinem requiritur 1. Diuturnitas temporis. 2. Frequentia actuum, maxime judicialium *l.* 34.

prætorem certo ritu fiebat, dixi *l. 1. Digress. c. 4. n. 3. post. med.* denique Testamento §. 1. *h. t.*

3. Censu, versâ Republ. abolito, Constantinus M. surrogavit manumissionem in Ecclesia *tit. C. de his qui in Eccl. manum.* Adde *l. un. C. de Latin. lib. toll.* ubi & de manumissione per epistolam & inter amicos, quarum meminit § 1. *h. t.*

4. Olim libertini distinguebantur in tres ordines, in cives Romanos, Latinos Junianos & dedititios § *ult. h. t.* quæ divisio sublata est à Justiniano in *l. un. C. de dedit. lib. toll. cum l. seq.* quin & totus, ut dixi, ordo libertinorum est abolitus, salvo tamen jure patronatus *d. cap. 5. N. 78.*

5. Moribus hodiernis nulla horum vestigia supersunt. Terminos tamen intelligere oportet earum rerum, quæ per totum juris corpus diffusæ leguntur.

TIT. VI.

Qui & ex quib. caus. manum. non licet.

CAutum id erat Lege *Æliâ Sentiâ*, cujus duo sunt capita. Primo libertas in fraudem Creditorum ab eo qui solvendo non est, consulto data, ipso jure nulla dicitur *pr. & §. 1. h.* licet aliarum rerum alienatio in fraudem creditorum facta per actiones rescindatur *l. 1. d. in his quæ in fraud. cred.* nempe, libertas ex postfacto non potest rescindi §. 6. *h.*

2. Testatori tamen, qui non est solvendo, indulgetur in famæ solatium, ut unum è servis heredem instituat, cujus nomine bona distrahantur, isque tum fit liber, etsi non manumissus, per consequentiam institutionis §. 1. *h.*

3. Alterum caput est; ne minor annis 20. aliter quam vindicta, probatis apud consilium causis, manumittat §. 4. *h.* Causæ habentur in §. 5. ubi vide.

4. Est inter eas, si velit e servo facere procuratorem, neque distinguitur, ad litem an ad negotia; tu igi-

igitur de utroque intellige, quod hic dicitur, ne sit minor annis 17. quæ ætas ad postulandum in Jure, quoque admittitur §. *ult. in fin. h.*

5. Justinianus dein testamentarias manumissiones permisit omnibus, qui possunt facere testamentum, hoc est, puberibus N. 119. *c.* 2.

TIT. VII.

De Lege Fusiâ Caninia toll.

FUsius seu Furius & Caninius, sub Augusto, legem rogaverant; ne quis testamento in manumittendis servis numerum certum egrederetur; ut ne civitas ea coesavie nimium redundaret, quod a manumissionibus inter vivos non metuebatur *vid. Ulp. tit.* 1. *Paul.* 4. *sent.* 14. *Sueton. Aug. c.* 40.

2. Justiniani tempore, post annos inde 500. hæc ratio cessabat. Ideo Cæsar Legem Fusiam sustulit *h. tit.* ratione citata, *Quod licet inter vivos, debet etiam in testamento licere l.* 1. *C. de SS. Eccles.*

3. Quam tamen positionem tu cape cum sale; nam sæpe fallit, cum jure civili, tum moribus. *Exempla narrare* longum *hic* est.

TIT. VIII.

De His qui sunt sui vel alieni juris.

SEquitur altera personarum divisio, in eos qui sunt sui vel alieni juris. Qui hos tenet, illos novit, ut Cæsar docet in *pr. h.*

2. Potestas aliena duplex est, Dominica sive herilis & Patria. Plures species non traduntur a Juris auctoribus.

3. Equidem latius voce sumpta, forent plures; potestas maritalis, Tutoria, Curatoria, magistratus.

4. At hoc stricte vocabulum sumitur pro subjectione familiæ, à qua Tutores & magistratus alieni sunt; uxor

uxor eam una cum viro gubernat, licet infra eum, attamen socia & æque sui juris. *l.* 1. *d. rer. amot.*

5. Jus dominorum in servos erat vel circa res, vel in personas. Res servi omnes acquirebant suis Dominis §. 1. *in fin. b.* §. 3. *I. per quas person. cuique acquir.*

6. In Personas habebant olim domini jus vitæ & necis. Postea nil nisi modicam coercitionem §. 1. & 2. *b. l. un. C. de emend. servor.*

7. Adversus graviorem sævitiam servis erat asylum apud statuam Principis, unde abstrahi nequibant; sed Domini atrocitatis convicti eos vendere cogebantur, bonis conditionibus *d.* §. 2. & *l.* 2. *b.*

8. Tu hinc disce; I. Asyla, quæ sunt hodiè, non esse ob hunc usum, sed ferè latibula fraudatorum & maleficorum, noxia Reipubl.

9. II. Etsi nemo rem suam vendere cogatur *l.* 11. *C. de contrab. Empt. l.* 9. *d. act rer. amot.* posse tamen cives ad id cogi, ratione publicæ utilitatis, quatenus interest Reipubl. *d.* §. 2. *in fin.*

10. Nam civitas hoc respectu habet jus in bona singulorum, quod vocatur Dominium *eminens* à Grotio *l.* 1 *de j. b.* & *p. c.* 1. *n.* 6. cujus hæc vis est è consensu civium, ut lex magis *domina sit rerum nostrarum*, quam nos ipsi sumus.

11. Extra hoc, Princeps non habet potestatem cives vita bonisque suis sine delicto exuendi *b.* §. *f.* nam jus Regis quod est 1. *Sam. c.* 8. *v.* 11. est ejusdem generis *jus*, cum eo quod Prætor facit, quando inique decernit, *l.* 11. *d. Just. & Jur.* Est quidem jus, quatenus obligat ad patientiam, sed jus injustum.

TIT. IX.

De Patria potestate.

PAtria potestas Juris Gentium origine, juris civilis quoad præcipuos effectus est. §. 2. *h.*

2. Hi pertinent ad personas vel ad res. Ad personalia

nalia jura spectat hæc summa regula. Pater & filius eadem persona esse videntur *l. ult. C. de Impub. & al. subst.*

3. Hinc inter eos nulla obligatio § 6. *I. de Inutil. stip.* nulla lis esse potest *l. 4. d. Judic.*

4. Ad personam quoque pertinet, tutoris dario §. 3. *infr. de Tut.* prohibitio nuptiarum sine jussu Patris *pr. I. de Nupt.*

5. Quin olim Pater jus vitæ necisque in liberos atque ter eos vendendi exercebat, teste Dionys. Hal. *lib.* 2. Gell. *l.* 17. *c.* 19. vestigia adhuc habes in *l.* 20. *ad L. Jul. d. Adult. & in l* 2. *C. de Patr. qui fil. distrax.* de quibus dixi *l.* ✤. *Digress. cap.* 5.

6. Quod ad res attinet; Quicquid filius (ex peculio profectitio) acquirit, id Patri quærit: §. 1. *I. per quas pers.*

7. Pater habet usumfructum in bonis filii adventitiis *l.* 1. *C. de bon. mat. & l.* 6. *C. de bon. quæ lib.*

8. Filiusfam. de bonis suis per ultimam voluntatem disponere nequit *pr. I. Quib. non est permiss. fac. testam.*

9. Pater impuberi filiofam. dat heredem per substitutionem pupillarem §. 4 *I. de pup. substit.*

10. Matribus hæc jura non competunt, salvo pietatis cultu, quem divina lex promiscuè inculcat, nec aliud lex civilis.

11. Nepotes è filio quoque patria potestate continentur; sed moribus seculi, quia nuptiis solvitur Patria potestas, avus in nepotes non habet potestatem.

12. Quin & reliqui effectus multis Europæ locis exolevere. *Gudel.* 1. *de jur. noviss. c.* 13. Voet. *ad h. t. n.* 5. minime vero in Frisia, ubi vigent omnes *Sand.* 2. 7. 1.

13. Causæ, sive modi, quibus acquiritur Patria Potestas, sunt tres: Nuptiæ, Legitimatio & Adoptio.

TIT. X.
De Nuptiis.

NUptiæ sive matrimonium, est Viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens §. 1. *t. præced.*

2. Conjunctio animorum, id est, consensus perficit matrimonium; corporum copula sive concubitus non ad perfectionem sed ad implementum pertinet *l.* 30 *d. R I. l.* 15. *d. C. & D.* sed nec ritus ducendi domum absolute necessarius unquam fuit. *l.* 22. *C. de Nupt. l. pen. in pr. d. don. inter Vir. & ux.*

3. Moribus, Ecclesiastica copulatio adhibetur, nec tamen pertinet ad substantiam matrimonii, quanquam Statutis alicubi sub pœna nullitatis præcipitur, ut apud Batavos. Alibi mulcta imponitur, salvo conjugio, si id aliter probetur. *Sand.* 2. 1. 1.

4. Nuptiæ non sunt contractus, ut ex methodo apparet, quia de contractibus in *lib.* 3. demum agunt; nec est matrimonium contractus, quia deficit materia habilis; officia conjugalia non sunt in commercio nec pecuniâ æstimantur, at contractus de eo quod interest agunt, quod pecuniariam rationem habet §. 18. *I. de Inutil. stipul. l* 35 *d. O & A.*

5. Dicitur quidem matrimonium contractus in *l. ult. C. de repud.* quia contrahitur, *pr. b.* licut & delicta contrahuntur. *l.* 1 *ff de LL.* dicitur & societas in *l.* 1. *d. act. rer amot.* at omnia abusive

6. Consuetudo *individua* significat arctissimam societatem, ex formâ *l.* 1. *d rit. nupt* (ne putes inde, nunquam solvi posse conjugium) ita, ut socios dicimus *individuos*; Qui Tiberio *individuus* Rhodi fuerat, neci datur apud Tac. 6. *annal. c.* 10. Si mavis *indissolubilem* ex voto contrahentium, per me licet.

7. Idem verbum, & singularis contrahentium numerus polygamiam satis excludunt; at secundæ nuptiæ

sunt

ſunt licitæ. 1. *ad Corinth. c.* 7. *v.* 39. nam quod earum pœnæ citentur ex *l.* 3. & *l.* 6. *C. d. ſec. nupt.* abuſivum eſt; ſunt beneficia liberorum prioris matrimonii, de quibus *in loco.*

8. Nuptias præcedunt Sponſalia, quæ ſunt mentio & repromiſſio futurarum nuptiarum *l.* 1. *d. Sponſal.*

9. Jure Canonico ſunt vel de præſenti vel de futuro. Illa, quæ verbis præſentis temporis, *duco te, nubo tibi*; hæc, quæ per verba futuri temporis, *ducam te, nubam tibi*, concipiuntur. *cap. pen.* X. *de Sponſal.*

10. Sed præſentia nihil revera differunt à matrimonio, per *l.* 30 *d. R. I cap.* 1. *c.* 27. *qu.* 2. verum uſus ita fert, ut matrimonium nequedum impletum *ſponſalia* nuncupetur, quod & apud veteres populariter fiebat, dixi. *l.* 1. *Digeſſ. c.* 7. & *ſeqq.*

11. Proprie, ſponſalia inter eos contrahuntur, qui vel per ætatem necdum poſſunt inire nuptias (nam ſeptennis rectè ſpondet, *l* 14. *d. Sponſ.*) vel quibus adhuc commodum non eſt; veluti; *ducam te, cum Doctor, cum Paſtor ero, cum ex India rediero.*

12. Requiſita nuptiarum ſunt quinque, circa jus civitatis, ætatis, Patriæ poteſtatis, propinquitatis & honeſtatis; cum hæc omnia rectè habent, *juſtæ* nuptiæ dicuntur, *pr. h.*

13. Primo contrahentes oportebat eſſe cives Romanos *d. pr.* quod tamen hodie non ſervatur, nec enim nationes hac parte diſcernuntur.

14. II. Ætas, ut maſculi ſunt puberes, feminæ viri potentes; quod etſi phyſice pendet ex habitu corporum, à Cæſare tamen annis finitur, 12, in puellis, 14, in maſculis; tempore naturaliter computato, id eſt, expletis omnibus horis: ubi civili calculo utimur, annus vel dies inchoatus pro impleto habetur, ut *in l.* 8. *d Mun. &. Hon.* hic vero egreſſum eſſe oportet. *Theoph. hic.*

15. III. Qui patris poteſtati ſubeſt, ejus juſſu eget, niſi pater ſit furioſus aut a trienno abſens, tum ma-

giſtratus & propinqui conſentiunt *d. pr. h. l.* 25. *C. de nupt. l.* 9 10. & 11. *d. Rit. nupt.* idem in Sponſalibus *l.* 7. §. 1. *d. Sponſal.*

16. *Juſſus* non excludit ratihabitionem *l.* 1. §. 6. *Quod juſſ.* at hæc retrotrahitur, id eſt, perinde habetur, quaſi ab initio interveniſſet, ut etiam profit liberis antea natis *l.* 16. §. 1. *d. Pignor. l.* 56. *d. Jud. l.* 25. & *ult. C. ad Sc. Macedon* idque mores ſine dubio ſervant. *Plura vid. ad tit. ff. de Rit. Nupt. n.* 11. & *ſeq.*

17. Quin etiam conſenſus tacitus Patris, qui ſciverit neque contradixerit, ſatis eſt *l.* 5. *C. de nupt. l.* 5. §. 1. *d. Sponſal.*

18. Parentes qui non habent Patriam poteſtatem, non poſſunt impedire nuptias *l.* 25. *d. rit. nupt.* niſi quod filia minor annis 25. patris arbitrio non plane ſubducitur, imo nec matris, curatoris & propinquorum *l.* 1. *l.* 18. & 20. *C. de nupt.*

19. Curatores alioqui nihil juris habent in nuptiis, ſunt enim hæ mere perſonales & Curator rebus datur *l.* 8. *C. de Nupt.* ſed *moribus* hoc paſſim aliter receptum eſt.

20. IV. Requiſitum de propinquitate vult, ut contrahentes debito ſanguinis & affinitatis gradu diſtent, eaque ratio valet etiam extra conjugium, in ſervilibus & meretriciis conjunctionibus §. 10. *h.*

21. In ſanguine ſpectatur linea & gradus. Linea eſt ſeries cognatorum ab eodem ſtipite deſcendentium; gradus eſt diſtantia cognatorum ab ſe invicem.

22. Linea eſt duplex, recta & obliqua. Recta, ubi ſunt adſcendentes & deſcendentes. Obliqua, continet eos, qui à latere ſunt juncti.

23. Regula de computandis gradibus eſt hæc; quot ſunt generatæ perſonæ, totidem ſunt gradus, dempto ſtipite communi *l.* 10 §. 9. *d. grad. & affin.*

24 Hinc pater à filia gradu primo, neptis ab avo gradu ſecundo, atque ita porro, diſtant.

25. Item frater à ſorore gradu ſecundo, fratrum liberi

beri gradu quarto & sic consequenter *d. l.* 10. §. 9.

26. Prohibitæ sunt nuptiæ in lineâ rectâ in infinitum, etiam inter adoptivos in perpetuum. §. 1. *b.*

27. In linea collaterali usque ad tertium gradum semper; inter adoptivos, dum durat adoptio §. 2. & *seq. b.*

28. Ipse quartus gradus aliquando est licitus, aliquando prohibitus; licitus inter fratrum & sororum liberos §. 4. *b.*

29. Prohibitus, quando contrahentes sunt sibi mutuo Parentum & liberorum loco, velut inter thios magnos & fratrum atque sororum nepotes §. 3. & 5. *b.*

30. Jure Canonico distinguitur linea collateralis in æqualem & inæqualem, *c.* 2. *caus.* 35. *qu.* 5.

31. Æqualis, in quâ partes æqualiter distant à stipite communi, ut fratres atque sorores, patrueles, consobrini ac ita porro.

32. Inæqualis, ubi contrahentes inæqualiter à communi stipite distant; ut patruus & fratris liberi, consobrinus & consobrinorum liberi *d. cap.* 2.

33. Pro computandis gradibus in linea æquali habent regulam; Quoto gradu singuli distant à stipite communi, toto inter se distant.

34. In linea inæquali est hæc regula; quoto gradu distat remotior ab stipite, toto inter se distant.

35. In linea rectâ Canonistæ nihil à regulis Juris Cæsarei discrepant.

36. Prohibentur Nuptiæ Jure Canonum usque ad quartum gradum suæ computationis inclusivè, hoc est, ad octavum juris civilis *cap. ult. d. consanguin.* quem rigorem dispensationibus, suo commodo, molliunt Pontifices.

37. Est & affinitas nuptiis impedimento, eaque dicitur, Necessitudo per nuptias contracta inter conjugem unum & alterius conjugis cognatos *l.* 4. §. 3. *d. grad.* & *affin*

38. Ergo conjuges ipsi & cognati utriusque conju-

gis inter se non sunt affines *cap.* 3. *cauſ.* 35. *qu.* 5. non igitur comprivigni, nec meus frater & uxoris soror sunt adfines, nec eorum similiumque nuptiis obstat quicquam §. 8. *h. t.*

39. Prohibentur autem nuptiæ in iisdem *fere* gradibus adfinitatis (analogicè ita dictis, nam proprie nulli sunt, quia gradus generatione fit, *l.* 4. §. 5. *juncta l.* 10. *p. d. grad. & adfin.*) quibus ob sanguinem vetantur §. 6. *& ſeqq. h. l.* 17. *C. de Nupt. vid. l.* 5. *C. de inceſt. nupt.*

40. Postremo, honestas sæpe fit nuptiis impedimento, citra sanguinem & adfinitatem, velut inter vitricum & privigni viduam *l.* 15. *d. rit. Nupt.* Casum alium habes *in* §. 9 *h. Non potes ducere filiam uxoris tuæ, quam hæc poſt divortium ex alio viro peperit.*

41 Susceptor quoque non potest ducere susceptam è baptismo *l.* 36. *C. de nupt.* ob imaginem paterni respectus, quod Tridentini Patres ad gradum secundum reduxerunt, cum olim latius interdictum esset 7. *decretal. l.* 4. *tit.* 2. *c.* 2.

42. Confusio nominum alioqui non facit prohibitionem; nam frater meus potest filiam uxoris meæ ducere: imo Pater meus id potest; licet ille mihi tum filii loco sit, ego ipsi pro patre sim *l. ult.* §. 14 *d. grad. & affin.* Sand. 2. 1. 9.

43. Sed tutor vel Curator ducere nequeunt adultas, quarum tutelam curamve gesserunt aut gerunt, nec eorum filii aut nepotes (adolescentes eorum filias ducere nil vetat) *l.* 66. *in pr. d. rit. nupt.* at hoc *hodie* vix est ut obtineat iis in locis, ubi vir est legitimus Curator uxoris suæ.

44. Perinde obsolevit *hodie*, quod Romanis placuit, ne Præses provinciæ aut qui officium *majus* in ea gerit, ducat uxorem ejusdem provinciæ indigenam *l.* 57. *l.* 63. *d. t.* quia parum libera & ambitiosa ejusmodi matrimonia credebantur.

45. Nuptiæ contra quodlibet horum præceptorum initæ

initæ sunt ipso jure nullæ §. 12. *h. arg. l. 5. C. de LL.*

46. Proinde, quæ, Patre nolente, contractæ sunt, ejus arbitrio distrahuntur, etsi liberis inde susceptis; ac ita jus, utique apud nos, dicitur, nihil obstantibus *l. 1. §. ult. d. lib. exhib.* quæ de justo conjugio loquitur, neque Paulo *l. 2. sent. 19.*

47. In §. *ult. hujus tit.* traditur altera causa Patriæ potestatis, quæ est Legitimatio, & definitur, Actus, *quo liberi naturales fiunt legitimi.*

48. Non est actus *legitimus*, ne erres; nomen legitimationis est ab effectu, non à forma actus, quo perficitur, ut probavimus *l. 1. Digress. c. 13.*

49. Liberi naturales, aliter nothi, vocantur, qui è concubina susceptí sunt; & est Concubina, *quæ cum cœlibe vivit uxoris loco, sine dignatione uxoris*, de quibus est *tit. in ff.*

50. Extra matrimonium & concubinatum, vulgo concepti sunt spurii, quorum pater incertus habetur, adeoque non legitimantur, multo minus incestuosi & adulterini. §. 11. *h. N. 89. C. 12. & ult.*

51. Moribus, omnes certo Patre nati, licet absque concubinatu è furtivis amplexibus, sunt naturales & legitimantur; imo Principis speciali rescripto etiam adulterini & incestuosi. *Stat. Fris. l. 1. t. 5. §. 2.*

52. Modus legitimandi triplex est, per oblationem Curiæ, per subsequens matrimonium & per rescriptum Principis §. *f. h.*

53. Oblatio curiæ erat, quando Pater filium naturalem oneribus decurionalibus in municipiis obnoxium reddebat, *d. §. ult. l. 3. C. de Nat. lib.* Brisson. 4. *antiquit.* 18. hæc res *hodie* nullum habet usum.

54. Per subsequens matrimonium fit, quando Pater concubinam, ex quâ filium naturalem habet, ducit in uxorem, sive, ut leges ajunt, quando instrumenta dotalia cum ea componit §. *ult. h. l. 10, l. 11. C. de natur. lib. Nov. 89. c. 11. in pr.*

55. Dotalia igitur instrumenta non addunt novum

requisitum legitimationis, sed hæc sine illis consistere potest: mentio eorum fit passim, quia plerumque solebant adhiberi *dd. ll. l.* 5. *d. t.* C. *verb. mox postquam &c.*

56. Per rescriptum Principis fit legitimatio, quando pater concubinam vel mortuam vel conjugio interdictam ducere non potest, tum Principale beneficium imploratur; quod tamen, si alii extent liberi legitime nati, vix aut nunquam indulgetur. *Nov.* 89. *c.* 9. & 10.

TIT. XI.

De Adoptionibus.

TErtia causa Patriæ potestatis est adoptio, quæ definitur, legis actio, per quam is qui filius non est, in locum filii adsciscitur *pr. h. l.* 1. *pr. h. t. l.* 3. *de off. Proconf.*

2. Estque duplex, *Adoptio* in specie dicta, & Adrogatio. Illa, quando qui in patris sui potestate sunt ab alio apud Magistratum adoptantur; hæc, quando qui sui juris sunt imperio Principis filii fiunt §. 1. *h. t.* olim populus lege rogabatur, unde nomen *Adrogationis. Gell. l.* 5. *c.* 19.

3. Adrogatio semper transfert patriam potestatem, adoptio non aliter quam si ab aliquo adscendentium fiat §. 2. *h. l.* 10 *C. de adopt.* Jure Pandect. adoptio indistincte Patriam potestatem transferebat. *l.* 32. & *seq. in pr. l.* 37. §. 1. *h. t.*

4. Impuberes non adrogantur, nisi causa cognita, utrum honesta satis & utilis causa sit; tum ut satisdet adrogator, se bona quæ per arrogationem ei quæsita fuerint, restituturum proximis pupilli, si is ante pubertatem moriatur §. 3. *h. l.* 17. *h. t.*

5. Quod si jure eum emancipet, bona propria cum fructibus ei restituit; absque causâ justa vel emancipet eum vel exheredet, quartam insuper suorum bonorum ei debet & quidem *omnium* bonorum, nisi plures habeat liberos, tunc est quarta portionis ab intestato

ſtato *arg. l.* 8. §. 8. *d. Inoff. teſtam. d.* §. 3. *h. l.* 18. *cum* 2. *ſeqq. h. t.*

6. In Adrogatore definita etiam eſt ætas, qua major eſſe debet filio, ſcil: annis 18. inchoatis, quæ eſt plena pubertas §. 4. *h. l.* 40. §. 1. *h. t.*

7. Nec tantum filius, ſed & nepos adoptione ſumitur, tam ab eo qui filium habet, quam qui non habet §. 5. *h.* nec intereſt, filius, an nepos domi ſuæ fuerit is qui adoptatur §. 6. *h.*

8. Quod ſi adoptans habeat filium, nepos novus huic filio non fit hæres, niſi is ipſe conſenſerit, quia ſuus hæres invito non agnoſcitur, §. 7. *h.*

9. Eunuchi non adoptant §. 9 *h.* etſi aliter *Leo Nov.* 26. ſpadones, quales ſunt debiles & frigidi, poſſunt. *d.* §. 9. *l.* 2. §. 1. *h t.* non feminæ, quia non recipiunt patriam poteſtatem; ſed quæ liberos amiſerunt quaſi adoptare poſſunt, ſolatii causâ §. 10. *h.*

10. Effectus adoptionis ſunt, quod adoptivi iisdem juribus potiuntur & ſubjiciuntur, quibus ex juſtis nuptiis nati §. 4. *h.* excipe; non proſunt ad jus trium liberorum *pr. I. de Excuſ. tut. l.* 51. *d. leg.* 2. nec in conditione fideicommiſſi, *ſi hæres ſine liberis deceſſerit l.* 76. *d. C. & D.* non ſuccedunt in feudis *cap. adoptiv. ſi de feud. def.*

11. Effectus autem iſti competunt etiam in liberos eorum qui adrogati ſunt, ut exemplo illuſtri declaratur in §. *pen. h. t.*

12. Denique tres caſus ſunt, quibus adoptio non transfert patriam poteſtatem, I. ſi extraneus, qui non eſt ex adſcendentibus, adoptet *d.* §. 2. II. Si femina §. 10. III. Si dominus adoptet ſervum; hic enim fit liber duntaxat. § *ult. h.*

13. Sunt etiam hæc aliena ab adoptione teſtamentaria, quæ potius eſt adſumptio in nomen & familiam teſtatoris, ut vocatur à Tacito 1. *Annal. c.* 8. quam vera adoptio, licet hoc quoque nomen ei tribuat idem Tacitus 4. *Annal. in pr.* exempla ſunt in promptu.

14. *Moribus* Adoptionem ſcribunt eſſe obſoletam, nec adoptatos habere quicquam juris, niſi quod gratis aluntur. *Vinn. ad pr. h. t.* Gudel. *l.* 1. *c.* 15. Ego vereor, ne hoc verum ſit, quando quis privatim aliquem pro filio adſciſcit, non ubi publice adoptio celebratur. In Friſia ſine dubio jus civile valet.

TIT. XII.

Quibus modis jus Patriæ poteſtatis ſolvitur.

TOllitur patria poteſtas tribus modis. I. Morte tam Patris quam filii, eaque naturali vel civili; illa, cum anima: hæc cum civitas aut libertas tollitur *pr.* & §. 1. *h. t.*

2. Etiam morte avi; niſi nepotes recuſati ſunt in Patris ſui poteſtatem, quod fit, ſi is tempore mortis avi in ipſius poteſtate fuerit; tum patria poteſtas transfertur. *d. pr. in fin.* Hodie avus, ut dictum *ſupra*, non habet poteſtatem in nepotes, quæ proin nec ſolvitur.

3. Species mortis civilis ſunt, damnatio in metallum & deportatio in inſulam §. 1. & 3. non relegatio, quæ nec patriam poteſtatem finit §. 2. eoque jure utimur. Quid differant relegatio & deportatio, *alibi* docetur *in ff. tit. de Interdict. & releg.*

4. Servi hoſtium è captivitate reverſi habent jus poſtliminii, quo finguntur ſemper in civitate manſiſſe, omniaque jura, conſequenter & patriam poteſtatem recuperant, cum effectu etiam in anteceſſum §. 5 *h.* ſed mortui apud hoſtes, finguntur ex lege Cornelia, in primo captivitatis momento extincti, ideoque liberi exinde ſui juris æſtimantur *d.* §. 5. *v ſi vero l.* 18. *de captiv. & poſtlim.*

5. II. Dignitate tollitur patria poteſtas, olim ſolo Patriciatu, id eſt conſiliarii Principis officio §. 4. *h.* poſtea omnibus, quæ liberant à Curia, quales conſulatus, conſularitas, præfectura prætorii, & Urbis, Magiſterium militum *l. ult. C. de Decur. l.* 10. Epiſcopatus *N.* 81. *pr. c.* 1. & *c.* 3. 6. *Ma-*

6. *Moribus* idem obtinebit in dignitatibus, quæ ad ſummam cujuſque Reipub. vel militiæ pertinent; non igitur Doctoratus, Paſtoratus, Profeſſio Academica, Magiſtratus municipalis, centurionatus ſimileſque dignitates patriæ poteſtati eximunt. Judicandum hoc eſt è conſtitutione ſingularum Rerumpubl

7. III. Modus eſt Emancipatio, quæ eſt actus legitimus, quo liberi è patriâ poteſtate publicè dimittuntur §. 6 *h.*

8. Diſtinguitur in veterem & novam. Vetus in legitimam & Anaſtaſianam; Illa, quæ ritu ſolenni antiquitus recepto, fieri ſolita eſt: diximus in *l.* 1. *Digeſſ. c.* 4. §. 3. *poſt. med.* hæc, quæ ex lege Anaſtaſii fiebat reſcripto Principis, ad præces parentis *d.* §. 6. *l. pen. C. de emanc. lib.*

9. Nova ſive Juſtinianæa ſic eſt; Parentes recta via intrant ad competentem judicem ibique declarant, ſe liberos ibi præſentes è manu ſuâ dimittere; liberorum tacitus conſenſus ſufficit §. 6. *h.*

10. Adoptio ab adſcendente facta ponitur etiam ut modus ſolvendi patriam poteſtatem in § 8. *h.* ſcil. reſpectu Patris naturalis; alioquin adoptionem eſſe cauſam acquirendi P. pot. non eſt dubium & habuimus.

11. Emancipatus ſuſcipit liberos brevi poſt emancipationem, ſuntne in avi, an in Patris ſui poteſtate? Tempus conceptionis inſpicitur §. 9. *h.* Unde hoc conſtat? Minimum tempus eſt dierum 182. quo partus naſcatur legitime *l.* 3. § *ult. d. ſuis & legit. hered.* Qui igitur poſt id tempus ſunt editi, ſub Patre ſunt; qui ante, ſub avo. *Hodie* avus nil juris habet, ut ſæpe dictum.

12. Porro, eſt *Emancipatio* actus voluntariæ jurisdictionis, ideoque inter invitos non exercetur § *ult. h.* Hæc regula eſt, quæ patitur exceptiones;

13. Nam pater poteſt abdicare filium male meritum, teſte Val. Maximo *l.* 5. *c.* 8. *Dionyſ. Halic. lib.* 2. idque per modum emancipationis invitum §. 3. *J. de*

Adoption. l. 132. *de V. O.* Aſt ἀποκήρυξις proclamatio abdicationis uſitata Græcis, non eſt Romani moris *l. 6. C. de Patr. pot.*

14. Sunt etiam caſus, quibus liberi parentes cogere poſſunt ad emancipandum, quinque numero:

Sævitia immanis, lenociniumque Parentis,
Conditio & merces, damnoſaque adoptio pubis.

de quibus vide explicatius *l. ult. D. Si quis à par. manum.* ubi; ſi Pater male filium contra pietatem affecerit. *L.* 1. *C. de Epiſcop. aud.* ſi Pater corpora liberorum proſtituat. *L.* 92. *d. C. & D.* ſi agnoverit quod ipſi relictum eſt, eó modo ut emancipet filium. Si pecuniam acceperit pro emancipatione. *L.* 32. *& ſeqq. de Adoption. l.* 3. §. 6. *d. minor, ubi*, ſi impubes ſuo damno ſit arrogatus.

15. Sunt alii caſus duo, quibus ipſo jure patria poteſtas tollitur, Inceſtuoſa patris digamia *N.* 12. *c.* 2. & expoſitio infantis *l.* 2. *C. de Infant. expoſ.*

16. Denique, per Europam hodie totam fit emancipatio tacita per matrimonium conſenſu patris initum; & II. multis locis per ſeparatam habitationem vel negotiationem, quo facit *l.* 1. *C. de patr. pot.* Alicubi etiam ætate 25. annorum. Prior modus viget ſolus in Friſiâ.

TIT. XIII.
De Tutelis.

DIctum eſt de his, qui ſunt alieni juris; perſonæ ſui juris ſunt omnes, qui nec dominum nec patriam poteſtatem agnoſcunt, *pr. I. de his qui ſui vel al. jur.* & hi patres ac matres familiarum, licet ἄτεκνοι & infantes ipſi, dicuntur *l.* 4. *Eod.*

2. Atque hæ perſonæ ſunt vel in Tutela vel in Cutâ vel neutro Jure tenentur *pr. h. t.*

3. Pro-

3. Proinde pupilli sunt etiam sui juris & suæ potestatis, etsi Tutela & Cura, verbis late sumtis, recte potestates dicantur §. 1. *h.*

4. Tutela est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se ipsum defendere nequit, jure civili data & permissa *d.* §. 1.

5. *Vis* significat facultatem quasi in actu primo & *Potestas* idem in actu exercito; sæpe junguntur hæc vocabula § 3. *l. de Interd. l.* 17. *d L.L.* Tacit. 2. *hist.* 39. & 3. *hist. c.* 11.

6. Verba, *in capite libero*, magis ad pupillum quam ad tutorem spectant, sicut & Gellius *l.* 5. *c.* 19. & Ulpian. *tit.* 11. §. 4 ea de pupillo usurpant, more loquendi antiquo *in capite*, *in eo*, pro *in caput*, in *eum*. Tamen & tutori convenire possunt.

7. *Juris civilis* est sane Tutela sed mixti *arg.* §. *pen. I. de Attil. Tut.* at quædam species jure civili *permittantur* dari; quædam species immediate ab *jure civili*, hoc est, lege *datur*, quæ *legitima* dicitur *d.* §. 1 *in fin.*

8. Sunt enim tres omnino Tutelæ species, Testamentaria, Legitima & Dativa; quas ordine explicabimus, ut heic & in ff. occurrent.

6. Testamentaria Tutela rursus separanda videtur in propriam & impropriè dictam.

10. Propria, quando Pater filio impuberi, quem habet in potestate, dat tutorem, testamento vel codicillis, testamento confirmatis §. 3. *h. t. l.* 3. *d. Testam. Tut.*

11. Ejus igitur fundamentum est Patria potestas, qua deficiente, cessat Tutela testamentaria §. 3. *h. t.* quod interpretatione JCtorum ita acceptum est, nam lex XII. tab. cuilibet testatori hoc jus largiebatur *l.* 120. *d. V. S.* dixi *l.* 3. *Digress. c.* 3.

12. Impropria vero nunc dicitur, cum pater filio emancipato, vel mater, aut quilibet extraneus pupillo heredi à se instituto dat tutorem in testamento, ad res illas hereditarias *l.* 4. *d. confirm. tut. l.* 4. *d. testam. Tut.*

Tut. ubi hæc ſpecies magis in rem quam in perſonam competere dicitur.

13. Triplex eſt differentia inter propriam & impropriam Tutelam. I. Illius fundamentum eſt patria poteſtas, in hac teſtator non habet in poteſtate pupillum, cui dat tutorem, *ut dictum.*

14. II. In impropria, pupillus heres inſtituendus eſt, propria poteſt etiam dari filio exheredato *d. l.* 4. *d. teſtam. tut.* quod tamen vix habet uſum, poſtquam exheredatio non niſi ob certam ingratitudinis cauſam valere cœpit. Reſponſiones ad *l* 73. §. 1. *d. R. I. l.* 53. *d. V. S. l.* 26. §. *ult. d. Teſtam. Tut.* vid. *ad tit ff. de Teſtam. tut.*

15. III. Tutores proprie dati immediate à teſtatore proficiſcuntur, nec indigent ullâ confirmatione Magiſtratus *l.* 7. *de Teſtam Tut.* ſed impropriè dati à Magiſtratu ſunt confirmandi *l.* 1. & 5. *d. confirm. tut.*

16. Scilicet, jure civili confirmatio Tutorum non fit à Magiſtratu, niſi cum datio ſecundum requiſita Juris facta non eſt *d. l.* 1.

17. Hoc eſt, cum deficit unum ex illis, quæ continentur in definitione Tutelæ proprie Teſtamentariæ 1. ſi teſtator non habeat in poteſtate pupillum. 2. ſi datio facta ſit in codicillis non confirmatis; adde 3. ſi tutor datus ſit verbis precativis *d. l.* 1.

18. *Moribus* hodiernis, quilibet Tutores teſtamento dati à Magiſtratu confirmantur, inſtituto magis praxeos quam jure certo.

19. Avus dat quoque tutores nepotibus, ſi, mortuo avo, non ſint recaſuri in Patris ſui poteſtatem; quia tum patria poteſtas excludit tutelam §. 3. *h pr. d. his qui ſui vel al. jur.* hoc hodie non habet uſum, quia caret avus poteſtate patria, ut dictum plus ſemel.

20. Tutor datus liberis aut filiis, etiam Poſtumis, qui adhuc ſperantur naſcituri, datus intelligitur §. 4. *h. §. f. tit. ſeq.* quia pro jam natis habentur, quoties de ipſorum commodis agitur *l.* 7. *l. pen. d. ſtatbom.*

hom. In legatis tamen aliter ſe res habet *l.* 17. *d. legat. I.*

TIT. XIV.

Qui Teſtamento Tutores dari poſſunt.

DAri poſſunt Tutores teſtamento quicunque non prohibentur, de quibus *in tit. de Excuſ. Tut.* etiam filiifam: quia patria poteſtas in publicis cauſis, ut eſt tutela, non attenditur *l.* 9. *d. his qui ſui vel al. jur.*

2. Quin & ſervus, non qua talis, ſed ut libertatem expectans dari poterat §. 1. *h. t.*

3. Quod magis mirere, furioſus & minor annis 25. ipſi curatorum indigi, tutores dari poſſunt, verum non adminiſtrant, niſi reſipuerunt, vel majores facti ſint; interim alius eorum loco datur Curator §. 2. *h. l.* 10. §. 7. *de Excuſ. tut.*

4. Præterea habes heic tres regulas. I. Tutela teſtamentaria recipit diem vel conditionem §. 3. *h.* non legitima, quia lex nihil adjicit; neque dativa, ex ratione *l.* 77. *d. R. I. quia eſt actus legitimus.*

5. II. Tutor non poteſt dari certæ rei vel cauſæ, quia datur perſonæ & conſequenter toti patrimonio ejus §. 4. *h.* vide quæ diſputavimus *l.* 3. *Digeſſ. c.* 19.

6. III. Tutor datus *liberis* etiam nepotibus cenſetur datus; ſed *filiis* datus ad nepotes non pertinet §. *ult. h.* licet aliquando filii æquè late pateant quam liberi *l.* 14. *ad. Sct. Maced. l.* 84. *d. V. S.* at heic proprietas verborum ſpectatur.

TIT. XV.

De legitima Agnatorum tutela.

TUtela legitima eſt, quæ immediate ex lege XII. Tabb. defertur proximis agnatis, ab inteſtato *pr. h. t.*

2. Immediate, hoc eſt, ſine ullo hominis miniſterio,

ratio, ita ut confirmatione Magistratus non indigeant *l. 5. in pr. de legit. Tut.*

3. At *moribus* confirmatio fit ut est notissima praxis, nisi quod matres aviæque non confirmantur apud nos, multo minus patres, si quando liberos impuberes emancipatos habeant, neque mariti super uxores.

4. *Agnati* sunt cognati per continuas generationes masculas nobis juncti. Per feminas juncti sunt cognati in specie dicti; nam generaliter cognati sunt omnes sanguine juncti. §. 1. *h. l.* 4. §. 2. *d. grad. & affin.*

5. Soli agnati olim erant tutores, quia soli sperabant successionem, ideoque & onus ferre debebant *infr. de Leg. Patr. Tut. l.* 1. *d. leg. Tut.* Prætor etiam cognatos dein admisit ad hæreditates. *l.* 1. *Unde cognati.* In Tutelis tamen nihil mutatum, quia in harum privatione non erat præjudicium; dix. *l.* 3. *Digr. c.* 7.

6. Justinianus tandem in *Nov.* 118. *c.* 4. & 5. differentiam agnatorum & cognatorum non tantum in successionibus, sed etiam in tutelis abrogavit, ita ut nunc sanguine proximi indistincte vocentur *d. cap.* 5.

7. Si plures sint ejusdem gradus, pariter vocantur §. *ult. I. d. cap. dimin.* verum uni maxime idoneo defertur administratio *l.* 5. §. 2. *d. legit. tut. d. N.* 118. *c.* 5.

8. Verba definitionis *ab intestato*, significant, *deficiente testamentaria Tutela*, §. 2. *h.* sive nullus omnino datus est tutor in testamento seu conditione defectus, sive ante testatorem sit mortuus *d.* §. 2. alioqui *intestatus* dicitur is, qui sine testamento jure facto decessit. *pr. I. de hered. quæ ab int. def.*

TIT. XVI.

De Capitis diminutione.

COgnatio, quæ naturali sanguinis vinculo constat, non sine morte potest tolli, sed agnatio tollebatur per capitis diminutionem §. *ult. tit. præc.* Quæ est prioris status mutatio in *deterius*, εἰς τὸ χεῖρον, *ut Theoph.*

2. Nem;

2. Nempe *caput* significat statum, atque hic est triplex, libertatis, civitatis & familiæ; triplex & capitis diminutio, maxima, quæ tollit libertatem; *media*, quæ civitatem; *minima*, quæ jus familiæ mutat §. 1. 2. & 3.

3. Maximam patiuntur, qui servi pœnæ fiunt, ut damnati in metallum & ad mortem omnes *d.* §. *l.* 17. *l.* 29. *d. pœn.* Mediam, quibus aquâ & igni interdictum est, & deportati in insulam §. 2.

4. Minimam, qui adrogantur vel emancipantur §. 3. *h. t.* Opp. emancipati augent suum statum. Resp minuuntur ob imaginariam servilem causam, in quam redigebantur *l.* 3. §. 1. *d. cap. min.* dixi *l.* 3. *Digest. c.* 6.

5. Cum autem imago illa servitutis in emancipatione abolita sit *l. ult. C. de emanc lib.* sequitur, emancipationem non esse jam capitis diminutionem, sed resolutionem simplicem patriæ potestatis, ita ut est dignitas §. 4. *sup. quib. mod. toll. patr. pot.*

6. Cæterum, manumissio servi & ademptio dignitatis non fuit capitis diminutio; quia servi non habent *statum*, neque dignitas ad statum pertinet §. 4. & 5. *h.*

7. Servitus pœnæ quoque abolita est in *Nov.* 22. *cap.* VII. neque deportatio vel aquæ & ignis interdictio est in usu hodierno; Proinde nec ulla capitis diminutio. Nihil hodie in sanguine quam natura spectatur, quo sensu & Emancipati familiam participant *l.* 195. §. 1. *D. V. S.*

TIT. XVII.

De Legitimâ Patronorum Tutela.

PAtroni erant Legitimi Tutores libertorum, quos ante pubertatem manumiserant *pr. h.*

2. Lex XII. tabb. non vocabat eos nominatim ad tutelam, sed tantum ad successionem. Unde Jcti hanc consequentiam duxere, quod & legitimi tutores essent,

sent, quia plerumque ubi successionis est emolumentum, ibi & onus tutelæ esse debet *h. tit. sub. fin. l.* 73. *d. R. J.*

3. Additur, *plerumque*; nam dantur exceptiones, totidem fere, quot personæ prohibentur esse tutores, ut impuberes, surdi, muti, cœci, mulieres & si qui sunt alii, quos *infra* videbimus; nam hi omnes succedere possunt; Mulieres solæ heic in fine allegantur, exempli causâ.

4. Tu hic observa, non tantum ea legibus præcipi, quæ verbis sunt expressa, sed etiam, quæ per idoneam *sequelam* inde concludi possunt.

TIT XVIII.

De Legitima Parentum Tutela.

PAter in filium emancipatum habebat jus Patroni §. 6. *sup. Quib. mod. toll. pat. p.* Proinde, si impuberem emancipasset, erat Tutor ejus Legitimus, instar Patroni *h. pr.*

2. Ejus, quem Pater habet in potestate non est tutor, nec esse potest *arg. pr. I. de his qui sui vel al.* & *pr. d. Tutel.* Sed patria potestas ei tribuit omne jus, quod tutor habere queat & amplius.

3. Nam est administrator bonorum ejus adventitiorum *l.* 1. *C. de bon. mat.* nec inventario faciendo nec rationibus reddendis obnoxius *l.* 6. §. 2. *C. de bon. quæ lib.*

4. Quin & usumfructum habet *d. l.* 6. ut alias dictum, nisi fuerit interdictum, quod fieri potest, vel cum, vel sine prohibitâ administratione, *Auth Excipitur d. tit. de bon. quæ lib.* jus quoque alienandi non habet pater, nisi ex causâ necessitatis *d. l.* 1.

5. Mater & avia sunt etiam Tutrices legitimæ liberorum atque nepotum suorum, ut tamen ne cogantur, sed possunt esse, quatenus abstineant secundis nuptiis & renuntient Sc̃to Vellejano *l.* 2. & *Auth. matri C. Quand. mul. tut. off.* ex *Nov.* 118. *c.* 5. 6. Ju-

6. Jurata renunciatio nuptiarum, quæ olim requirebatur, ob periculum perjurii; in molli sexu, remissa est, *Auth. sacramentum eod. tit.* & renunciatio Sti Vellejani, moribus *hodiernis*, haud ab initio in universum exigitur, sed quotiens usus venit, ut matres pro pupillis intercedere debeant.

7. Per secundas nuptias mater ipso jure tutelâ excidit, aliumque petere debet à Magistratu *d. l.* 2. *C. Quand. mul.* sub pœna successionis amittendæ; si pupillus ante pubertatem moriatur *l.* 3. *C. ad Sc. Tertul.*

8. Pater vero suum jus in bona filii, quod habet ex patria potestate, non amittit ob vota repetita, *sicut* docet *l.* 4 *C. de bon. matern l.* 4. *pr. C. de Secund. nupt.*

TIT. XIX.

De Fiduciaria Tutela.

FIduciaria tutela est, quæ post mortem emancipatoris defertur liberis ejus perfectæ ætatis *t. h. t.*

2. Si pater fuerit emancipator, tum frater pupilli perfectæ ætatis fit tutor fiduciarius; si vero avus emancipaverit, tum fiduciaria tutela defertur ad patrem vel patruum pupilli. *Theoph. hic.*

3 Non est hæc Tutela proprie Legitima, quia Lex XII. Tabb. non vocavit fratres vel patruos neque patres ad successionem emancipatorum, nedum ad tutelam §. *ult. I. de legit. agnat. succes.* Ratio alia redditur à Justiniano in *hoc tit.* sed obscure, quam vide sis, in textu, sicut ratio quoque nominis obscurior est.

4. Hoc caput hodie nihilo majorem usum habet, quam Tit. de Tutela patronorum; quin hodie Legitimæ Tutelæ est una omnino species, cognatorum proximorum, juxta gradus sanguinis; ut dictum *tit.* 15. *n.* 6. & 7.

5. Imo plerisque locis Tutela Legitima absorbetur à Dativa, proximique possunt à Magistratu præteriri atque alii eorum arbitrio magis idonei constitui, ut de

moribus Belgii testatur Zypæ. *not. Belg. tit. de Tut. Stat. Fris. lib. 1. tit. 3.*

TIT. XX.

De Attiliano Tutore.

SEquitur Tutela dativa, aliter Attiliana, quæ, deficiente Testamentaria & legitimâ, datur à Magistratu, non quolibet, sed cui lex eam potestatem dedit, ideoque non est jurisdictionis ordinariæ *pr. h. t. l. 6. §. 2. ff. de Tutel.*

2. Habet etiam hæc species locum, si hereditas diu jaceat, vel Tutor testamento sub conditione vel in diem sit datus, aut ab hostibus sit captus, ut sit, qui tempore intermedio pupillum defendat §. 1. & 2. *h. t.*

3. Potestas dandi tutores *primò* fuit in urbe penes Prætorem urbanum & majorem partem Tribunorum plebis, ex lege Attilia; in provinciis penes Præsides ex lege Julia & Titia *pr. h. t.*

4. Dein fuit in urbe jus hoc penes consules; ab his transiit ad prætores §. 3. tandem substitit in Præfecto urbis & in Prætore, singulis secundum suas jurisdictiones, id est, in personas singulis subjectas §. 4. *h.*

5. In provinciis distinctio fuit. Si facultates pupillorum excederent quingentos solidos sive aureos, hodierno calculo *ducatos*, Præsides ipsi ex inquisitione dabant tutores, si non excederent, Magistratus loci cum Episcopo dabant Tutores §. 4. & 5. *h.*

6. *Moribus*, inter facultates non distinguitur, sed Magistratus cujusque loci secundum suam jurisdictionem dant *Tutores*, ex officio, *vel ad* petitionem propinquorum.

TIT.

TIT. XXI.

De Autoritate Tutorum.

OFficium Tutoris consistit in duobus, in administratione & in *auctoritate*; de administratione agitur in ff. de qua proinde *in loco*.

2. Auctoritas est approbatio ejus, quod pupillus gerit, à tutore præsente, in ipso negotio interposita *pr. h. l. 3. h. t.*

3. Pupillum intellige majorem infantia, hoc est, septennio *l. 14. d. Sponsi.* nam infanti tutor non fit autor, sed agit pro illo, *l. 1. §. 2. d. Admin tut.* ex quo loco discès, ut & *l. 18. Eod.* pro majore infantiâ tutorem habere electionem, utrum exhibere pupillum velit eique autor fieri, an agere pro ipso.

4. Necessaria est autoritas, quoties periculum est, ne pupillus conditionem suam faciat deteriorem; ubi nullum tale periculum subest, ibi nec necessaria est; de majoribus infantia loquimur. *d. pr.*

5. Hinc lucrativæ acquisitiones, licet inscio tutore à pupillo contractæ, valent *l. 11. d. A. R. D.* excepta hereditatis aditione, propter metum damni infidioſi §. 1. *h. t.*

6. Reliqui contractus ultro citroque obligatorii respectu pupilli sunt ipso jure nulli, sed is qui cum eo contraxit à sua parte obligatur; pupillus resilire potest, ipse non potest *d. pr. in fin. l. 13. §. 29. d. Action. empt.*

7. Modus interponendi autoritatem est, ut à præsente Tutore, & in ipso negotio fiat; post intervallum, per epistolam, vel per nuntium interposita nullius momenti est *d. §. 2. l 9. § 5. h. t.*

8. Sic tamen in ipso negotio adhibetur autoritas, ut rem peractam esse oporteat; alioqui approbatio esse non potest. Et hoc est, quod dicitur, *perfecto negotio, in l. 25. §. 4. d. Acquir. hered. quæ solet opponi.*

9. Autoritas *pure* debet interponi *l.* 8. *h.* & à Tutore volente, non invito *l.* 17. *Eod.*

10. In rem ſuam Tutor non poteſt autor fieri; quare ſi litem ipſe cum pupillo habeat, alius ad litem dandus eſt Curator §. *ult. h.* Jure novo planè non fit tutor, cui lis cum pupillo eſt; aut, ſi lis ſuperveniat, Curator ei per omnia adjungitur *N.* 72. *c.* 1. & 2.

TIT. XXII.

Quibus modis Tutela finitur.

MOdi, quibus Tutela finitur, ſunt hi. 1. Pubertas, hoc eſt, ætas annorum 14. vel 12 in fœminis, *pr. h.* nam quod de habitudine corporis inſpicienda hic memoratur, forte nunquam fuit in uſu; dixi *l.* 3. *Digeſſ. cap.* 13. 14. & 15.

2. Mors tam pupilli quam Tutoris §. 3 *h. l.* 16. §. 1. *d. Tutel.* ubi ſola legitima tranſit ad heredes, non qua tales, ſed ut proximos agnatos: inchoata ſaltem negotia heredes, qui poſſunt, perficere debent; multo magis Tutores mortuis pupillis *l.* 5. §. 6. *d. adminiſtr. tut. l.* 21. §. 2. *d. negot. geſt.*

3. Capitis diminutio maxima & media, quæ eſt mors civilis, pupilli vel Tutoris, finit tutelam; §. 1. *h.* etiam minima pupilli; Tutoris minima capitis diminutio finiebat olim legitimam; non hodie, quia nunc defertur cognatis, *N.* 118. *c.* 5. cognatio autem per minimam capitis diminutionem non definit §. *ult. ſupr. de legit. Tut. d cap. dim.*

4. Tutela ad conditionem vel in diem data, exiſtente conditione vel die lapsâ, finitur §. 2. & 5. *h. t.*

5. Cum tutor ut ſuſpectus removetur, vel cum excuſatur, definit eſſe Tutor, §. *ult. h.* Nam etſi excuſatio magis tutelam prævenit quam finire videatur, nemo tamen excuſatur, niſi jam ſit Tutor, & conſequenter ubi definit eſſe Tutor, Tutela finitur *arg. l.* 13. §. 12. *d. Excuſat. Tut.*

6. His

6. Si mutus aut surdus, vel cæcus fiat Tutor, ob hæc vitia deponere tutelam potest *l.* 40 *d. Excus. tut.* etsi tales primum dari nequeant *l.* 3. *C. Qui dar. tut. l.* 1. §. 2. & 3. *d. Tutel*

7. Mente captus tutelam amittit, non furiosus, sed perseverante furore, additur ei Curator *l.* 12. *in pr. d. Excus. Tut.* Pacto non finitur Tutela. *Sand.* 2. 9. 4.

8. Finitâ Tutelâ quid fit pupillo? Post pubertatem datur ei Curator *pr. I. de Curat.*

IX. Post mortem & capitis *diminutionem*, si nullus è testamento supersit, proximus agnatus vocatur; alioqui dativus *l* 11. §. *pen. & ult. d. Testam. tut. l* 3. §. *pen. l.* 9 *de legit. tut.*

10. Post remotionem vel excusationem, *Magistratus* alium surrogat *l.* 11. §. 1. & 2.

11. Idem fit, ubi mater ad secunda vota transierit *l.* 2. *inf. C. Quand. mul. Tut. off.*

TIT. XXIII.

De Curatoribus.

CUra est potestas administrandi res eorum, qui suis rebus ipsi superesse nequeunt; Estque duplex in universum, Rerum duntaxat, aut personarum, una cum rebus.

2. De Curatoribus bonorum hic non agitur, sed in *tit. ff. de Curat. bon.* quando Creditores mittuntur in possessionem bonorum debitoris latitantis.

3. Magis huc pertinent administratores, qui testamento dantur ad curanda bona pupillis relicta, qui jam tutorem habent; talis administratio non est munus publicum, ideoque ad eam invitus nemo compelli potest. Sand. *l.* 2. *tit.* 9. *def.* 11.

4. Sed Cura, de qua heic agitur, rebus quidem datur præcipuè, *l* 8. *C. de Nupt.* personis tamen per consequentiam *l*, 12. §. *pen. d. Administr. tut.* quo *tit.* conjunctim de Tutoribus & Curatoribus agitur.

5. Ea res in Tutela contrà se habet; nam hæc personis datur directè §. 4. *supr. Qui testam. tut.* rebus per consequentiam *d. l.* 12. §. *pen.*

6. Sed Cura, de quâ hoc tit duplex est, puberum & aliorum extra eos. Puberes intellige, minores annis 25. horum Cura præcipuam hujus tit. materiam facit, & convenit cum Tutelâ in his;

7. Utraque munus publicum & necessarium est. Utraque per eosdem magistratus defertur. Utraque in eos competit, qui se suaque ipsi regere non possunt. In utraque locum habet satisdatio, excusatio & accusatio suspecti.

8. Differentiæ sunt plures: 1. ratione divisionis. Tutela dividitur in testamentariam, legitimam atque dativam; Cura non est testamentaria, neque legitima, sed dativa tantum §. 1. *h. t.*

9. Non Testamentaria, quia pater filio puberi non potest testamento præscribere, in id tempus, quo ipse testari poterit *l.* 7. *C. de Testam. tut*

10. Ideo, si quem pater curatorem testamento dederit, is confirmandus est à magistratu; argumento, quod non sit jure datus *d.* §. 1. *h. l.* 1. *d. confirm. Tut. vid. supra. tit.* 13. *pos.* 16. & 17.

11. *Non Legitima*, quia Lex XII. tabb. Tutelam, non Curam posuit; hæc à Jctis ad analogiam Tutelæ reperta, dein à Divo Marco stabilita est, ut probavimus *l.* 3. *Digest. C* 15. & *cap.* 19.

12. *Differentia* II Tutela dativa decernitur in pupillos, etiam *invitos*; Curator invito non datur, præterquam *in litem* §. 2. *h. l.* 13 *ff. d. Tut.* & *Curat. dat. l.* 2. §. *pen.* & *ult. Qui pet. tut. vel curat. l.* 43. §. 3. *de Procur.* ut ex professo egimus *l.* 3. *Digest. c.* 15. & *seqq.*

13. Hi tamen, qui semel accepere Curatorem, ei se non possunt subducere *l.* 1. §. *ult.* & *leg. sequ. d. Minor.* nisi veniam ætatis à Principe impetraverint, quod potest Adolescens XX. & Puella 18. annorum, si frugi se probaverint, ille tribus, hæc quinque testibus *l.* 2. *C. de his qui ven. at. imp.* 14. Dif-

14. Differentia III. Tutor datur perſonæ §. 4. *I. Qui teſtam. tut.* Curator rebus *l.* 8. *C. de Nupt.* ut modo dictum.

15. Hinc Tutoris datio non fit ad certas res vel actus §. 4. *I. Qui teſtam. tut.* Curator ad certos actus ſæpe datur §. 2. *in fin. h.* Tantum ad hæreditatem adeundam tutor neceſſario dandus eſt *l.* 17. §. 1. *d. Appellat.*

16. IV. Tutorem habenti non datur Tutor, at ſæpe Curator §. 5. Rationem hujus & præcedentis poſitionis indagavimus *l.* 3. *Digreſſ. c.* 19.

17. Denique V. tutor ante finem tutelæ non poteſt conveniri, §. *ult. ſupra d. Attil. Tut.* Curator, durante curâ, etiam tenetur *l.* 16. §. 1. *d. Tut. & rat. diſtrah.*

18. Has differentias moribus hodiernis ferè obſoletas eſſe volunt pragmatici, Voet. *ad.* §. 1. *I. h. t n.* 2. quod apud nos haud temere dixerim. tu vide, ſis, Gailium *lib.* 2. *c* 96.

19. Hæc de Curatoribus Minorum: dantur & aliis, ut diximus, extra minores, veluti prodigis & furioſis, qui fuerunt in legitima cura agnatorum, ex lege XII. tab. § 3. *h. t.*

20. Per furioſos intelligendi non modo, qui rabie agitantur, ſed omnes qui nihil intelligunt, licet innocenter, ut docuimus *l.* 3. *Digreſſ. c.* 18.

21. Prodigi ſunt, quibus ob luxuriam bonis interdictum eſt *l.* 1. *l.* 10. *d. Curat. fur.* & pro furioſis, quod ad bona, habentur *l.* 12. §. 2. *d. tut. dat* ut tamen ante interdictionem valeant quæ ab illis acta ſunt *l.* 8. *pro emptore.*

22. Non ſufficit igitur inſania ſumptuum, ut aliquis ſit prodigus, ſed interdictum accedere debet, utique civiliter: formulam interdicti habet Paulus in *l.* 3. *ſent. tit.* 4. §. 7.

23. Finitur hæc Cura, quando furioſus ad ſanam mentem rediit & prodigus decreto Prætoris eſt reſtitutus *arg. l.* 35. *d. R. I.* Sed decreto interpoſito, cura finitur ipſo jure *l.* 1. *d. Curat. furioſ.*

24. Cæterum, etsi olim legitima fuerit hæc cura, postea tamen hoc jure sunt usi, ut pro dativa haberetur, *d.* §. 3. *h. d. l.* 1. juncta *l.* 6. *l.* 15. *eod.* ut tamen agnati plerumque præferrentur *l.* 12. *eod.*

25. Datur etiam Curator mente captis §. 4. hoc est, non integra mente utentibus, quales heic per mente captos intellige, ut pedibus, ut oculis captos dicere solemus, vid. in *d. l.* 3. *Digress. c.* 18.

26 III. Mutis, surdis & perpetuo morbo laborantibus datur etiam Curator *d.* § 4. si petant ipsi; nec enim invitis obtruditur *in l.* 65. § 3 *de Sc. Trebell.*

27. Cæcis curatorem dari nusquam legitur, quia cæcitas facultatem rei agendi minimè sic impedit, ac vitia priora.

28. Postremo datur & pupillis Curator, duobus casibus. 1. Si tutor non malus sed ineptus sit, tum loco remotionis adjungitur ei curator. 2. Ejus loco, qui ad tempus excusatur curator succedit. §. 5. *h. t.*

29. Tutore impedito, Magistratus Actorem, ejus periculo constituere potest, procuratorem ipse non potest, quia constitutio procuratoris titulum dominii requirit *l.* 11. *C. d. Procurat.* non *obst. l.* 6 *pr ff.* & *l.* 4. *C. de. Neg. gest.* at ipse pupillus infantia major, ut dominus, auctore tutore, potest dare procuratorem §. *ult. h. t.*

TIT. XXIV.

De Satisdatione Tutorum

MAgistratus dant tutores vel ex inquisitione, vel cum satisdatione. Inquisitio fit à majoribus magistratibus, satisdatio exigitur à minoribus § *ult. h. t.* & inquisitio semper excludit satisdationem *d.* §. *f.* & *pr. h. t. inf. l.* 8. *d. Curat. fur. l.* 13 *in fin. de Tutor. dat.*

2. Est autem nihil aliud hæc Satisdatio, quam promissio, rem pupilli salvam fore, confirmata per fidejussorem *l.* 1. *Rem pup. salv. l.* 1. *Qui satisd. cog.*

3. Præ-

3. Præstatur hæc satisdatio, inquam, ab iis tutoribus, & curatoribus, qui sine inquisitione dantur à minoribus magistratibus; qui à majoribus dabantur, erant liberi à satisdando *d. §. ult. d. l.* 8. & *l.* 13.

4. Præterea legitimi Tutores satisdabant, exceptis patronis eorumque liberis *l* 5. §. 1. *d. Legit. Tut.*

5. Testamentarii tutores non satisdabant, quia paternum judicium loco inquisitionis atque cautionis est *pr. h. t. l.* 17. *d. testam Tut. l* 7. §. 5. *C. de Curat fur.*

6. Qui Testamento non jure dati confirmantur, si quidem à patre testamento nominati sint, non satisdant; si ab aliis, inquisitione vel satisdatione opus est *l.* 3. & *l.* 4. *d. Confirm. tut.*

7. Quando plures eorundem pupillorum sunt Tutores, & unus eorum se offert administrationi, tum is satisdare debet, licet alioqui liber erat ab hoc onere §. 1. *h.*

8. Cum enim plures sunt tutores, non administrant omnes promiscue, sed unus constituitur administrator, *l.* 3. §. 6. *d. Administr. Tut.* primusque locus datur ei, qui se offert cum satisdatione, isque de culpa leviſſimâ tenetur *l.* 53. § 3. *d. Fur.* cum alioqui tutor ultra levem non præstet *l.* 33. *pr. d. t. de Admin. tut.*

9. Si tamen alius è tutoribus eadem conditione suscipere velit administrationem, hic præfertur *d.* §. 1.

10. Tertius locus ei datur, qui à Testatore designatus est administrator, cui præfertur is qui se offert, propter commodum satisdationis §. 1. *h. l.* 3. §. 1. & 3. *d. Administr. Tut.*

11. Quartus ordo est ejus, qui à majore parte Tutorum eligitur *d. l.* 3. §. 7. & §. 1. *h.*

12. Quinto, Prætor administratorem constituit, si prioribus modis nullus reperiatur; nam posterior ex illis non admittitur, nisi prioribus deficientibus. *d.* §. 1. & *d. l.* 3.

13. Administratore constituto, reliqui sunt Tutores honorarii & Inspectores *d. l.* 3. §. 2. qui tenentur

ad animadvertendum accusandumque administratorem, si male res gerat *l. 1. §. 15. d. Tut. & rat. l. 2. C. de divid. Tut.*

14. Proinde, possunt hi se opponere constitutioni administratoris & petere, ut administratio dividatur, per genera negotiorum, aut per vices, vel secundum regiones. *d. l. 3. §. ult. Tit. C. de divid. tut.*

15. Quæ de administratione dicta sunt, hodieque usum habere possunt; nam satisdatio regulariter non exigitur, sed aliquando, cum judici necessarium videtur. Grot. 1. *introd. 9. in pr.* Sande 2. 9. 9. Voet *ad d. tit n.* 3.

16. Actio vero subsidiaria, quæ dabatur in Magistratus minores, ex eo, quod non exegerant fidejussores, vel saltem non idoneos, §. 2. *h.* moribus hodiernis (modo dolus absit) omnino cessat. *dd. ll.*

17. Vocabatur *subsidiaria*; quia competebat *in subsidium*, quando pupillus indemnitatem à Tutoribus eorumque fidejussoribus adipisci non poterat *d. §. 2. l. 4. C. de Magistr. conven.*

TIT. XXV.

De Excusationibus Tutorum vel Curatorum.

TUtela & Cura, sicut alia munera publica, invitis etiam imponuntur *pr. h. l. 1. d. vacat & excus.* Est enim Tutela munus publicum *dd. ll.* etsi non est munus Reipubl. *l. 6. §. 15. h. t.*

2. Admittitur tamen excusatio propter causas legibus expressas, quæ aut vere sunt excusatoriæ, vel prohibitoriæ. Illarum I. est multitudo liberorum, Romæ trium, in Italia 4. in provinciis quinque (hunc numerum hodie ubique sequimur) si modo sint nati, legitimi, vivi *pr. h. t.*

3. Non prosunt igitur qui in ventre sunt *l. 2. §. 6. h. t.* non adoptivi *pr. h.* non spurii & nothi *arg. d. pr. init.* non mortui, nisi in acie cæsi, quam exceptionem gloria

gloria meretur *fin. pr. h. l.* 18. *h. t.* nepotes repræsentant patrem & sic avo prosunt *d. pr. h. t.*

4. II. Administratio fisci excusat. §. 1. *h.* si per præsentes exerceatur *l.* 8. §. 1. *d Vacat.* Fiscus est pecunia publica, à quo, an & quomodo differat ærarium, diximus *l.* 3. *Digress. c.* 21.

5. Extenditur hæc causa ad res dominicas *l.* 21. *h.* ad conductores & collectores vectigalium *l. un. C. Ne Tut. vectig. cond. l* 12. *C. de Excus.* ad colonos Cæsaris *l. ult. C. Qui Tut. dar. vel Curat.*

6 Non pertinet ad civitates earumque administratores *l.* 15. § 7, *h. t.* nec enim hæ jura fisci habent *l.* 10. *Ad Municip.*

7. III Excusat absentia Reip. causa, liberæ, inquam, Reip. non municipalis §. 2. *h. t. l.* 16. *in pr. h.*

8. Hæc causa tres habet gradus 1. dum absunt, non onerantur nova tutelâ 2. Vetere liberantur, quod ad administrationem. 3. Reversi, à novis habent anni vacationem *d.* §. 2.

9. IV. Potestas excusat §. 3. *h.* hoc est, magistratus major, non ædilitas & similes *l.* 17 § 4 *h. t.* Duumviri, qui apud se majores quoque sunt, perinde excusantur *l.* 6. §. 16. *h.* cujusmodi sunt consules urbium nostrarum. Sand. 2. 9 6.

10. V. Tres tutelæ non adfectatæ excusant §. 5. numerantur autem non pro capitibus pupillorum, sed patrimoniis diversis: aliquando & una sufficit valde onerosa *l.* 3. §. *ult. h.* tres quoque in unius Patrisfam. domo, licet in diversis personis, sufficiunt *l.* 4. § *f. cum l. seq. h. t.*

11. VI. Excusat paupertas. VII. Morbus, si tales sint hæ causæ, ut iis affectos oneri injuncto reddant impares §. 6. & 7 *h. l.* 7. *l.* 10. § *ult. h.*

12. VIII. Imperitia literarum, hoc est, scribendi, quoque excusat, *quamvis*, id est, non obstante, quod *imperiti literarum ad negotia sufficere possint.* Exceptio est in *l.* 6. *in fin. h. t.*

13. IX.

13. IX. inimicitia tutoris cum patre pupilli excusat si capitalis, hoc est, admodum gravis sit, vel etiam levis, si *propter inimicitiam* vexandi causa testamento tutor sit datus §. 9. 11. & 12. *h. t.* Respectu Magistratus haec magis est causa prohibendi *l.* 3. §. 12. *d. susp. tut.*

14. X Ætas septuaginta annis major excusat, ut ea ultimum diem anni 70. attigisse sufficiat §. 13. *h. l.* n *h. t.*

15. XI. Excusat artium quarundam liberalium exercitio, ut Grammaticae, Rhetoricae, Philosophiae & Medicinae § 15. *h. l* 6. §. 5. *h. t.*

16 Imo hodiè Professiones Academicae omnium Facultatum & ludimagisteria excusare videntur; per *l.* 6. *C. de Professor. & Med.*

17. XII. Causa est Tutela gesta, quae excusat a cura ejusdem pupilli, § 18. *h t.*

18. Proponenda est excusatio intra dies 50. *utiles*, id est, ex quo tutor scivit, se esse datum; rursus *continuos*, putatis etiam feriis §. 17. *h. vid infr. tit. de perp. & temp. act n.* 11.

19 Modus excusandi erat olim appellatio ad superiorem, sicut hodieque fit in aliis muneribus publicis *l* 1 §. 1. *d. vac. & excus.* at Tutor jam demum à rejectione causarum, quam judex inferior fecerit, appellare potest §. 16. *h. l.* 1. § 1 *Quand. appel.*

20 Superiores causae omnes sunt verè excusatoriae; sequuntur prohibitoriae: 1 Orbati sensibus prohibentur, tam internis, ut dementes, quam externis, ut caeci, muti, surdi *l.* 1. § 2. & 3. *d. Tutel. l* 3 *C. Qui dar Tut.* & speciatim Sctum Libonianum vetat esse Tutorem, qui se testamento scripserit talem *l.* 29 *d. Test. tut.*

21. II. Minor ætas hodie prohibet *Tit. d. fiduc tut. inf. supr l. ult. C. de Legit Tut.* olim excusabantur minores, sicut alii § 13. *h.* nunc à legitima penitus arcentur *d. l. ult.* ad dativam nunquam admissi fuere; à testamentaria arcentur quoad administrationem, nec

quoad

quoad delationem excusantur §. 2. *supr. Qui testam. tut. l.* 10. §. 7. *d. Excusat.*

22. III. Lis Tutoris cum pupillo prohibet, olim haud simpliciter §. 4. *h.* imo & causa litis, crediti scilicet aut debiti; ut adeo creditor passus se tutorem dari, credito suppresso, jus suum amittat & debitor solutione facta non liberetur *Nov.* 72. *c.* 1. & 2. Excipiuntur Parentes utriusque sexus *Auth. ad hæc C. Quand. mul. tut. off. ex N.* 94. *c.* 2. Sand. 2. 9. 2.

23 Quod si Pater in testamento & Magistratus in tutore dando causam debiti sciverit & liquidam esse cognoverit, ita fere observatur, ut tum nulla prohibendi causa intelligatur. Sand. *l.* 2. *t.* 9 *d.* 1.

24. IV. Militia prohibet à tutela atque Curâ, quia milites pupillos & Rempubl. simul tueri nequeunt §. 14. *h. l.* 4. *C. Qui dar Tut* sed inquilini castrorum excusari dicuntur in *l.* 17. §. *ult. h. t.*

25. V. Clerici prohibentur, legitima saltem Tutela Presbyteris & diaconis permissa. *Auth. Presbyt.* §. 1. *l.* 1. *tit.* 9. *def.* 7. presbyteri & diaconi nihil habent præ aliis, moribus nostris.

26 VI. Maritus prohibetur à cura uxoris *l.* 2 *C. qui dar. tut l.* 14. *d. Curat. fur.* quanquam abusive excusari dicitur in §. 19. *h. t.* licet *se immisceat*, ait textus; atqui excusatio proprie dicta per immixtionem quasi renuntiata, amittitur *l.* 17. § 5. *h. t.*

27. *Moribus* Hodiernis vir est Curator ferè legitimus uxoris, etsi non tam Cura sit, quam jus maritalis potestatis. In bonis tamen receptitiis, quæ mulier sibi soli quandoque retinet, prohibitio juris civilis adhuc usum habere potest, opinor.

28. Tot causæ prohibendi & excusandi graves sunt memoriæ; ligemus eas metro, animi gratiâ.

Si nati sunt quinque tibi, si publica causa
Distrahit absentem, vel fisci cura, potestas,
Aut triplex tutela gravet, longove labores
Morbo, paupertasque premat, vel cana senectus,

Scri-

Scribere ſi rudis, aut inimicus; Paſtor & acta
Jam Tutela, Schola excuſant. Sed vir, minor annis,
Creditor, orbari ſenſu mileſque, vetantur.

Loco prohibiti clericatus poſuimus Paſtorem excuſatum, ut habet uſus noſter.

39. Omnes hæ cauſæ pertinent ad Tutelas noviter delatas, non ad eas, quæ pridem ſuſceptæ ſunt. Dantur tamen cauſæ, propter quas etiam veteres Tutelas deponere licet, petendæ ex *l.* 11. §. 2. *d. minor. l.* 12. §. 1. *l.* 15 §. 3. *l.* 40. *h. t.* & ſunt in his verſiculis;

Quem Princeps migrare jubet, partemve Senatus
Conſiliive ſui fecit, qui cœcus & æger
Mutus vel ſurdus, qui publica trans mare curat.

30. Denique conveniunt hæ cauſæ cujusvis generis tutoribus §. 16. *h.* etiam legitimis *l.* 20. *l.* 30. §. 2. *h. t. l.* 3. §. 8. *d. Legit. tut. l.* 1. *C. de Legit. tut. l.* 4 *C. Qui dar. tut.* licet diſſentiant Cujacius & Giphanius ad *d.* §. 16.

31. Clauditur hoc caput ſanctione adverſus eos, qui falſis, ſeu jure ſeu facto, cauſis excuſationem impetrarunt. Nam hi periculo Tutelæ nihilominus obligantur §. *ult. h. l.* 1. & *ult. C. Si falſ. allegat.*

TIT. XXVI.
De Suſpectis Tutoribus.

TUtor eſt loco Patris & domini l. 27. *d. admin. Tut.* nec rationes ante finem Tutelæ ab eo exigi poſſunt §. *ult. d. Attil. tut.* quod ne pupillo ſit noxium, lege XII. ſuſpecti accuſatio prodita eſt. *in pr. h.*

2. Cognitio tamen hujus criminis cuilibet Magiſtratui tribunal habenti competit, ſine lege ſpeciali, adeo ut etiam mandari poſſit, §. 1. *h. l.* 1. §. 4. *h. t.* ſecus ac de Tutoris datione dictum *ad tit. de Attil. tut.* magiſtratus municipalis non habet hanc cognitionem *l.* 1. §. 11. *ad. Sc. Turpill.*

3. Poſſunt quidem cujuſvis generis Tutores accuſari;

ſari; attamen legitimis, utpote agnatis pupilli, hactenus parcendum, ut potius adjungatur eis Curator cum interdicto adminiſtrationis, quam ut removeantur *l.* 9. *h. t. l.* 4. §. 3. *eod.* idem fere de Patrono, tutore liberti ſui, monetur in §. 2. *h* & *d. l.* 9.

4. Admittuntur ad accuſandum quilibet è populo, etiam fœminæ pietate ductæ §. 3. unde *quaſi publicum* dicitur ibi judicium; nam verè publicum eſſe non poteſt, quia ne criminale quidem eſt, niſi cafibus exquiſitæ fraudis, quos habes in §. 10 & 11. *h. t.*

5. Impuberibus in ſuos Tutores hæc accuſatio, quæ puerilis non eſt, negatur; conceditur puberibus in ſuos Curatores, communicato cum neceſſariis ſuis conſilio §. 4. *h t.*

6. Quin & ipſe Magiſtratus ultro Tutores, detecta perfidia, removere poteſt & debet *l.* 3. §. 4. *h. t.*

7. Removetur, inquam, ſuſpectus, qui non *ex fide gerit tutelam* § 5 *h.* ὃς μὴ πιςότατος διοικεῖ; *qui non fideliſſime gerit*, ait Theoph. non tantum igitur, qui fraudulenter, ſed & qui *ſegniter l.* 3. §. *pen.* & *ult. h.* etſi talibus Curator fere adjungitur §. *pen. ſupr. de Curat.*

8. Dantur caſus; quibus Tutor, antequam incipiat tutelam gerere, poteſt removeri §. 5. *h.* I. Si dolo gerere diſtulerit *l.* 3. *C. h. t.* II. Si contumaciter noluerit, neque fecerit copiam ſui, tum mittitur pupillus inſuper in poſſeſſionem bonorum ejus, ut inde alatur §. 9 *h. d l.* 3.

9. III. Caſus eſt, ſi nolit ſatisdare *l.* 3. *C. de Tut. qui ſatis non ded.* licet ſolvendo *d.* §. 5. *h.* imo licet ob paupertatem fidejuſſorem invenire nequeat §. *ult. h.* ſed tum *ſalvâ famâ l.* 2. *d. t. C. de Tut. qui ſat. non ded.*

10. Paupertas alioqui non eſt cauſa removendi *d.* §. *ult. h.* ſicut divitiæ non eximunt tutorem accuſationi, licet offerat fidejuſſorem; nec enim id remedii ſufficit adverſus inſidias ſuſpectæ infidelitatis *d.* §. *ult.*

11. Effectus accuſationis eſt, quod ſtatim, pendente

dente judicio, interdicitur administratio §. 7. *h.* & quod remotus ob dolum fit infamis, ob culpam non æque §. 6. *h. t.*

12. Dolus est omne malignum alterius lædendi consilium; Culpa est inconsultum peccatum, hujus tres sunt species, lata, levis & leviſſima.

13. Lata culpa est negligentia ejus, quod omnes servant *l.* 223. *pr. d. V. S.* Levis est negligentia ejus, quod idoneus Paterfam. facit *l.* 33 *pr. d. admin. tut.* Leviſſima est omiſſio exactiſſimæ diligentiæ *l.* 1. §. 4. *d. O. & A.*

14. Culpa simpliciter posita sæpius de levi intelligitur *l.* 1. §. 35. *Depos. l.* 5. §. 2. *Commod.* lata culpa in civilibus causis pro dolo habetur *l.* 226. *d. V. S.* etiam ubi pœna pecuniaria *l.* 1. §. 2. *Si is qui testam. lib.* vel infamia est. *l.* 11. § *f. d. his qui infam. l.* 32 *Depos.*

15. Cum hoc tamen temperamento; si reus in suis negotiis diligentior fuerit. Nam si in propriis æque socors sit, dolus argui nequit *d. l.* 32.

16. Secundum hanc distinctionem, Tutor ob latam culpam remotus modo fit infamis; modo non fit, ac ita cape *d.* §. 6. *h.*

17. Denique, si pendente judicio Suspecti, Tutela finita fuerit, hoc quoque judicium finitur. §. 8. *h. l. pen. h. t.*

15. *Moribus*, hæc accusatio directè vix usurpatur; sed propinqui pupillorum rationes exigere possunt, cum ex usu ipsis videtur, eâque occasione fides administrationis exploratur. Posset & Procurator Generalis directè accusare; nec non magistratus ex officio, ut dictum & memini factum, imo & quilibet alius, ut videtur.

LIB.

LIB. II.

TIT. I.

De Rerum divisione & acquirendo earum Dominio.

Secundum Juris caput sive objectum, quod est de Rebus, habet duas partes, de Dominio & de Obligationibus, præmittuntur divisiones Rerum, quarum prima est, quod Res sint vel in Patrimonio, vel extra Patrimonium. *pr. h. t.*

2. In *patrimonio*, seu quod idem, in bonis est, quicquid aut peti per actionem aut retineri per exceptionem potest; reliqua sunt extra bona *l.* 52. *d. A. R. D.*

3. Neutrius generis nullæ videntur esse res; nam & servitutes sunt in bonis *arg.* §. 2. *I. de Action. juncta d. l.* 52. nihil turbante *l.* 1. *de usufr. leg. vid. prælect.*

4. Altera divisio; Res sunt vel communes, vel publicæ vel universitatis, vel nullius, vel singulorum *d. pr.*

5. Communes sunt, quarum proprietas & usus ad totum genus humanum pertinet, ut aër, aqua profluens, mare & littus maris, quod publicum dicitur in §. 5. id est, commune, *sicut mare*, ut ait textus; denique teræ bestiæ, volucres, pisces. §. 12 *h.*

6. Publicæ res dicuntur, quæ sunt in patrimonio populi liberi, sed usu omnium hominum *l.* 14. *d. A. R. D.* veluti flumina & portus, in quibus cuilibet piscari liberum est §. 2. *h.* nisi quatenus id lege municipali circumscriptum.

7. Dantur & aliæ res publicæ, quarum usus non

patet omnibus, ut res fiſci atque ærarii; ſed de iis hic non agitur, cum ad jus publicum ſpectent.

8. Proprietas riparum eſt eorum, qui agros habent propinquos, ſed uſus eſt publicus, ut explicatur in §. 4 *h.*

9. Ripa autem eſt, ex quo terra à plano vergere incipit uſque ad aquam *l.* 3 *in fin. de Flum.* littus, quo hybernus fluctus maximus excurrit §. 3, *h.*

10. Res univerſitatis ſunt; (quæ & publicæ abuſive *l.* 17. *d. V. S.*) quarum proprietas pertinet ad univerſitatem; quæ eſt corpus hominum, quod nec liberæ Reip. nec familiæ nomen habet, ut ſunt collegia artificum, Academiæ, pagi, oppida, provinciæque majoris Imperii. § 6. *h.*

11. Harum res diſtinctæ ſunt à rebus ſingulorum, idque effectum habet in teſtimoniis dicendis, in ære alieno contrahendo aliiſque *d.* §. 6. *l.* 7. §. 1. *Quod cujuſque univerſ. nom.*

12. Res nullius ſunt, quæ commercio hominum ſunt exemptæ, ut res ſacræ, religioſæ & ſanctæ §. 7. *h.* alio ſenſu communia dicuntur eſſe *nullius*, quatenus adhuc á nullo in dominium ſunt redacta, poſſunt autem redigi ſemper §. 5. hæ, de quibus eſt in §. 7. non poſſunt.

13. Porro, res ſacræ ſunt, quæ rite per Pontificem Deo ſunt conſecratæ, ut ædes ſacræ, altaria, donaria §. 8. *h.* ſic Gentiles hic & in *l.* 9. *d. R. D.*

14. Chriſtiani non habent conſecrationes, quæ cærimoniæ ſunt, ideoque, nec res verè ſacras, præter verbum Dei & ſigna gratiæ, quæ *ſacramenta* vulgo appellantur.

15. Sed habent res ſacris uſibus deſtinatas, ut ſunt templa, vaſa ſacrorum, eleemoſynæ, fundi reditusque eccleſiaſtici.

16. In his etiam tenet prohibitio alienandi, exceptа cauſa neceſſitatis aut evidentis utilitatis *d.* §. 8.

17. In verè ſacris erat ſola neceſſitas; caſus autem neceſſi-

necessitatis sunt, redemptio captivorum *d.* §. 8. alimenta pauperum in fame publicâ *l.* 21. *C. de SS. Eccles.* & grave æs alienum Ecclesiæ, *Auth. Præterea eod.*

18. De utilitate habes *Nov.* 119 *c. pen.* & *N.* 120. *c.* 7. ubi prædia Ecclesiastica cum aliis permutari possunt, imo & vendi, si ad Ecclesiam ἀδεμίαν πρόσοδος, nullus prope reditus inde perveniat.

19. Res ab infidelibus consecratæ pro sacris non habentur, sed in fiscum redigi solent *l.* 5. *C. de Pagan.* at quæ à Christianis superstitiosis Ecclesiæ dicatæ sunt, non desinunt Ecclesiasticæ esse, cum ritus emendati sunt; nec proinde in usus profanos converti possunt. *arg. l.* 16. *d. Usufr. leg.*

20 Religiosa loca dicuntur, in quæ mortui sunt illati ab his, qui jus inferendi habent, sepulchra, inquam, §. 9. *h. t.* jus inferendi nemo habet, nisi qui pleno rei dominio potitur, aut ejus consensu *d* §. *in f.*

21. Κενοτάφια, sepulchra inania, sive honoraria non sunt loca religiosa ex rescripto D. Marci, licet antiquis aliter visum fuerit *l.* 6. § *fin d.* & *D.* & *l.* 6. § *f. d. Religios.*

22. *Moribus*, sepulchra sunt in patrimonio & vendi possunt, sicut aliæ res, & fit omni die, quanquam ritu pontificio terra sepulchri consecratur.

23. Sanctæ res sunt, quæ *sanctione*, id est, pœnali constitutione munitæ sunt adversus violatores §. 10. *h. l.* 8. *l.* 9. §. 2. *d. R. D.* ubi exempla, muri & portæ; quarum violatores capite puniuntur; quod tu de urbe Româ cape *arg. l. ult. d. d. R. D.* licet municipales muri quoque sunt sancti *d. l.* 8. §. *ult.*

24. *Moribus* illa pœna est arbitraria & proprietas portarum atque murorum pertinet ad Principem sive Rempubl. liberam, non ad civitates municipales, quas muri cingunt; nam jus *armandiæ*, ut feudistæ loquuntur, quo pertinent muri & portæ, est inter Regalia. *lib.* 4 *Feud. tit.* 56.

25. Sequuntur res Singulorum, quæ pertinent ad

privatos, jure, quod in Re vel ad rem dici, solet; distinctione petita e jure Canonum *c. 8. de conceſſ. præb. in 6. & cap. 40. d. Præb. in 6.* de qua dix. *l. 4. Digeſſ. c. 4.*

26. Jus in Re eſt *Facultas homini competens in rem, ſine reſpectu ad aliam perſonam*: Unde producit actionem adverſus quemlibet, ubicunque res extet. Grotius id vocat *beheeringe l. 4. Introd. c. 1. §. ult.*

27. Jus ad rem eſt, *quo alius nobis tenetur ad dandum aliquid vel faciendum*, unde naſcitur actio adverſus eum qui nobis eſt obligatus ejusve heredem, non contrà tertium, Grotio *inſchult. d. loc.*

28. Juris in Re quatuor ſunt ſpecies, Dominium, ſub quo & jus dominio proximum, Hereditas, Servitus, Pignus. Poſſeſſio à nobis huc non refertur, ut probavimus *l. 4. Digeſſ. c. 10.* multo minus jus dotis *d. lib. c. 9.*

29. Prima ſpecies *Dominium*, definitur, Jus de re corporali perfectè diſponendi aut eam vindicandi, niſi lex vel conventio obſiſtat. *Mynſing. ad pr. h. t.* Alii brevius, eſt *jus*, aiunt, *quo res eſt noſtra*, minus plene & minus clarè.

30. Nec enim quælibet res ſunt in dominio, ſed corporales tantum *l. 4. in pr. comm. divid.* Incorporalium in *tit. Inſt. & Pand. de A. R. D.* nulla fit mentio. Male igitur ſtatuitur dominium ſervitutis, poſſeſſionis ac obligationis: ſervitus dominio opponitur *l. un. §. 3. d. Remiſſ. l. 43. in f. de Furt.* ſicut & poſſeſſio *l. 3. d. uſucap. Rubr. ff. de A. R. D. & de Acquir. poſſ.* & obligatio *l. 3. pr. d. O. & A.*

31. Improprie tamen, ut fit, dominii vox latius extenditur. *l. 70. §. f. d. V. S. l. 48. d. hered. inſt. l. 3. inf. Si uſusfr. pet. l. 15. §. 8. quod vi aut clam. vid. quæ dix. l. 3. Digeſſ. c. 6.*

32. Virtus dominii conſiſtit in duobus, in adminiſtratione & alienatione; quæ cum utraque libera eſt, diſpoſitio *perfecta* appellatur. Quomodo lege vel pacto libertas illa minuatur, in *loco* dicemus.

33. Di-

33. Dividitur dominium in plenum & nudum; plenum, cui uſusfructus adeſt; nudum, à quo ſeparatus eſt *l.* 1. *quib. mod. uſusfr. amitt. l.* 4. *d. Alim. leg.*

34. Rurſus dominium diſtinguitur in directum & utile, *ſic vulgò.* Directum, quod habet dominus emphyteuſeos & ſuperficiei, denique *feudi.* Utile, quod habent emphyteutæ, ſuperficiarii & vaſalli. Termini non ſunt Romani; res tamen ſignificatæ non ſunt à jure alienæ: Videbimus in loco.

35. Hæ ſunt diviſiones rerum; ſequuntur *modi*, quibus dominium acquiritur, quos à *cauſis* dominii acquirendi diſtinguimus.

36. Modos vocamus ejusmodi actus, quibus dominium immediate ponitur; Cauſæ ſunt tituli, unde oritur dominium, ut emptio, ſtipulatio, donatio & ſimiles.

37. Modi ſunt vel juris Gentium, vel juris Civilis. §. 11. *h.* de prioribus agitur in *hoc tit.* de civilibus *infrà* videbimus.

38. Juris Gentium modi ſunt ſex, *Occupatio*, *Acceſſio*, *ſpecificatio*, *Commixtio* ſive *confuſio*, *Fructuum perceptio* atque *Traditio.*

De Occupatione.

39. Occupatio eſt Apprehenſio rerum, quæ nullius ſunt, cum animo ſibi habendi.

40. Debent eſſe res, quæ apprehendi, & *cuſtodiæ coërceri* queant, ut ait textus *in* §. 12. 14. & *ſeqq.* cujusmodi res non ſunt aër & mare, niſi quatenus accedunt terris *l.* 3. *Digr. c.* 13

41. Poſſunt igitur occupatione fieri noſtræ feræ beſtiæ, volucres, piſces; item littus, aqua marina profluensque, denique res pro derelictis habitæ §. 46 & 47. *h.*

42. Cauſa res illas acquirendi eſt communio, quam genus humanum habet in res à nemine apprehenſas, quæque vult, ut *quod ante nullius fuit*, *occupanti concedatur*,

datur, idque *naturali ratione d.* §. 12. h. e. tacito generis humani consensu. dix. *b l.* 4. *Digr. c.* 12 & 13.

43. Momentum acquirendi consistit in apprehendendo, non in spe apprehensionis; nam etsi tu feram persecutus jam vulneraveris, alius tamen intercipiens eam, fit dominus § 13. *b.* salva tibi actione contra intercipientem, *als onheuslijk jagende*, sicut ait Grotius *lib.* 4 *jur. Holl. c.* 4.

44. In apibus idem juris est, quod in cæteris animantibus; cedunt occupanti, licet in fundo alieno dominoque *invito* captæ; nam is quidem habet jus prohibendi, ne quis in suum fundum intret, habetque actionem injuriarum, si quis secus faxit *l.* 13. *d injur.* sed acquisitio feræ procedit, quia perinde nullius sunt, quæ in alienis quam quæ in propriis fundis capiuntur *d.* §. 12. & 14.

45. Pavones & columbæ habent quoque feram naturam, etsi consuetudinem redeundi servent; at vero tum pro mansuetis habentur neque fiunt occupantium, prius quam desierint ire atque redire § 15. *b.*

46. Non magis quam gallinæ & anseres, in quibus utpote mansuetis furtum committitur; anseres tamen & feri dantur, olim quoque gallinæ tales fuere §. 16 *b.*

47. Amittitur dominium feræ, quando custodiam rursus evasit, ita ut è conspectu nostro, & difficilis persecutio sit *d.* §. 12. & §. 15. *in fin. h.*

48. Res hostium fiunt etiam occupantis, §. 17. *h. t.* modo quis *suo nomine* rem apprehenderit; quod est commune requisitum omnis acquisitionis; nam qui alieno nomine celebrat actum acquirendi, non sibi, sed alii acquirit *l.* 13. *in pr. d. A. R. D. l.* 1. §. 19. & 20. *d. Acquir poss.*

49. Hinc milites qui stipendia faciunt, res ex hoste captas non faciunt suas, sed ejus, cujus auspiciis militant; nisi quatenus hi prædam illis permittunt, ut fit in excursionibus, aliquando & in prælliis atque in expugnationibus urbium; sed nunquam pro rebus immobili-

bilibus *l.* 20. §. 1. *in fin. d. captiv. & postlim.* Qui prædam sine consensu publico surripiunt, peculatus rei sunt *l. pen. ad L. Jul. pec. v. l.* 51. §. 1. *d. A. R.* D.

50. Res pro derelictis habitæ, id est, abjectæ hoc animo, *ne sint amplius in numero rerum nostrarum*, fiunt etiam occupantium §. 47. *h. t.*

51. Sed res deperditæ cum desiderio recuperandi, licet pro desperatis habitæ, non fiunt inventorum, verum hi retinent inventa, dum veniat dominus, cui *gratis* eas reddere coguntur, aut si lucrandi animo detineant, furtum faciunt §. *ult. h. t. l.* 43 §. 4. *& seq. d. Furt.* adde *l.* 8 §. *ult. Fam. ercisc. & l.* 44. *d. A. R. D.* quæque dix. *l.* 4 *Digress. c.* 26.

52. Idem est in rebus naufragii vitandi causa ejectis *d.* §. *ult. l.* 2. §. *ult. l* 8 *d. L. Rhod.* alioqui abjecta in mare sine Θεῦ βίᾳ, *vi majore* pro derelictis habita censentur. *d. l.* 43. § *pen. d. Furt.*

53. Denique, per occupationem acquiritur *Thesaurus*, qui est vetus quædam depositio pecuniæ, cujus memoria non extat, ita ut jam dominum non habeat *l.* 31. §. 1. *d. A. R. D.*

54. Hic repertus in proprio fundo fit totus inventoris, in alieno dividitur inter dominum soli & inventorem; utique si casu fortuito; nam si datâ opera, inventor non participat. Idem est in fundo publico §. 39. *h.*

55. In loco sacro vel religioso fit totus inventoris *d.* §. 39. *h.* quanquam aliter est in locis publici juris & usus *l.* 3. §. *pen. d. jur. fisci.*

56. Alioqui fiscus nihil juris habet, nisi Thesaurus magicis artibus fit repertus *l. un. C. de Thesaur.* neque è bonis naufragis quicquam juris Fisco vindicari potest *l.* 1. *C. d. Naufrag.*

57. *Moribus* & in thesauros & in res naufragas fiscus sibi jus arrogat *passim.* In Frisia tamen de thesauris nihil novi habemus. De rebus naufragis, magistratibus loci decima datur, tum urinatoribus tertia, reliquum

liquum dominis cedit, aut si non extent, fisco. *Edict.* 22 *Febr.* 1659.

De Accessione.

58. Accessio est modus acquirendi juris Gentium, quo *res una trahit alteram* ut sibi junctam & quasi partem sui.

59. Estque duplex, Naturalis, quam *natura* facit, & Artificialis, quam *homo* facit ad rem.

60. Naturalis exempla sunt, fœtura animalium, Alluvio, Insula in flumine nata & alvei mutatio.

61. *Fœtus* animalium acquiruntur domino genitricis, cujus pars sunt *l.* 1. §. 1. *d. ventr. inspic.* idque tam in servis quam in bestiis § 19. *h.*

62. *Alluvio* est incrementum latens, quod mare vel flumen agro nostro *paulatim* adjicit §. 20. *Avulsio* quando vi maris aut fluminis pars agri alieni nostro *palam* adjicitur §. 21. *h.*

63. Alluvio transfert dominium incontinenti, avulsio tum demum, quando pars adjecta cum agro nostro unita est, actis arborum radicibus aliisve coalitionis signis *d.* §. 21.

64. Cessat in agris limitatis, inque lacubus & stagnis *l.* 12. & *l.* 16. *h. t. l.* 24. §. *fin. d. Aq.* & *aq. pluv.* ut tamen perennes lacus, quales ferè nostri, eodem cum fluminibus jure censeantur. *Sand. l.* 5. *tit.* 2. *def.* 2.

65. Insulæ maris & fluminum sunt eorum accessiones, ideoque marinæ fiunt occupantium, quia nullius sunt §. 22. Natæ in fluminibus sunt ejusdem juris cum alveo, qui detectus pro parte vel totus *primum*, aut *iterum* acquiritur iis, qui proximos habent fundos, §. 13. *h.* nisi agri sint limitati *l.* 1. §. 6. *de flumin.* De scrupulis ad hunc articulum *dix. in prælect. adh. t. n.* 19.

66. Igitur insula, si in medio fluminis orta sit, eorum est, qui utrimque prædia habent; si propior alteri ripæ, ad istos vicinos pertinet. *d.* §. 22. non obstante *l. pen.* §. *fin. h. t.*

67. In-

67. Inundatio, quia temporaria est, non mutat dominium §. 24. *h.* quanquam effectum ejus auferat; sic cape ss *l.* 23. *quib. mod. usufru. amit.* Moribus, decennio ejusmodi agris ferè præscribitur in utilitatem Principis. Grot 2. *introd. c.* 9. Voet *ad* §. 23. *h. t.*

68. Accessionis artificialis species sunt, Adjunctio, Inædificatio, Implantatio.

69. Adjunctionis exemplum est in eo; Qui purpuram alienam suo vestimento adtexit, hic fit dominus purpuræ, sed actione in factum tenetur de pretio & ad exhibendum, attamen si malæ fidei sit, tenetur furti & ad exhibendum. §. 26. *h. t.* idem est in rota vehiculi, in ansa vasis argentei *l.* 6. & *seq. Ad Exhib.*

70. De ædificatione & plantatione est regula: *superficies*, id est, quod solo impositum est, *cedit solo l.* 2. *d. superfic. l.* 44. *d U. & A. l.* 50. *ff. ad Leg. Aquil.* sive quis in suo solo ædificet ex aliena materia sive in alieno solo ex sua materiâ, §. 29. & 30. *h. t.*

71. Priore casu dominus soli fit dominus ædificii, & cujus est materia, manet etiam dominus ejus, verum stante ædificio, non potest eam *vindicare*, per legem XII. *tabul.* ne ædificia destruantur *d.* §. 21.

72. Loco rei vindicationis habet actionem de tigno juncto in duplum, quâ etiam bonæ fidei ædificator tenetur. §. 29. *h. l.* 23. §. *pen. d. R. V. l.* 1. *d. tign. junct.* nec fit ei injuria, quia potest eximendo tignum evitare duplum; duntaxat enim *non cogitur* eximere *d.* §. 29.

73. Qui malam fidem habet, ad exhibendum quoque tenetur in id quod interest, ædificio stante *l.* 1. *pr.* & §. *f. d. tign. junct.* eoque soluto, materia ipsi potest auferri *l.* 2. *eod.* non potest à bonæ fidei ædificatore, modo is duplum præstiterit, ultra quod nullo modo tenetur *d.* §. 29. *in fin.*

74. Qui ex sua materia ædificat in alieno solo, dominum ædificii reddit eum, cujus est solum §. 30. *h.* materia tamen ipsius manet, si *bonam* fidem habuerit; *si malam*, hoc est, si bene sciverit solum esse alienum, materiam quoque perdit, quasi donasset, nec eam,

De Fructuum perceptione.

89. Fructus quidem sunt accessiones fundi respectu domini; sed in §. 35. *h. t.* fructuum perceptio est modus peculiaris. Nam qui non est dominus fundi, perceptione fit dominus fructuum, non propter accessionem, sed ob factum aliquod *l.* 45. *d. usur.* hoc est, ob curam atque culturam *d.* §. 35.

90. Sunt autem fructus naturales vel civiles. Illi, quos natura profert, hi, ex instituto hominum veniunt, ut usuræ, pensiones, vecturæ. *l.* 62. *d. R. V.*

91. *Naturales* sunt iterum vel tales tantum, vel industriales; Prioris generis, poma, pyra, nuces, glandes, ligna, gramen; *industriales*, oleum, vinum, frumentum fœtusque animalium §. 37. *h. t.*

92. Dein, fructus sunt vel extantes vel consumpti, priores iterum pendentes, vel percepti. Pendentes adhuc hærent in solo *l.* 27. *pr. d. usufr.* percepti, qui à solo separati sunt *l.* 78. *d. R. V.*

93. Causa, inquam, acquirendi fructus est factum uræc & culturæ atque perceptio *d. l.* 45. & *d.* §. 35. requisitum necessarium est bona fides *d.* §. 35. & *l.* 25. *d. usur.*

94. Quibus igitur bonæ fidei possessor curam & culturam adhibet, eos percipiendo facit suos adeoque industriales tantum *l.* 45. *d. usur.* ita ex rigore juris, sed mitior sententia naturales eidem concedit, quod in foro sequimur. Sande 3. 15. 1.

95. At fructus adhuc extantes dominus superveniens vindicat, refusis impensis *l.* 22. *C. de rei vind.* consumptos ante litem contestatam bonæ fidei possessor lucratur. *d.* §. 35. *l.* 4. §. 2. *Fin. regund.*

96. Perceptio igitur est causa fructus ac quirendi respectu tertii, absolute, *l.* 48. *h. t.* 78. *d. R. V.* respectu dominii, sub conditione, si consumpti sint *h.* §. 35. *d. l.* 22. *C. d. R. V.* Nec tamen consumptio est causa fructus acquirendi, sed magis effectum juris acqui-

quisiti, & aufert terminos habiles agendi de fructibus *d.* §. 35.

97. Quod tamen non impedit, quominus teneatur de consumptis etiam bonus possessor, quatenus est locupletior *arg. l.* 14. *d. condict. indeb.* §. 2. *verb. eadem circa fructus I. de off. jud.* ut alibi latius. In Foro secus.

98. Malæ fidei possessor nullos fructus, nequidem consumptos lucratur, imo tenetur de non perceptis, quos honeste percipere potuit *l.* 33. *l.* 62. §. 1. *d. R V.*

99. Incipit autem mala fides à scientia *rem alienam esse l.* 23. §. 1. *d. A. R. D.* multo magis à tempore litis contestatæ motæve controversiæ *l.* 25. §. 7. *d. Hered. pet.*

100. Fructuarius etiam percipiendo fit dominus fructuum, si ipse eos perceperit; non percepti, licet maturi ad heredem non pertinent, quia morte extinguitur ususfructus §. 36. *h. t.* sed bonæ fidei possessoris heres pergit in jure defuncti; similiter colonus; nam & ejus heres fructus à defuncto satos percipit, si locatio conductio necdum finita sit *d.* §. 36. *in fin.* hæc plenius aliunde intelliguntur.

De Traditione

101. Traditio est, Translatio rei *corporalis* facta idoneo *titulo* per eum, qui *jus* & *animum* alienandi habet §. 40. & *seqq. h. t.*

102. Non addimus cum Theophilo in definit. *de manu in manum*; nam & res immobiles traduntur: Exhibitio præsens rei vel inductio in fundum aut domum est etiam vera translatio *l.* 1. §. *pen. l.* 3. §. 1. *d. Acquir. poss.* incorporalia non posse transferri natura satis indicat, & mox videbimus.

103. Fieri oportet per eum, qui *jus* & *animum* alienandi habet. Ad jus alienandi requiritur, ut tradens sit dominus & rerum suarum administrator, non sub Curâ *l.* 3. *C. de in integ. restit. min.*

104. An

fita; vel injusta, sicut furum & prædonum *l.* 6. & 15. *l. ult. d. Acquir. poss.* plura *alibi.*

TIT. II.

De Rebus corporalibus & incorporalibus.

SUpereſt adhuc tertia rerum diviſio, quod res ſint corporales vel incorporales; quæ in hunc locum rejecta eſt, ut tranſitum daret ad ſervitutes, quæ ſunt res incorporales.

2. Res corporales ſunt, quæ tangi poſſunt, eæque mobiles vel immobiles, inter illas ſunt etiam res ſe moventes, veluti pecudes; immobiles, quæ loco moveri nequeunt, ut domus & fundi *h. tit.*

3. Res incorporales ſunt, quæ in jure conſiſtunt, ut ſervitus, uſusfructus, actio, obligatio & hereditas, quatenus hæc pro *jure* ſumitur, quo univerſæ res hereditariæ ad nos pertinent, non pro rebus ipſis ſimul ſumptis, licet utroque ſenſu hereditas uſurpetur *l.* 4. *l.* 50. *in pr. de Heredit. pet.*

4. Nummi quoque numerantur inter res mobiles *hoc tit.* & ſunt revera; tametſi alio ſenſu corporalibus opponantur, ſi valorem & æſtimationem publicam conſideres *l.* 46. *d. condict. indeb.*

5. Diſtinctionem in res corporales & incorporales hodie non habere uſum, miror ab Hotomanno & Voetio *ad h. t.* notari. Tu vide contra Peck. *l.* 5. *d. Teſtam. conjug. c.* 30. *n.* 5. Pinell. *l.* 1. *de bon. mat. n.* 24. & *ſeqq.* Santi. *l.* 4. *tit.* 4. *def.* 6. Eſt tamen aliquid hujus rei, quod dicemus *ad. ff. de Rer. diviſ.*

TIT. III.

De Servitutibus.

JUra ſive onera præditorum vocantur *Servitutes.* Servitus eſt jus, quo dominus aliquid in ſuo pati vel non facere debet, in alterius utilitatem. Donel. 9. *comment.* 21.

2. Igi-

2. Igitur natura ſervitutis conſiſtit in patiendo vel in non faciendo, *l.* 15. §. 1. *d. ſervit.* nulla ſervitus eſt ad faciendum, niſi nominatim aliquid facti adjectum ſit, ut in *l.* 33. *d. S. V. P.*

3. Eſt quoque ſervitus in utilitatem ejus, cui debetur; voluptatis ergo non poteſt conſtitui, *l.* 8. *h. t.* nec etiam commercii cauſa *l.* 5. *in fin. d. ſerv. ruſt.* quoniam hæ ſunt affectiones perſonales, ſervitutem vero *non debet homo, ſed res l.* 6. §. 2. *in fin. Si ſerv. vind.* cæterum, per contractus talia concedi nihil vetat. *arg. l.* 13. *pr. Commun. Præd.*

4. Dividitur ſervitus in realem ſive prædialem & perſonalem. Prædialis eſt, quam prædium debet prædio, eſtque vel Ruſtica vel Urbana: illa quæ debetur prædio ruſtico, hæc, quæ urbano.

5. Eſt autem urbanum prædium, *in hac materia*, omne ædificium habens alias ædes vicinas, ſive habitatio ſit, ſive horreum vel ſtabulum §. 1. *h. l.* 198. *d. V. S.* Ruſtica prædia ſunt omnes agri & ædificia ſparſa per agros *dd. ll.* horti domibus juncti pro urbanis habentur *d. l.* 198.

6 Servitutes Ruſticæ ſunt, Iter, actus, via, aquæductus, æquæ hauſtus; pecoris ad aquam appulſus, jus paſcendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ &c *d. pr.* & §. 2. *h.*

7. Iter eſt jus eundi, ambulandi hominis per alterius prædium, etiam ſc. lectica vel equo vehendi. *pr. h. l.* 1. *l.* 7. *l.* 12. *d. ſervit. ruſt.*

8. Actus eſt jus agendi jumentum vel vehiculum *d. pr.* cui etiam iter ineſt *d. l.* 1. *d. S. R. P.* niſi id vetitum ſit *l.* 4. §. 1. *Si ſervit. vind.* Nec obſtat *l.* 1. *d. Adim. leg.*

9. Via eſt jus vehendi & ambulandi *d. p.* & *l.* 1. *d. tit.* & erat latior actu *l.* 8. *l.* 13. §. 2. *d. S. Ruſt.* quia tigna & lapides trahere & haſtam rectam ferre licebat; ſecus in actu *l.* 7. *d. tit.* nec erat via, qua non æque jumentum ac vehiculum duci poſſet; actus etiam e-

rat, qua Jumentum duntaxat *l.* 13. *d. ſervit. inf. l.* 23. *d. S. Ruſt.*

10. Noſtris moribus inter actum & viam vix ulla differentia noſcitur; appellantur conjunctim *reed en drift* & promiſcue uſurpantur.

11. Aquæductus eſt Jus aquam ducendi per fundum alienum; aut ex fonte alieno *d. pr. in fin. h.* nam ſi alius fundi, alius fontis ſit dominus, diverſæ ſervitutes ſunt, perinde ac aquæ hauſtus exponitur in *l.* 3. §. *ult. d. ſerv. Ruſt.*

12. Pecoris ad aquam appulſus, jus calcis coquendæ, jus arenæ fodiendæ in §. 2. *h.* quæque ſunt ſimiles è ſolo verborum auditu intelliguntur.

13. Servitutes urbanæ ſunt, Jus tigni immittendi, oneris ferendi, ſtillicidii vel fluminis recipiendi aut non, altius non tollendi, luminibus non officiendi §. 1. *h.*

14. Jus tigni immittendi eſt, quo vicinus meus pati cogitur, ut meum *tignum*, veluti trabs aut anchora in ſuo pariete requieſcat §. 1. *h. l.* 242. *d. V. S.* id in communi pariete ſingulis jure proprio licet *l.* 12. *Comm. divid.*

15. Oneris ferendi eſt, cum ego pati cogor, ut vicini ædificium meo pariete meave columna ſuſtineatur, cui hoc pactum adjicitur, *paries uti nunc eſt, ita ſit l.* 33. *d. Ser. urb.* quibus verbis ſerviens ad reficiendum parietem tacite obligatur, ad quod alioqui ſerviens non tenetur §. 2. *Si. ſervit. vind.*

16. Servitus ſtillicidii recipiendi, Grotio *drop. l.* 2. *introd. c.* 34. eſt, quando quis aquam de vicini tegulis cadentem in ſuo ſolo excipere cogitur §. 1. *h.* ad quod alioqui jure communi obligatus non erat *l. ult.* §. *pen. Quod vi aut clam.*

17. Fluminis recipiendi ſimilis eſt, niſi quod flumen copioſe & confertim *fluit*, ſtillicidium *caſtat. l.* 30. §. 3. *& ſeqq. d. ſervit. urb.*

18. Non recipiendi fluminis & ſtillicidii ſervitus habet

habet usum, quando lege civitatis quisque vicini aquam de tegulis venientem recipere cogitur; si cui hoc molestum est pati, servitute constituta id evitare potest, ut fit: eáque est non recipiendi fluminis aut stillicidii.

19. Alii servitutem non *recipiendi* vocant, quando tu aquam de tuis tegulis non potes recipere, sed mihi derivandam permittere debes, *Pacius & Mynsing. hic Grotius* eam servitutem vocat *dropvang. d. c.* videtur esse eadem, de quâ in *l.* 2. *d. S. V.* ubi fluminis *avertendi*, *vel non avertendi*.

20. Porro, est Servitus altius non tollendi, quâ quis prohibetur suum ædificium educere, ne vicino officiat *d.* §. 1. *l.* 2. *d. serv. urb.*

21. Absque servitute quilibet in infinitum ædificare potest, etiam cum vicini incommodo, modo nihil quod vicini est attingat, neque distantiam, si qua præscripta, excedat *l.* 9. *l.* 14. *d. servit. urb. l.* 24. *pr. d. Aq. pluv. arc. l.* 8. *C. de. Serv.* heres tamen non potest omnino obscurare lumina domus vicinæ à testatore alii legatæ *l.* 30. *d. Usufr. l.* 10. *in f. d. S. V.*

22. Servitus altius tollendi supponit statutum, de ædificiis non tollendis ultra certam altitudinem sine consensu viciniæ. Est igitur hæc servitus, qua vicinus pati cogitur, ut ego meas ædes altius tollam quam lege liceat *l. pen.* §. 1. *C. d. ædif. priv. l.* 11. *pr. d. S. urb. l.* 1. *C. de serv.* Tacit. 15. *annal. c.* 43.

23. Luminibus non officiendi servitus maxime convenit cum altius non tollendi *l.* 4. *d. S. V. P.* patet tamen latius, quia luminibus etiam aliter quam ædificando potest offici l. 15. *l.* 17. *pr.* & §. 2. *d. t.*

24. Acquirendæ servitutis aliæ sunt *causæ* & alii *modi*, eodem sensu, quo diximus *in tit. de. Rer. divis. n.* 35. & 36. Causæ sunt pactiones, & stipulationes §. *ult. h. t.* Modi sunt cessio in Jure *l.* 39. *d. S. V. P. l. ult. Comm. pred.* patientia usus, *l. f. d. servit.* Præscriptio *l.* 10. *Si servit. vind.* Legatum *l. ult. d. serv. leg. l.* 19 §. 1. *Quemad. serv. amit.*

25. Cessio in Jure, solennitas olim erat res transferendi apud tribunal. *Ulpian. tit.* 19. §. 8. hodiè inusitata Patientia usus fit, cum is qui debet servitutem, patitur, vicinum in fundo suo aliquem actum servitutis instituere *l.* 11. §. 1. *d. publ. act.* quod traditionis instar habetur, ut *supra* dictum. Legati testamenti servitus immediate fit legatarii, sine facto heredis *l.* 19. §. 1. & *l. ult.*

26. Præscriptio intelligitur, cum quis per decem annos aliquâ servitute nec vi, nec clam, neque precario est usus; aliud nihil requiritur; non bona fides, non titulus neque scientia, *d. l.* 10. Quâ in re differt præscriptio servitutum â præscriptionibus aliis, quæ bonam fidem titulumque requirunt *l. un. C. de Præscr. long. temp.* non æquè scientiam *d. l. f.*

27. De modis hisce, non de causis verum est, quod habetur in §. *pen.* servitutes has ideo prædiales appellari, quoniam sine prædiis constitui cum effectu nequeunt; etenim promitti atque legari quidem possunt, antequam prædia existant *l.* 10. *d. Servit. Rust.*

TIT. IV.
De Usufructu.

PErsonalis servitus est, quam res debet personæ, ejusque tres sunt species, *ususfructus*, *usus* & *habitatio.*

2. Ususfructus est Jus, alienis rebus utendi fruendi, salvâ earum substantiâ *pr. h. t.*

3. *Alienis rebus*, nam res sua nemini servit *l.* 5. *Si usufr. pet.* fit tamen aliquando, ut emolumentum ex rebus propriis ususfructus dicatur, & tum est pars dominii *l.* 4. *d. Usufr.*

4 Hinc divisio vulgata in causalem & formalem usumfr. Causalem vocant, Jus capiendi fructus ex rebus propriis; Formalem, jus utendi fruendi rebus alienis.

5. Sed ea non est divisio, verum distinctio vocabuli in diversas significationes: cum enim causalis usus-

fructus

fructus non sit servitus, non potest hic habere σχέσιν speciei.

6. Attamen ususfructus naturaliter inest dominio & rebus, adeo, ut si fundus legetur uni & ususfructus alteri, primus habeat proprietatem cum usufructu, alter in usufructu conjunctus videatur *l.* 10. *d. usufr. ear. rer.* Quod si testator primum velit habere nudam proprietatem, diserte usumfructum deducere debet §. 1. *h.*

7. Aliud est, si herede ex asse instituto, usumfructum fundi Titio legaverit. Nam etsi heres fiat dominus rerum, §. *ult. I. de. Hered. qualit.* tamen legatarius usumfructum habet solus *d.* §. 1. *in pr.* idem juris erit in usufructu omnium bonorum legato. Mantic. *de conject. ult. vol. tit.* 6. *n.* 17. *& seqq.*

8. Verba, *utendi fruendi*, in definitione, significant omne emolumentum, quod ex rebus ullo modo proficiscitur, ad fructuarium pertinere, ita ut ad dominum nihil inde redundet *l.* 7. *in pr. l.* 9. *d. usufr.*

9. Ultimis verbis, *salva earum substantia*, duæ res indicantur. I. Natura rerum, in quibus ususfructus consistit, quas ejusmodi esse oportet, ut substantia earum salva manere queat; nam in rebus quæ utendo consumuntur non potest ususfructus constitui. §. 2. *in pr. & fin h. t.*

10. II. Hæc verba significant officium fructuarii, qui id agere debet, ut substantia rerum salva maneat, proinde, ne consumantur, corrumpantur aliamve in formam transmutentur, *l.* 13. §. *pen. l.* 44. *l.* 61. *d. usufr.* reficere etiam debet, nisi tanta impensâ opus sit, ut derelinquere malit *l.* 64. quod tamen non licet, si culpa ejus res sit deterior *l.* 69. *eod.*

11. Huc pertinet, quod transmisimus ad §. 38. *supr. de A. R. D.* eum, cui gregis usufructus relictus est, in locum demortuarum pecudum alias è fœtibus substituere debere, quo grex integer maneat. Idem in vi-

neis, in hortis, in ſylvis curandum, ut novæ arbores adferantur *d.* §. 38. *l.* 7. §. *ult. l.* 18. *eod.*

12. Diviſio uſusfructus propriè nulla datur; niſi dicere velis, eum eſſe generalem vel ſpecialem; Generalis omnium bonorum; ſpecialis, certarum rerum, & valet generalis, ſi non excedat dodrantis æſtimationem *l.* 29. *d. uſufr.* nec oneret Legitimam *Nov.* 18. *c.* 3.

13. Eſt & alia diviſio ſpuria, quâ uſusfructus aut verus, vel quaſi talis dicitur. Verus conſiſtit in rebus quæ uſu non conſumuntur, tam mobilibus quam immobilibus, atque hic, modo definitus eſt.

14. Quaſi uſusfructus in iis rebus ponitur, quarum uſus conſiſtit in abuſu, ut eſt oleum, vinum, frumentum, omniaque eſculenta & potulenta, denique pecunia numerata. *d.* §. 2. *h. t. l.* 11. *d. Uſufr. ear, rer.* quæ res omnes vocantur *fungibiles l.* 2. §. 1. *d. reb. cred.*

15. Jumenta, Uteníilia, veſtimenta & omnia, quibus ita poſſumus uti, ut in eadem ſpecie reddi queant, ad verum uſumfr. pertinent *l.* 15. §. 4. *d. Uſufr. quemad. cav.* quanquam de veſtimentis in *h.* §. 2. ſecus eſt ſcriptum.

16. Habet omnino ſimilitudinem aliquam uſusfructus veſtium, quin & jumentorum & utenſilium, cum quaſi uſufructu, quia paulatim deteruntur, unde in uſu hodierno parum abeſt, quin jure quaſi uſusfructus habeantur. vid. *l.* 62. §. 1. *d. uſufr.*

17. Conſtituitur iſte quaſi uſusfructus iiſdem modis, quibus verus, iidemque ſunt, quos habuimus *tit. præc. poſit.* 24. & *ſeq.* adeoque etiam inter vivos creari poteſt, etſi plerumque legetur, ideoque legati mentio fiat in *d.* §. 2. *l.* 1. *d. Uſufr. ear. rer.*

18. Uſusfructuarius debet præſtare cautionem tam in quaſi quam in vero uſufructu. In vero bimembris eſt cautio I. ſe uſurum fruiturum boni viri arbitratu, & II. quod inde ſupererit, reſtitutum iri *l.* 1. *in d. t. Uſufr. qu. cav.* in quem finem expedit in teſtatum redigi,

digi, qualis res ab initio fuerit *d. l.* 1. §. 4. In quasi usufr. cavet, se tantundem vel pretium esse restituturum §. *2. h. verſ. itaque. l.* 8. *d. Usufr. ear. rer.*

19. Cautio prædicta pertinet, inquam, ad *essentiam* quasi ususfructus; sed & in vero usufr. exigitur cautio & quidem *necessario*, ita ut nec Testator eam remittere possit *l. pen. C. ut in poss. legat. l.* 1. *C. de Usufr.* licet ab herede equidem negligi possit *arg. l.* 71. *ad L. Falcid.*

20. At illo urgente, negantur actiones hereditariæ tantisper fructuario *l.* 3. *pr. d. usufr. d. l.* 1. *C. h. t.* rebusque ipsis cedere debet, *l.* 7. *pr. Usufruct. quemadm. cav.*

21. Fit hæc cautio per stipulationem, quæ parit actionem quoque ante finem ususfructus *d. l.* 1. §. 1. & 5. firmatur autem per fidejussores, quia prætoria stipulatio (qualis hæc, *d. l.* 1. *in pr.*) requirit fidejussores *l.* 7. *d. præt. stip.* & est satisdatio §. 2. *h. l.* 8. *pr. d. Usufr. ear. rer.* satisdare autem est fidejussores dare *l.* 1. *Qui satisd. cog.*

22. Quod si ob paupertatem fructuarius sponsorem invenire nequeat & homo frugi sit, jurejurando præstito admittendus videtur *arg. N.* 112. *c.* 2. *in fin.* si fluxis sit moribus, ex usufructu fiet Reditus; ita ut proprietarius possideat res, istique emolumenta præstet. Gail. *l.* 2. *observ.* 47. *n.* 8. & *seqq.*

23. Modi, quibus finitur ususfructus, spectant aut verum aut quasi usumfr. Hic aliter non finitur, quam morte, tam naturali, quam civili *d.* §. 1. *verſ. Si morietur aut cap. min.*

24. modi, quibus verus ususfr. finitur, habent respectum ad personam vel ad rem. Personales sunt mors, negligentia, cessio. Reales; Interitus, mutatio, Consolidatio, de his *in* §. *pen. h.*

25. Mors primo naturalis finit usumfr. *d.* §. *pen. in pr.* exceptio est in filiofam. a cujus morte ususfr. in patrem continuantur *l. ult. C. de Usufr.* quod a patre

in filium haud perinde obtinet *l.* 3. *in pr. C. de Usufr.*

26. Alioqui cum usufr. in heredem continuatur, est duplex *l.* 38. §. 12. *d. V. O.* neque tum ultra primum heredem extenditur, nisi triplicem facere voluerint *l.* 14. *C. de. Usufr.*

27. Dein, morte civili finitur ususfructus, hoc est maxima & media capitis diminutione *d.* §. *pen. in pr.* quæ hodiè vix habet usum, ut alias dictum.

28. II. Negligentia consistit in non utendo per modum & tempus; per modum, id est, τρόπῳ βιωτῷ, *Theoph. lege initio dicta*, *non* servatâ; Ex. g. dictum est, ne facies fundi mutetur, ut certo anni, diei tempore colatur, insuper id habitum est, amittitur usufr. *l.* 10. §. 1. *l.* 11. *Quemadm. serv. amitt.*

29. Male utendo nusquam finiri dicitur, sed actio datur è cautione, in id quod interest *d. l.* 1. §. 5. *Usufr. quemadm. cav.*

30. Tempus, quo finitur ususfructus, idem est, quo dominium amittitur *l. pen.* §. 1. *C. h. t.* hoc est, in mobilibus triennium, in immobilibus sunt decem inter præsentes, 20. anni inter absentes, si alius eo tempore sit usus & fruitus *l. un. C. de usucap. transform.*

31. III. Cessio fructuarii cedentis suum jus proprietario finit usumfructum; cedendo extraneo *nihil agitur*, adeoque nec finitur usufr. ut clare docet hic §. *pen. vers. item finitur.* nec est aliud in *l.* 66. *de jur. dot.* unde alii volunt, cessionis extraneo factæ hunc esse effectum, quod ad proprietatem mox redeat; sed hoc non erat, *nihil agere.* Brisson. *de V. S. verb. nihil.* Grot. *lib.* 1. *de jur. b. & p. c.* 4. §. 10.

32. Intelligitur autem cessio in jure, solennis illa, per quam omne jus à cedente in alterum funditus transferebatur, de qua Ulp. *tit.* 19. nam alioqui simplex venditio aliave translatio, quæ jus ipsum penes cedentem relinqui & facultatem emolumenti modo transfert, non est vetita in extraneum *l.* 12. § 2. *l.* 38. *l.* 67. *h. t.*

33. Se-

33. Sequuntur modi reales. I. Rei interitus *d. §. pen. in fin.* at in parte, quæ supereſt, manet ususfr. ſi pars ſit ejusdem nominis cum toto, ut in parte agri ſuperſtite: Si verò pars idem nomen tueri nequeat, ut area poſt domum exuſtam, ne quidem in ipſa manet ususfr. *l. 5. §. 2. usque l. 13. Quib. mod. ususfr. amitt.* aliter eſt in proprietate *l. 49. §. 1. d. R. V.*

34. II. Mutatio rei, quâ res deſiit eſſe quod fuit atque nomen ſuum amiſit, etiam finit usumfr. ut ſi areæ legatæ domus ſit impoſita *d. l. 5. ult.* vel ſi ex maſſa argenti vaſa ſint facta *l. 10. §. 5. d. t. Qu. mod. uſ. amitt.* quod etiam ſecus in dominio §. 25. *d. R. D.* Plura vid. *in d. l. 10. §. 5. & ſeqq.*

35. III. Conſolidatio vocatur in genere, quando proprietas & ususfructus conjunguntur; nominatim, ſi fructuarius proprietatem acquiſiverit §. *pen. ſub. fin. h.* nos ejuſmodi conſolidationem hic intelligemus, quæ ſit ſine facto perſonali, ut cum ususfr. ad conditionem vel ad tempus eſt datus, eaque dies vel conditio exiſtit. *l. 12. C. h. t.*

36 Quomodocunque finitus ususfructus redit in naturalem ſitum, qui eſt apud proprietatem, nempe, Si totus ſit finitus, additur *in §. ult. h.* nam ſi pro parte finiatur, non ſemper ad proprietatem redit, verum accreſcit ei, qui habet alteram partem; utique, Si teſtamento conſtitutus ſit ususfructus, ut *infrà* videbimus.

TIT. V.

De Usu & habitatione.

USus, eſt jus alienis rebus utendi *ad neceſſitatem*, ſalva earum ſubſtantia; in aliis omnibus convenit cum usufructu. Etiam in eo quod cautioni locus ſit in Usu, *l. 5. §. 1. l. 11. D. Quemad. Usufr. cav.* Una differentia eſt, quod usuarius nihil quam quod ad *neceſ-*

ſitatem victus percipit, *l.* 12. §. 1. *h. t.* uſusfructus omne rei emolumentum continet, ut *ſupra* vidimus.

2. Hinc eſt aliud diſcrimen: uſus pars legari nequit *l.* 19. *h. t.* quia neceſſitas in puncto conſiſtit nec dividi poteſt, pro parte quis enim vivat? uſusfructus a. eſt dividuus *l.* 5. *de uſufr.*

3. Tertium, uſus in alium transferri nequit; hoc enim egreditur uſuarii neceſſitatem; uſusfructus poteſt §. 1. *h. t.*

4. Jam prout res ſunt, ita major vel minor eſt differentia inter uſum & uſumfr. In fundis multum diſcrimen, in domibus exiguum, in pecuniâ nullum eſt.

5. Ex fundis olim uſuarius nihil quam olera, poma, flores, fœnum, ſtramenta §. 1. de pecudibus nihil quam ſtercus habebat §. 4. *h.* ſed dein cautum, ut etiam ex oleo, vino, frumento, lana, lacte, butyro neceſſitatem victus habeat *l.* 12. §. 1. & 2. *h. t.*

6. Habitare etiam poteſt in fundo, quatenus domino moleſtus non ſit §. 1. *h.* niſi & uſus villæ ac prætorii ſit relictus; tunc ipſe ſolus verè habitat & proprietarius tantum ad fructus colligendos *l.* 12. *in pr. l.* 15. §. 1. *h. t.*

7. In ædibus vix aliud diſcrimen apparet, quam quod uſuarius non poſſit ædes totas locare, ſed partem duntaxat, cum ipſe in iis habitat *l.* 2. §. *fin. l.* 4. *pr. h. t.* & habitare poteſt cum uxore, cum liberis, cum hoſpitibus, nihilo ſecus ac fructuarius §. 2. *h. t.*

8. In pecunia cæteriſque rebus fungibilibus nihil refert, uſum an fructum dicas vel ſtatuas *l.* 5. §. *ult. l.* 10. §. 1 *d. uſufr. ear rer.* nec in ſylva qui ut habetur in *l.* 22. *pr. h. t.*

9. Operis ſervi aut jumenti legatis, uſus magis quam fructus intelligitur §. 3. Finiturque operarum legatum ſola morte vel uſucapione ſervi *l.* 2. *de uſufr. leg.*

10. Liberi hominis operæ poſſunt quidem legari ſicut res alienæ; 4. *I. de Legat.* ſed minime tanquam ſervitus, quæ non cadit in hominem liberum.

11. De-

11. Denique, Habitatio ponitur ut distincta servitus, nec est aliud, quam jus alienas ædes inhabitandi, salvâ earum substantia. §. 5. *h. t.*

12. Differentia ejus ab usu & usufructu ædium nulla est alia, quam quod Habitatio neque capitis diminutione neque non utendo finitur *l.* 10. *h. t.* quâ in re similis est operarum legato *d. l.* 2. *de usufr.* Ratio est, quia hæc legata magis in facto, quam in jure consistunt. *l. pen. d. cap. min.*

13. Moribus, habitationem non puto distinctum habere exercitium ab usu vel usufructu ædium; nec unquam videre mihi contigit Servitutem *usus* constitutam. vernacula *lijftocht*, *Vruchtgebruick* usumfructum significant & hic est frequentissimus; Habitatio & usus fere absque usu.

TIT. VI.

De Usucapionibus & longi temporis præscriptionibus.

FUere modi, quibus dominium jure Gentium transfertur; in transcursu de superficie & de servitute, quæ sunt duo jura in Re, est actum; sequuntur modi juris civilis, iique vel singulares vel universales.

2. Singulares, quibus singulæ res acquiruntur, iique tres numerantur, usucapio, donatio atque legatum.

3. Usucapio est, adjectio dominii per continuationem possessionis, temporis lege definiti *l.* 3. *de usurp. & usucap.* continuatio, inquam, possessionis per tempus legitimum id efficit, ut dominium rei alienæ nobis acquiratur.

4. Causa ejus justifica est, præsumptio legis, quod dominus rem pro derelicta habuerit; item, securitas publica, ne possessiones antiquæ in infinitum litibus obnoxiæ sint; denique consensus civium, quia lex est communis *sponsio* civitatis *l.* 1. *d. Legib.* Hæc repone Amesio *l.* 5. *de consc. c.* 41. Adde Grot. *l.* 2. *j. b. & p.* 6. 4.

5. Præ-

5. Præſcriptio ab uſucapione ſeparata eſt *in hac rubr.* quia perimit etiam jura & actiones, ut videbimus ad *tit. de perpet. & temp. act.* cum uſucapio ſit rerum corporalium; ſed præſcriptio longi temporis, quod ad res corporales attinet, jure novo nihil ab uſucapione diſcrepat; olim, intererat *l. un. C. de uſucap. transform.*

6. At uſucapio requiſitis aliquot circumſcripta eſt, ſine quibus non tranſit dominium. Ea ſunt quinque. I. Tempus legitimum. II. bona fides. III. juſtus titulus. IV. res habilis. V. poſſeſſio continua *pr.* & §. 7. *hic.*

7. Tempus olim erat, annus in rebus mobilibus biennium in immobilibus. Hodie eſt triennium in mobilibus; in immobilibus longum tempus, i. e. decem anni inter præſentes, 20. inter abſentes, i. e. qui in diverſis habitant provinciis *d. l. un. C. de uſur. transform. pr. h. tit.*

8. II. Bona fides eſt opinio, quâ quis credit, ſe eſſe dominium rei poſſeſſæ *l.* 109. *V. S.* mala fides, conſcientia rei alienæ, licet ſine dolo, ut & in fructuario, creditore &c. §. 4. *I. per quas perſ.* etiam qui errat in jure, malæ fidei habetur *l.* 31. *pr. h. t.*

9. Sufficit autem initio adeſſe bonam fidem, mala fides ſuperveniens non interrumpit uſucapionem ſemel bona fide cœptam *l.* 48. §. 1. *d. A. R. D.* ſecus eſt in fructibus acquirendis *d.* §. 1. *l.* 48.

10. III. Juſti tituli ſunt heic, quibus id agitur, ut dominum transferatur *arg.* §. 5. *in fin. Per quas perſ. c. acquir.* quales ſunt venditio, donatio, in ſolidum & in dotem datio, legatum, derelictio, ut docetur *in tit. ff. pro empt. pro donatio &c.*

11. Oportet autem vere titulus præceſſerit, opinio non ſufficit; nam error falſæ cauſæ non parit uſucapionem, ut ſi rem tibi commodatam dein putes fuiſſe donatam §. *error autem h.* niſi traditio quaſi ex donatione facta ſit, rurſus tamen excepta venditione; nam emptor non uſucapit, niſi vere emerit. *l.* 48. *h. t. l.* 2. *Pro emptor.*

12. IV. Res fiunt inhabiles ad uſucapiendum 1. natura

tura sua. 2. Privilegio. 3. Vitio. Naturâ sua, res incorporales, quæ possideri nequeunt *l.* 43. §. 1. *d. A. R. D.* liberi homines & suo modo, res sacræ, sanctæ, religiosæ §. 1. *h.* res quoque communes *L.* 45. *h.*

13. Ob privilegium eximuntur usucapioni, publicæ res, ut viæ *l* 2. *d. via publ.* res Fisci §. 4. *h.* Res dominicæ *tit. C. ne rei domin.* res Ecclesiarum domuumque miserabilium, quibus tamen obstat 40. annorum præscriptio. *Nov.* 111. *c.* 1. Res civitatium sive Rerump. *l.* 2. *C. ne rei domin.* res pupillorum, *l.* 3. *C. Quib. non obst. l. t. præscr.* minorum *l. ult. C. in quib. caus. in int. rest.* bona adventitia filiorum fam. *l.* 1. *in fin. C. de annal. except.*

14. Ob vitium prohibentur res furtivæ & vi possessæ, ita ut nec à tertio bonæ fidei possessore capi queant, vitio rei inhærente & comitante possessorem §. 2. *h. l.* 11. *C. d. Acquir. poss. l.* 7. *C. Pro empt.*

15. Unde, quia plerumque res mobiles domino subtractæ furto infectæ sunt, usucapio in mobilibus rarior est. Dantur tamen exempla, unum *in* §. *fedtamen* 4. *h.* si heres res defuncti commodatas vel locatas, putans hereditarias esse, vendidit, eas emptor usucapit. Aliud; qui rem juris errore suam esse putans vendit, emptori parit usucapionem §. *Item si is* 5. *h.* plura dari indicat. §. *a liis* 6. *h.*

16. Qui rem immobilem sine vi invadit, ipse quidem ob malam fidem non potest usucapere; sed qui emit ab eo bonâ fide, potest, quia rei immobilis furtum non fit §. *Quod autem* 7. *h. t.*

17. Præscriptione vero 30. annorum res furtivæ quoque & vi possessæ acquiruntur *Auth. malæ fidei C. de præscript. long. temp.*

18. Est quoque vitium, si quid Præsidi contra legem Juliam detur *l. pen. ad l. Jul. repet.* imo quævis prohibitio alienandi, lege vel testamento facta, rem vitio afficit *l.* 42. *h. l.* 2. *C. pro empt. l.* 16. *d. Fund. dot.*

19. Vitium furti & violentiæ purgatur, si res in manus domini redierit §. *aliquando* 8. *h. t.* non igitur redi-

tu

nat, §. 1. *h.* hinc fragilis est hæc species & evanescit tribus casibus.

10. I. Si donator evaserit periculum cujus intuitu donaverat, tunc ipso jure donatio infirmatur *l.* 16. *d. m. c. Donat.* II. Si donator revocaverit. III. Si donatarius ante donatorem sit mortuus *d.* §. 1. *h. t.*

11. His casibus non modo retineri potest quod promissum, sed & repeti quod datum est, condictione vel utili in rem actione; nam ita de genere actionis loquuntur textus in *l.* 29. *cum. l. seq. l.* 35. §. 3. *de donat. m. c. l.* 4. *d. Don. int. vir. & ux.*

12. Donatio mortis causa sub lege, *ne unquam revocetur*, etsi mortis causa appellatur *in l.* 13. §. 1. *inf. l.* 35. §. 4. *donat. m. c.* vim tamen continet donationis inter vivos *l.* 27. *eod.* vel potius mediæ cujusdam naturæ est. *vid. th.* 18. *h.*

13. Donatio inter vivos est, quæ sine respectu ad casum mortis celebratur, §. 2. *h.* eaque vel simplex vel relata dici potest.

14. Simplex, quæ fit ex mera & absoluta liberalitate quæ idcirco *mera* vocatur, *l.* 27. *h.* Relata, quæ fit ob respectum alicujus rei, quo cessante non fieret, ut est donatio remuneratoria, propter nuptias, quæque sub modo vel conditione fiunt §. 3. *h. l. l.* 27. *d. donat. Tit. C. de donat. quæ sub. mod.*

15. Sunt equidem hæ omnes donationis species, quia *χωρὶς ἀναγκης*, nullo jure cogente fiunt, qui est character donationis, *l.* 1. §. 1. *l.* 29. *d. donat. l.* 82. *d. R. I.*

16. Simplices habent hoc præcipuum, quod egredientes summam quingentorum solidorum sive aureorum, sunt actis insinuandæ; alioqui non valent, quatenus eam pecuniam excedunt §. 2. *h. l.* 34. *C. de donat. pen. l. ult. C. eod.*

17. Donationes ante nuptias quoque sunt insinuandæ *dd. ll.* quod mutatum *N.* 119. *c.* 1. Rursus *Nov.* 127. *c.* 2. requirit insinuationem ex parte viri, quatenus lucrum è pactis dotalibus expectat.

18. Do-

18. Donatio mortis causâ, facta sub lege non revocandi, non videtur insinuationis egere *arg. d. N.* 87. *in fin. pr. & cap.* 1. *sub. fin.*

19 Excipiuntur & insinuationi, donationes quæ fiunt Principi vel à Principe, pro redimendis captivis & restituendis ædibus exustis aut collapsis *d.l.* 34. *l. pen. pr.* §. 1. & 2. *C. eod.* Reliquæ ad pias causas factæ non excipiuntur *l.* 19. *C. de SS. Eccles.*

20. Porrò, cum insinuatione potest donari in infinitum, usque ad omnia bona *l.* 35. §. 4. *C. h. t. junct. l.* 3. *C. eod. l.* 17. §. 1. *d. his. Que in fraud. credit.* salvo, ut plurimum, usufructu. *d. l.* 35. *in fin. l.* 28. *C. de Donat.* salvaque liberis Legitimâ *l.* 5. *C. de Inoff donat.*

21. Facta tamen de omnibus bonis donatio simpliciter, non comprehendit futura *arg. l.* 7. *d. Aur. & arg. leg. l.* 22. *d. Donat.* Quid si differte futura comprehendantur? Valetne donatio? Videtur ita. *Wissenb. ad tit. ff. de Don. th.* 11.

22. Donare possunt, qui res suas ipsi administrant, non potest filiusfam. etsi liberam peculii administrationem habet *l.* 7. *pr. d. donat.*

23. Pater quoque filiof. ob vinculum patriæ potestatis donare nequit *l.* 1. §. 1. *Pro. donat* nisi quod in usum militiæ & ob bene merita donatio facta sustinetur *l.* 4. *C. Fam. ercis.* remittere quoque potest filio emancipato dimidium usumfr. *l.* 6. §. 3. *C de bon. quæ lib.*

24. Sed & emancipatione vel morte Patris, non adempto peculio, convalescit donatio *l.* 31. §. 2. *h. t.* damnatione capitis è contra evanescit donatio, suspicione pœnæ facta, non aliàs *l.* 32. §. 7. *d. donat. int. vir. & ux. l.* 1. *d. donat. m. c. l.* 31. §. 3. *d. Donat.*

25. Etiam inter conjuges vetita est donatio, cujus rei causas usum habebimus, ad *tit. ff. de don. inter vir. & ux.*

26. Sed mulier viro suo recte dat dotem, de qua similiter in ff. & vir uxori propter nuptias donat, qua de re in §. 3. *h. t.*

27. Dicebatur olim hæc donatio ante nuptias, hodiè *propter*, quia tam ante quam poſt nuptias contracta fieri poteſt, ſecus ac olim *d. §. 3. l. ult. in pr. C. de donat. ante nupt. Auth. ſed jam eod.*

28. Vocatur & ἀντιδώρημα Græcis, quaſi *dos reciproca*; datur enim in ſecuritatem dotis, nec quantitate major, vel pacto melior eſſe poteſt, ac ſoluto matrimonio redit ad maritum *l. pen. & ult. d. t. C. de donat. ant. nupt. Rurſus Auth. ſed jam. eod.*

29. Diſcrepant, quod dotis & proprietas & uſusfructus ad virum pertinet, donationis propter nuptias uſusfructus uxori non datur, quia non ut vir, ita mulier fert onera matrimonii *l. 29. C. de jur. dot.* dominium tamen, ſi traditio fiat, ad uxorem tranſire potest, per *l. ult. in pr. d. t. C. de don. a. nupt. ibique Auth. permiſſa. d. l. 29. Moribus, hæc donatio propter nuptias in ea formâ vix uſurpatur.*

30. Donationes inter vivos non ſunt tam fragiles quam mortis causâ, nec enim revocantur, niſi ob inſignem donatarii ingratitudinem; cujus ſpecies ſunt in *l. ult. C. d. revoc. donation.* & continentur his verſiculis.

Reſtitui donata placet; *ſi* verbera *primò*
Aut grave donanti dedecus *intulerit*,
Struxerit inſidias vitæ, *dederit* grave damnum,
Aut ſi pactorum *vult temerare fidem.*

31. Eſt adhuc una cauſa, propter quam Patronus donationem Liberto factam revocare poteſt, *ſi poſtea liberos ſuſceperit l. 8. C. eod.* Cujus ratio non abſurdè ad alios donatores, ſi magna fuerit donatio, extenditur, atque ita fert uſus.

32. De eo quod de ſervo communi manumittendo traditur *in §. ult. h. t.* nihil ponemus. Tu vide, ſis, textum.

TIT.

TIT. VIII.

Quibus alienare licet vel non.

SEquebatur legatum, ſed Teſtamenta prius abſolvenda; Interim adhuc duo articuli de dominio inferuntur; primus eſt de prohibita alienatione, alter de acquiſitione per alios facta.

2. Alienatio eſt omnis actus, per quem dominium transfertur *l.* 1. *in fin. de Fund. dot.* Ideoque dominus poteſt alienare; qui non eſt dominus non poteſt *l.* 21. *C. Mand.* Excipe;

3. Creditor poteſt alienare pignus, etſi non ſit dominus, idque non tantum, ſi convenerit ita, verum etſi nihil convenerit, modo ante denuntietur debitori, ut ſolvat *l.* 4. *C. de diſtract. pig.* imò etſi contra fit pactus debitor, ſi modo tum ter denuntietur *l.* 4. *d. pignor. act.*

4. Jure novo, ſi nil convenerit, permittitur diſtractio, poſt unam denuntiationem, vel ſententiam de ſolvendo; ſi emptor forte nullus æquo pretio veniat, creditor impetrat dominium à Principe *l.* 3. *C. de jur. dom. impetr.* plura ad *tit. ff. de diſtract. pign.*

5. Altera Regula, quod dominus alienare poteſt, habet plures exceptiones. Prohibitio alienandi eſt vel publica vel privata. Publica vel immediate ex lege, vel interveniente decreto Magiſtratus fit. Priori modo propter rationes perſonales, aut reales.

6. Ex perſonis prohibitis eſt primo pupillus, de quo hæc ſunt in §. *ult. h. t.* Nihil poteſt alienare ſine tutoris autoritate. Ergo nec mutuum dare; ſi dederit, pecuniam extantem vindicat, conſumptam bona fide condicit; actione mutui ordinariâ, quia per conſumptionem bonâ fide factam mutuum convaleſcit. *l.* 19. §. 1. *d. reb. Cred.* de malâ fide conſumpta ad exhibendum in id quod intereſt agit, quaſi debitor adhuc poſſideat, quia dolus pro poſſeſſione habetur *l.* 131. *d. R. I.*

7. Dari quidem pupillo soli, hoc est, donari potest; at non solvi sine tutore, neque debitor ei solvens liberatur, sed extantem pecuniam vindicare potest, consumptam condicere, quatenus locupletior est pupillus, alioqui non habet actionem, etsi puer nummos prodegerit *d.* §. *ult. v. fin. autem.*

8. Quin ut solvens plenissimè securus sit, etiam adversus metum restitutionis in integrum, recte faciet; si decreto Judicis adhibitio, solvat, *d.* §. *f. vers. sed huc etiam. Quæ tamen solicita cautio rarius in foro usurpatur.*

9. Ut ipse pupillus solvat creditori, multo magis opus est Tutoris autoritate, quia solvere sine dubio est alienare §. *ult. in fin.* Si tamen solverit solus, extantes nummos vindicat; at consumptis liberatur. *d. l.* 19. §. 1. *l.* 9. §. 2. *d. auct. tut. l.* 14. §. *ult. d. solut.*

10. Hæc ipsa de minoribus & omnibus qui sub Curatoribus, intelligenda sunt. *l.* 3. *C. de in int. restit. min. l.* 5. *l.* 40. *d. R. I. l.* 65. §. 3. *Ad Sc. Trebell.*

11. Respectu *reali*, non possunt alienari res exemptæ commercio, ut sacræ, sanctæ, religiosæ, liberi homines, publicæ, inprimis *Domania* quæ dicuntur, Res litigiosæ, denique dotales, & de his agitur nominatim in *hoc tit.* de cæteris *alibi* agetur.

12. Res dantur in dotem æstimatæ vel inæstimatæ priore casu libere alienantur *l.* 5. & *l.* 10. *C. de jur. dot.* quia maritus hoc casu non corpora rerum sed pretia restituere debet *dd. ll.*

13. Inæstimatæ non possunt alienari. Lex Julia prohibuit alienari fundum dotalem Italicum, muliere invitâ; pignori autem obligari vetuit, etsi consentiret *in pr. h. t.* quia mulier facilius obligat quam alienat *vid. l.* 4. *in f. ad Sc. Vellej.* raro donat, *l.* 16. *C. de Donat. ant. nupt.*

14. Iustinianus demum res soli, ubicunque sitas vetuit alienari, tam volente quam invita muliere *d. pr. l. un.* §. 15. *C. de Rei ux. act.*

15. Ita,

15. Ita, ut non modo omnes tituli, quibus dominium transfertur, quos inter divisio, transactio, compromissum, permutatio; sed & oppigneratio & servitutis impositio sub alienatione prohibitâ contineantur *l. ult. C. de reb. alien. non al.*

16. Tu autem hinc facile colliges, maritum esse reverâ dominum fundi dotalis. Alioqui non esset exceptio à regula, *dominus alienare potest*: sicut heic ponitur. adde. *l.* 13. §. 2. *d. fund. dot. l.* 7. §. 3. *d. jur. dot. l.* 23. *C. eod. l.* 9. *C. de R. vind.* sed dominium est temporarium, durante matrimonio; dein redit ad uxorem; ipe hujus eventus, uxor aliquando domina dicitur *l.* 3. §. 5. *in fin. de minor. l.* 30. *C. de jur. dot. juncta. l.* 22. *d. acquir. possess.* nec aliter explicandæ *l.* 75. *d. Jur. Dot. l.* 45. §. 1. *d Acq. hær.*

17. Moribus hodiernis, dotes fere obsoleverunt; non tamen in Frisia, ubi & prohibitio alienandi viget, sed invita uxore duntaxat. Sand. *l.* 2. *t.* 4. *def.* 2.

18. Atque hæ sunt prohibitiones, quæ immediate à lege perpetrantur; quæ vero decretum Magistratus requirunt, occurrent nobis in *tit. ff. de Reb. eor. qui in Tut. vel Cur.*

19. Privata prohibitio fit vel conventione vel Testamento. Conventio de re non alienanda valet hactenus, ut alienans teneatur in id quod interest alterius *l.* 48. *d. Pact. l.* 135. §. 3. *d. V. O. l.* 3. *C. de condict. ob. caus. dat.* non ad impediendam dominii translationem. *dd. ll & arg. l.* 20. *C. d. Pact.*

20. Testamentaria prohibitio habet eam vim, ut impediat dominii translatum in eos, qui sub prohibitione continentur, quia tribuit actionem in rem iis, in quorum gratiam prohibitio facta est *l.* 69. §. 3. *d. leg.* 2. *juncta l.* 1. *C. comm. de leg. & fideic. l.* 23. *pr. d. R. V.* modo non sit nudum præceptum de non alienando, per quod nemo vocetur *l.* 114. §. 14. *de legat.* 1. *l.* 93. *in pr. de legat.* 3. Sed hæc ad caput de fideicommissis pertinent.

TIX IX.

Per quas perſonas cuique acquiritur.

REgula juris civilis eſt; Alii per alium non poſſe acquiri §. *pen. h. l.* 1. *C. h. t. l.* 73. §. *ult. d. R. I.* ob rationem, quæ eſt in §. 19. *I. de Inutil ſtipul. Ut unuſquiſque acquirat id quod ſua intereſt.* Ejus in hoc tit. traditur exceptio.

2. Nam acquiritur nobis per eos, quos habemus in poteſtate, tam ſervos quam liberos; & quidem per ſervos proprios indiſtincte; cum hi nihil ſuum habere potuerint §. 3. *h.* per uſufructuarios & bona fide poſſeſſos duabus è cauſis tantum, ex operis ſuis & è re noſtrâ § 4. *h.*

3. Sed per filiosfam. acquiritur patribus juxta diſcrimen peculiorum; eſt autem peculium nihil aliud, quam puſillum patrimonium ſervi vel filiifamilias, ſeparatum à rationibus dominicis vel paternis *l.* 5. *in fin. d. pecul. l.* 37. §. 1. *d. A. R. D.*

4. Quod ſervus habebat, id erat ſimplex. Filiifam. peculium eſt vel paganum vel caſtrenſe. Illud, quod extra, hoc quod in militia acquiritur *l. ult. C. de inoff. teſtam.*

5. Paganum eſt duplex, profectitium, vel adventitium. Illud, quod ex re & ſubſtantia patris proficiſcitur; hoc, quod aliunde filiofam. advenit, imprimis è ſucceſſione maternâ, vel materni generis, ex induſtria vel quavis proſpera fortunâ §. 1. *h. d. l. ult. Tit. C. de bon. mat. & de bon. quæ lib.*

6. Quæ tamen filius occaſione peculii profectitii, ſua licet opera, acquirit, profectitia cenſentur *d.* §. 1. *I. per. quas perſ. oblig. acquir.*

7. Caſtrenſia ſunt vel verè, vel quaſi caſtrenſia. Illa ἐν σιδήρῳ καὶ ὅπλων περιελθόντα, ut ait gloſſar. *è ferro & armis quæſita.* Hæc, quæ in togâ acquiritur à Senatoribus, Magiſtratibus, & Advocatis §. *ult. I. de*

de testam. mil. l. 4. & l. 14. C. de Advoc. div. jud.

8. Jus harum rerum hujusmodi est, profectitia pleno jure sunt patris, cujus indultu Filius ea gubernat iisque fruitur *d.* §. 1. retinetque, licet paterna bona publicata sint *l.* 3. §. 4. *inf. d. minor.*

9. In adventitiis olim idem juris erat *d.* §. *in pr. l.* 79. *de Aquir. hered.* sed jure novo pater usumfructum habet, filius proprietatem *d.* §. 1. *sub fin. l.* 6. §. 2. *C. de bon. quæ lib.* post emancipationem pater dimidium usumfr. retinet §. 2. *h.* quod & *hodie* tenet; at non in tacita emancipatione, quæ fit per nuptias.

10. De castrensi, vel quasi castrensi peculio patri nihil acquiritur, sed in eo filius pro patrefam. habetur *pr. I. Quib. non est permiss. fac. testam. vers. Ex hoc. l.* 2. *ad Sc. Maced. d. l. fin. C. de inoff. testam.*

11. Sunt bona dubii generis, quasi castrensia, an adventitia, in quibus pater usumfr. non habet, sed quæ sub hac conditione ei relicta sunt. *Nov.* 117. *c.* 1. *in pr.* Plures casus *ad Pand. tit. de pecul.* habebimus.

12. Per eos qui potestati nostræ subjecti non sunt, dominium acquiri nequit; Attamen possessio, quæ facti est *l.* 1. §. 4. *d. Acquir. poss.* per Procuratorem nobis acquiri potest, etiam ignorantibus; ut tamen mandatum saltem generale præcedat; atque per illam possessionem mediate acquirimus dominium §. *pen. h. t.* Expositio §. *pen. pertinet ad seq. Caput.*

TIT. X.

De Testamentis ordinandis.

MOdi tam juris Gentium quam civiles acquirendi, quos habuimus, fuere singulares. Sequitur de universitate, quæ est *hereditas*, tam civilis, quæ nomen *hereditatis* retinet, quam Prætoria, quæ vocatur *bonorum possessio l.* 3. §. 1. *d. bonor. poss.* deque ea

ad Pandectas agemus. In effectu nihil ab hæreditate differt *l.* 119. *l.* 138. *d. V. S.* de aliis speciebus universitatis jure veteri cognitis *vid.* §. *ult. tit. præced.* & *lib.* 3. *tit.* 11. & 12.

2. Hereditas est successio in universum jus, quod defunctus habuit *l.* 24. *d. V. S. l.* 62. *d. R. I. Successio* ibi est facultas successione acquisita, & *universum jus* est materia subjecta hereditatis, continens corporalia juraque tam quæ in bonis quam quæ ex bonis, & quorum non modo proprietas, sed & emolumentum, usus aut periculum ad defunctum spectavit *l.* 18. *in fin. cum ll. seqq. d. Hered. pet. vid. sup. tit.* 2. *n.* 3.

3. Acquirendæ Hereditatis aliæ sunt causæ & alii modi. Causæ sunt Testamentum aut lex; unde successio vel testamentaria, vel legitima, sive ab intestato est Modos videbimus *ad tit. de Hæred. qualit.* & *diff.* §. *ult.*

4. Testamentaria successio præcedit; nec enim locus datur heredibus ab intestato, quamdiu successio è testamento speratur *l.* 39. *d. Acquir. hered.*

5. Venit hæc sine dubio ex jure Gentium *arg. l.* 1. *C. de SS. Eccles.* sed jus civile plurimum addit *l.* 120. & *l.* 130. *d. V. S.* imo jus testandi à lege speciali pendet *l. pen. C. Qui testam. fac.* quo sensu non modo juris civilis, sed etiam publici juris esse dicitur in *l.* 3. *ff. Qui testam. fac.*

6. Porro *Testamentum* est voluntatis nostræ justa sententia, de eo quod quispost mortem suam fieri vult *l.* 1. *Qui testam. fac. poss. In Princ. h. t.* est tantum allusio ad vocabulum *testamenti.*

7. *Nostræ*, hoc est, cujusque nostrum; ut ne putes, jure civili plures simul posse testari, quod non patitur unitas contextus §. 3. *h.* ibique Viglius; etsi moribus hodiernis nihil usitatius est, maximè inter conjuges. Peck. 1. *de Testam. conj. c.* 19.

8. *Justa* sententia, significat legibus conformem *pr. I. d. Nupt.* talis autem non potest esse nisi *solemnis*, pro-

proinde *justa* significat legibus congruam & solennem; ne putes hæc esse contraria, ut *disputant* vulgo.

9. *De eo, quod quis.* Hæc verba latissimam potestatem tribuunt testatori quicquid velit disponendi *l.* 120. *d. V. S.* modo regulæ juris serventur *l.* 4. *d. t. Qui testam. fac.*

10. In *pr.* §. 1. & 2. agitur de veteribus testamentis, quæ fuere quatuor, Testamentum calatis comitiis, in procinctu, per æs & libram, atque Prætorium.

11. Calatis comitiis erat, quando Testator coram populo ad comitia calato, sive vocato, heredem declarabat, qua de re diximus *l.* 4. *Digress. c.* 30.

12. In procinctu, quando miles stans in procinctu, confligendi cum hoste, nuncupabat heredem, coram tribus vel quatuor testibus; Plutarch. *in Coriol.* Theoph. *hic.*

13. Per æs & libram sic fiebat; Testator vocabat quinque testes, puberes, cives Romanos, quasi compendium populi in quinque classes recensi, aderat una familiæ emptor; qui heredem, & libripens, qui testatorem repræsentabat. Emptor æs appendebat libræ, familiamque eo ritu emebat à libripende; cuncta uno temporis contexto. plura vide *d. l.* 4. *Digres. c.* 31. & 32.

14. Prætorium Testamentum erat, in quo septem signa testium apparebant; secundum id, non examinatis aliis solennitatibus, Prætor dabat bonorum possessionem, nisi incontinenti constaret, testatorem non habuisse jus testandi, vel heredem non habere testamenti factionem, vel alios esse potiores, maxime liberos *l.* 1. §. 2. & §. 8. *l.* 2. *in pr. l. pen.* §. 2. *d. bon. pos. sec. tab. l. ult. h. t.* adde *d. c.* 22. *l.* 4. *Digress.*

15. In §. 3. exponitur forma testamenti, quo utimur ex constitutionibus Imperatorum. Id autem est duplex, Scriptum vel Nuncupativum. Illud, cujus solennitas scriptura; hoc, quod vivâ voce perficitur §. *ult. h.*

16. Requisita Testamenti condendi sunt, vel communia utrique speciei, vel propria singulis. Communia requisita redigi possunt ad duo; ad unum contextum & ad numerum septem testium.

17. Hæredis institutionem non ponimus inter requisita, non quod necessaria non sit, est enim plane *l.* 30. *Qui testam. fac.* sed quia caput & fundamentum testamenti est §. 34 *I. de legat.* ipsumque adeo testamentum *l.* 1. §. 3. *d. Hæred. inst.*

18. Unicus contextus duas res significat, continuitatem temporis & uniformitatem actus. Continuitas postulat, ne testandi actus interrumpatur, neve testes ante absolutum testamentum à testatore digrediantur 28. *C. de Testam.*

19. Uniformitas actus arcet à testamento cuncta, quæ ab ultimis voluntatibus aliena sunt *l.* 21. §. *ult. Qui testam. fac.* inter quæ sine dubio contractus *l.* 20. *d. V. S.* omniaque duorum consensum requirentia *add. l.* 4. *d. Adim. leg. junctâ l.* 4. *C. de O. & A.*

20. Quæ tamen declaratione solius Testatoris constant, etsi contractibus adfinia, non lædunt unum contextum *arg. d. l.* 21. §. *ult. inf.*

21. Ejusmodi est divisio rerum communium *l.* 32. *Famil. ercisc.* Adsignatio liberti *l.* 1. §. 3. *d. Adsign. lib.* constitutio pignoris *l.* 26. *d. pignor. act.* destinatio filiæ ad nuptias 36. *d. rit. nupt. junct. l.* 2. *d. Sponsal.* duo rei testamento constituti *l.* 16. *d. Leg.* 2.

22. Donatio mortis causa potest fieri testamento, quoad declarationem solius donantis, at sic non differt à legato; sed acceptatio adeoque plena donatio in eodem contextu non potest fieri *arg. dd. ll.* nec aliud est in *l.* 11. *d. inoff. testam. l.* XV. *l.* 25. *pr. d. donat. m. C.* Vigl. *ad.* §. 3. *h. n.* 5.

23. De usu fori hac parte non conveniunt Scriptores; vid. *Voet ad. d.* §. 3. *n.* 4.

24. At observa, unitatem contextus incipere ab hoc; cum Testator scriptas habens tabulas, declarat, eas

eas ſibi eſſe prælectas, in iis ſuam ultimam contineri voluntatem, rogatque teſtes, ut velint atteſtari, tum ipſe teſteſque ſubſcribunt atque ſignant: *d. l.* 28.

25. Conſcriptio ipſius teſtamenti non eſt pars unius contextus, ſed poteſt ante & ſeorſim fieri *d. l.* 13. ℣. *ſed licet.* Ita in ſcriptis. In nuncupativo eſt declaratio totius voluntatis coram teſtibus, quæ facit unum contextum *d. l.* 28. *C. de Teſtam.*

26. Neceſſaria tamen naturæ impedimenta teſtatori vel teſtibus ſupervenientia non vitiant teſtamentum, longiori interruptione omnia de integro peragenda *d. l.* 28 *in pr.*

27. In teſtibus, præter numerum ſeptenarium requiritur, ut à Teſtatore ſpecialiter ad eum actum rogentur *l.* 20. §. *pen. Qui teſtam. fac.* ne detineantur inviti *l.* 20. §. *ult. eod.* ut videant teſtatorem *l.* 9. *C. de Teſtam.* denique, ut cum illis ſit teſtamenti factio, §. 6.

28. Hæc autem duplex eſt, Activa & Paſſiva; prior conſiſtit in poteſtate condendi teſtamenti, poſterior in jure capiendi è teſtamento §. 4. *I. de Hæred. qual. & diff.*

29. Juſtinianus in *d.* §. 6. paſſivam indicat, ut probant verba, *cum quibus eſt teſtamenti factio* §. 4. *I. de Hæred. qualit. & diff.* idque firmant exceptiones in *d.* §. 6. nam præter mulierem excipitur impubes, ſervus, furioſus, mutus, prodigus, inteſtabilis: nec enim poſſunt facere teſtamentum, & ſic ipſa regula ſat excluſi forent. Nunc ait Cæſar; hæ perſonæ poſſunt capere è teſtamento; nec tamen eſſe teſtes.

30. Pro *inteſtabilibus* habentur, non quilibet infames, ſed quos lex ipſa jubet eſſe tales, ut ſunt ob carmen famoſum damnati *l.* 18. §. 1. *qui teſtam. fac. l.* 21. *d. Teſtib.* Adulterii, ut & repetundarum damnati, *l.* 14. *l.* 15 *Eod.* Apoſtatæ Hæretici, *l.* 3. *C. de Apoſt. l.* 4. §. 1. *l.* 5. *l. pen. C. de hæret.* eorumque receptatores *Auth. Credentes C. de Hæret.* denique liberi perduellium *l.* 5. *C. ad. l. Jul. Maj.*

31. Cæci non excipiuntur in *d.* §. 6. jure tamen excipiun-

cipiuntur per *d. l.* 9. *C. d. Testam.* quæ vult, ut testes videant testatorem; sed quod miréris, imperitus sermonis, quo testamentum celebratur, non excluditur à testimonio *d. l.* 20. §. *pen. Qui testam. fac.* quod tamen de nuncupativo haud videtur.

32. Cæterum, conditio testium tempore testamenti facti, non alio consideratur *l.* 22. §. 1. *b.*

33. Occulta testium vitia, si quis sexum, statum, religionem mentitus publice idoneus habeatur, non nocent testamento §. 7. *b. t.*

34. Prohibetur adhuc domestici testes; non qui inter se sunt ejusdem familiæ, ad id enim non attenditur §. 8. *b.* nec etiam, qui sub eodem tecto sunt, nec quidem cognati testatoris, licet tales in judiciis notentur *l.* 4. *l.* 24. *d. Testib. l.* 3. *l.* 6. *C. eod.*

35. Sed qui juncti sunt eodem patriæ potestatis vinculo Testatori, vetantur §. 9. *b.* unde pater in testamento filii de peculio castrensi post missionem prohibet esse testis *d.* §. 9. non si filius adhuc miles sit testatus, quomodo accipe, sis, *l.* 20. §. 2. *b. t. ni malis ἀντινομίζειν* §. 10. *b.*

36. Hæres enixè prohibetur; legatarius, etsi vertitur ejus utilitas, non prohibetur §. 11. quæ est exceptio à regula *l.* 10. *C. de Testib.* nemo potest esse testis in causa propria *arg. l.* 1. §. 11. *quando appel.* tamen juris ratio, hoc est; omne negotium geri videtur inter testatorem & heredem, legatarii ratio hac parte non habetur, quia non est *juris* successor *d.* §. 11. *fcil.* ejus juris, quo hereditas definitur in *l.* 62. *d. R. I.*

37. Hæc communia sunt testamento scripto & nuncupativo, Propria scripti hæc sunt. Ipse testator vel alias quilibet scribat testamentum (ne putes Notarium requiri) prælegi nolit, tabulas clausas offerat testibus, si præmonito, suum id esse testamentum; tum subscriptio testium & ipsius sequatur, aut si literas nesciat, octavus testis pro illo subscribat, denique signa impressa annulo addantur §. 4. & §. 5. *b. l.* 22. §. 5. *Qui testam. fac. poss. l.* 21. *C. de test am.* 38. Te-

38. Teſtes quoque ſuis ſubſcriptionibus addere debent, cujus teſtamentum ſignaverint *l. pen. Qui teſtam. fac.* quod *hodie nuſquam ſervatur*. & quod de nomine heredis exprimendo manu teſtatoris vel teſtium habetur in §. 4. jam per *Nov.* 119. *c.* 9. abolitum eſt.

39. Si quid horum deſit, teſtamentum non valet, etiam vero, ſi alius ſcripſerit neque prælegerit Teſtatori, imperfectum ratione voluntatis fit, *per l.* 25. *qui teſt. fac.* Sand. 4. 1. 5. Leges tamen *d.* 21. & 28. non requirunt, ut Teſtator apud teſtes profiteatur, ſibi eſſe prælectum; ideoque ſi teſtamentum dixerit eſſe ſuum, erit præſumptio, quod ſit prælectum. *arg. dd. ll.*

40. Sunt & clauſulæ quædam in teſtamento ſcripto uſitatæ. *de quibus in tit. de jur. Codicill.*

41. In qua materia ſcribatur Teſtamentum, chartis, pellibus aut tabulis, nihil refert, non magis quam rubrica, an atramento, nec quâ linguâ ſcribatur §. 12. *h. t.*

42. Unius teſtamenti, poſſunt eſſe duplices tabulæ, utræque authenticæ, quæ pro iiſdem habentur §. 13. *h.* quarum è ſingulis, altero licet ſublato codice, peti poteſt hereditas; modo è circumſtantiis non liqueat, adimendi animo à teſtatore ſublatum eſſe *l. ult. d. his quæ in teſtam. del.*

43. Proprium teſtamenti nuncupativi requiſitum eſt, ut Teſtator integram voluntatem ſuam coram teſtibus declaret §. *ult. h.*. ſi quid deſit ex iis quæ dicere voluit, ne quidem ea quæ dicta ſunt, valent *l.* 25. *qui teſtam. fac.*

44. Si nuncupatio, ut fit, in ſcriptum & in teſtatum redigatur, vivo ſep mortuo teſtatore, manet nihilominus nuncupativum Teſtamentum; & ſcriptura ſolummodo *probationi* inſervit. *Sneidew. ad d.* §. *ult.*

TIT. XI.

De militari testamento.

Hæc de solennibus Testamentis; Sunt etiam privilegiata, quæ vel cunctis vel certis exempta sunt requisitis. Inter ea, quæ cunctis eximuntur, primum est militare Testamentum.

2. Ratio indulti militibus privilegii non tantum est *imperitia, pr. h.* sed inprimis justa occupatio armorum, quamdiu sunt in expeditione; Nam domi suæ & in præsidiis non gaudent privilegio *d. pr.*

3. Eadem ratione legionarios inter & navales non distinguitur; etiam ad remiges atque nautas in bellicis navigiis beneficium pertinet *l. un. pr. d. bon. poss. ex test. mil.*

4. Privilegium hoc valde effusum est, ut nihil in testamento militis requiratur, quam ut certo constet, *quod* & *quid* miles testari voluerit §. 1. *h.*

5. Primo *quod* voluerit testari; nam quælibet verba de herede instituendo & cæteris non sufficiunt, ut docetur *in d.* §. 1.

6. Dein, *quid* voluerit; ad hoc probatio requiritur, qualis ad fidem rei gestæ faciendam satis est, per scripturam vel per testes. Scriptura militum sola sufficit, si de manu ejus non dubitetur, etsi in vagina aut clypeo literis sanguine rutilantibus, aut in pulvere scripserint *l.* 15. *C. h. t.*

7. In nuncupativo Testamento duobus opus est testibus, ut in omni probatione *l.* 12. *d. Testib.* eumque numerum ferunt verba §. 1. *h. convocatis hominibus.*

8. Muti & surdi milites testari quoque possunt, si videlicet, loquendo vel scribendo voluntatem suam exprimere queant, quomodo sanè hodiè quilibet alii admittuntur §. 2. *h. l.* 10. *C. qui testam. fac.*

9. Veterani, sive missi è militia non aliter quam jure communi testari possunt; quod tamen ante fecere testa-

teſtamentum, valet uſque ad annum poſt miſſionem, ſi diutius vivant, non valet. Exiſtentia conditionis poſt annum, nihil mutat §. 3. *h.*

10. Teſtamentum ante militiam non jure factum convaleſcit, ſi teſtator miles factus id aliquo dicto vel facto, dum erat in expeditione, confirmaverit §. 4. *h. l.* 20. §. 1. *l.* 25. *in fin. h. t.* cui non adverſatur *l.* 25. §. 2. *h. t.* dix. *Prælect. ad h. t. n.* 4.

11. Capitis diminutio maxima & media tollit haud dubie militis teſtamentum; non minima, quia filiusfam. miles etiam facere poteſt teſtamentum, multo magis factum remanet §. *pen. h. pr. tit. ſeq.*

12. Qui vero peculium quaſi caſtrenſe habent filiifam. non aliter quam jure communi teſtamenta condere poſſunt. §. *ult. h.*

13. De reliquis Teſtamentis privilegiatis videbimus *ad Pandectas.*

TIT. XII.

Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum.

TRes ſunt cauſæ, per quas non eſt permiſſum facere teſtamentum 1. Defectus Status. 2. Vitium animi, vel corporis. 3. Improbitas.

2. Maximi Status defectus prohibet ſervos, tam qui pœnæ ſervi dicuntur, quam mancipia, quique in hoſtium poteſtate ſunt *l.* 8. *pr.* & §. *ult. qui teſtam. fac. poſſ.*

3. Teſtamenta apud hoſtes facta non valent, etſi redierint, *l.* 6. §. 5. *d. injuſt. rupt.* verum prius facta valent: ſi redierint, jure poſtliminii, ſi deceſſerint apud hoſtes, ex lege Corneliâ §. *ult. h. vid.* §. 5. *ſupr. quib. mod. Patr. pot. ſolv.*

4. Medii Status defectu prohibentur deportati, obſides, peregrini *l.* 8. §. 1. & 2. *l.* 11. *Qui teſtam. fac. l.* 1. *ad. l. Falcid.* hæc moribus ceſſant.

5. Per minimi Status defectum prohibetur filiusfam. duplici

duplici ratione, I. quia olim nihil proprium habebat §. 1. *Jupr. Per quas perſon. c. acquir. Ulp. tit.* 20. §. 2. II. quia lex. XII. tabb. ſolis Patribusfam. dedit jus teſtandi *l.* 120. *d. V. S. Aut. ad Herenn. l.* 1. *Paterfamilias, uti ſuper pecunia tutelave rei ſuæ legaſſet, ita jus eſto.*

6. Excipiuntur bona caſtrenſia & quaſi caſtrenſia *p. h. t.* de adventitiis idem non licet, etſi filius uſumfructum habeat, quia lex deficit ſolum dominium non ſufficit *l. pen. C. h. t. l. ult. C. de Inoff. teſtam.*

7. Ne patre quidem conſentiente, filius teſtari poteſt *arg. l.* 38. *d. pact. junct. l.* 3. *Qui teſtam. fac.* etſi mortis cauſa donare cum Patris conſenſu poteſt *l.* 25. §. 1. *d. donat. m. c.*

8. Ob vitium animi prohibentur I. Impuberes, quia nullum eorum animi judicium eſt §. 1. *h.* unde tamen non ſequitur, pueros ſolertes poſſe teſtari.

9. II. Furioſi, qui nihil ſapiunt, ſeu rabie ſive innocentia, *d.* §. 1. ſimplices autem & ſtupidiores teſtantur recte. *Sand. l.* 2. *t.* 1. *D. ult.* etiam furioſi, in dilucidis intervallis *l.* 9. *C. Qui teſtam. fac.*

10. III. Prodigi poſt interdictionem §. 2. *h. l.* 18. *eod. tit.* intervalla frugalitatis non poſſunt, niſi forte in extremis novò ſpiritu induti cordatè diſpoſuerint. *Leo. Nov.* 39. *Sand. l.* 2. *t.* 1. *def.* 3. ubi & hic caſus: ſi interdictio à cognatis ideo captata ſit, ne poſſet teſtari.

11. Ob vitium corporis prohibentur ſurdi, muti, quatenus voluntatem ſuam nullo modo declarare queant; nam ſi mutus ſcribere, ſurdus loqui poteſt, ille ſcriptura, hic nuncupativum poteſt condere teſtamentum §. 3. *l.* 10. *C. Eod.*

12. Quid Cæcus? Hic debet nuncupare, quæ vult, coram teſtibus ſeptem cum tabulario, vel ſi hic deſit, octavo teſte, qui dictata ſcribat & teſtes ſubſcribant. Ita mixtum videtur è ſcripto & nuncupativo *l.* 8. *C. Qui teſtam.*

13. Vitium corporis, aut animi ſuperveniens non vitiat teſtamentum *l.* 6. §. 1. *l.* 18. *h. t.* ſecus in cæpitis

tis diminutione *l.* 7. §. 5. *& ſeqq. d. Injuſt. rupt. irr. teſtam.*

14. Propter improbitatem vetantur Inteſtabiles, de quibus dictum *tit. de Teſtam. ordin. n.* 29. & qui inceſtas nuptias contraxerunt, extraneos heredes inſtituere non poſſunt *l.* 6. *&. Auth. Inceſtas C. de Inceſt. nupt.*

15. Denique omnes capitis damnati prohibentur teſtari, quia ſervi pœnæ fiunt & eorum bona publicantur *l.* 8. §. *ult. b.* quod non eſt mutatum jure novo, per *Nov.* 22. *c.* 8. ubi pœnæ ſervitus tollitur; neque per *Nov.* 134. *c. ult. in fin.* ubi publicatio bonorum abrogatur; Nec enim hoc fit in gratiam damnati, ſed propinquorum, quos ille præterire poſſet, ſi haberet liberam teſtamenti factionem.

TIT. XIII.

De Exheredatione liberorum.

HÆredis inſtitutio, quæ eſt baſis teſtamenti §. 34. *f. de Legat.* dici poteſt aut voluntaria aut neceſſaria.

2. Voluntaria eſt eorum heredum, qui pro lubitu inſtitui, vel exheredari poſſunt; neceſſaria, ad eos pertinet, quos teſtator inſtituere cogitur, niſi juſtam exheredandi cauſam habet *pr. h. t. l.* 17. *d. injuſt. rupt.*

3. Tales ſunt filiifam. quorum præteritio teſtamentum facit ipſo jure nullum, ſi filius jure ſuo velit uti, ita ut nihil exinde, ne legata quidem & fideicommiſſa valeant *pr. h. l.* 17. *d. lib. & poſt. bered. inſtit. l.* 4. *C. de lib. præt.*

4. Nec hoc mutatum eſt Jure novo, per *Nov.* 115. *c.* 3. licet *Auth. Ex cauſa C. de lib. præt.* inde ſumpta ſic velle videatur; accipienda enim eſt de præteritione maris avique materni, quæ pro exheredatione habetur §. *ult. b.* & locum facit querelæ, de quâ unice *in d. cap.* 3.

5. Quando igitur filius rite inſtitutus vel exheredatus

est, tum valet testamentum, nisi postea expugnetur. De institutione agetur *tit. seq.*

6. Exheredatio in genere sumitur, pro exclusione ab hereditate alicui lege competente; sed proprie ad suos heredes pertinet; Nam in aliis præteritio atque exheredatio, æquipollent §. *ult. h.* Est vero *suus* heres, qui in potestate defuncti & proximo gradu est §. 2. *h.* §. 2. *infr. de Hered. quæst. &. diff.*

7. Exheredatio non *rite* facta loco præteritionis habetur §. 12. *I. de heredit. ab intest. l.* 8. §. 2. *d. bon. poss. contr. tab.* Ut *Rite* fiat; debet esse facta 1 nominatim *pr. h. t.* 2. pure, non sub conditione *l.* 3. §. 4. *h. t.* 3. à tota hereditate *l.* 19. *eod.* 4. à cunctis heredibus, & 5. ab omni gradu *l.* 3. §. 1. *&. seqq. d. t.*

8. Debet etiam *juste* fieri, hoc est, ob aliquam ingratitudinis causam legibus expressam; de quibus erit locus aptior ad *tit. de inoff. testam.*

9. Posthumus etiam, qui post factum testamentum suus heres nascitur Testatori, præteritus rumpit agnascendo testamentum; quod tamen, eodem ante testatorem mortuo, sustinetur §. 1. *h. l.* 12. *d. injusto rupt. testam. Op l.* 22. §. *ult. d. Capt. & postl. rev. Resp.* Posthumus illic intelligitur supervixisse patri suo, cujus mors incipit à Primo captivitatis momento, vi Legis Corneliæ: quo sensu cape *l.* 15. *d. Injust. rupt. test.*

10. Instituendus, inquam, posthumus est, vel exheredandus *d.* §. 1. *&. rubr. ff. de lib. & posth. hered. &* si exheredetur, valet testamentum donec per querelam inofficiosi rescindatur §. 2. *in fin. I. de inoff. testam.* quod nec aliter est Jure novo; ut frustra moneant aliqui, posthumum jure veteri posse exheredari, non posse jure novo.

11. Nepotes etiam ab avis suis institui vel exheredari debent; præteriti rumpunt testamentum quasi agnascendo, quod fit, quando, patre mortuo vel emancipato, in ejus locum succedunt, ac ita sui heredes fiunt; §. 2. *h. t.*

12. Li-

12. Liberi emancipati tanquam alieni à familia jure civili poterant præteriri, sed jure Prætorio habent bonorum possessionem contra tabulas; præteriri, inquam & exheredati querelam inofficiosi §. 3. *h. l.* 7. §. 1. *d. bon. poss.*

13. Liberi adoptivi dum sunt in potestate, pari jure sunt cum naturalibus; sed emancipati tam jure civili quam prætorio à patre adoptivo præteriri possunt, salvo jure in bona patris naturalis, si vivat; eo mortuo ubique excluſi erant. §. 4. *h.* cui malo vitando cautum est, ut adoptati ab extraneis jura patris naturalis ipsamque potestatem patriam inde ab initio integram retineant *l.* 10. *C. de Adoption.* §. 2. *I. d. t.*

14. Jure novo adrogati & ab adscendentibus adoptati testamentum dicunt nullum, si prætereantur; ab extraneis adoptati impune præteriri possunt §. 5. *in fin. h.* §. 14. *I. de Hæredit. ab intest*

15. Olim erat discrimen inter mares & feminas. Nam illæ poterant inter cæteros exheredari, filius *nominatim* debebat, idem in postumo & postumâ filia præterita testamentum non dicebat nullum, ut filius, sed habebat jus accrescendi, quo extraneis heredibus semissem bonorum, tuis virilem partem auferebat *pr.* & §. 1. *h.* Ulpian. *tit.* 20. §. 14. Caj. 2. *Inst.* 3. §. 1.

16. Hodie Filia in his aliisque adæquata est filio, postuma postumo, emancipata emancipato; sed ipsum discrimen suorum & emancipatorum non est sublatum §. 5. *h. l.* 4. *C. de. lib. præter.*

17. Testamenta militum non vitiantur ob præteritionem liberorum; modo sciverint, se habere liberos, secus, si nescierint §. 6. *h. l.* 9. & *seqq. C. de Testam. mil.*

18. Præteritio matris avique materni loco exheredationis habetur, quia liberi & nepotes illis non sunt sui heredes, ob defectum patriæ potestatis; ideoque liberi ab illis præteriti habent querelam inofficiosi, de quâ inferius §. *ult. h. t.*

TIT. XIV.

De Heredibus instituendis.

HÆredis institutio, sine qua non potest valere testamentum *l.* 3. *de his quæ in testam. del.* nihil est aliud, quam surrogatio in universum jus, quod defunctus habuit, facta testamento *l.* 62. *d. R. I.*

2. Quibus verbis fiat nihil refert, modo claris *l.* 15. *C. de Testam.* ad minimum in hoc sensu, *hæres esto. l.* 1. *h. t.*

3. Partes hujus *tit.* sunt tres; 1. de personis hæredum 2. de partibus hæreditariis, 3. de modo instituendi.

4. Quod ad primam attinet; instituí possunt, qui & quot Testator velit, etsi nunquam ab eo visi §. 4. & *ult.* tam servi homines quam liberi *pr. h.*

5. Servi alieni ex persona dominorum, proprii cum effectu libertatis; sed qui adulterio dominæ maculati sunt, non poterant *d. princ.* & §. 1. *h.*

6. Quin & servus hereditatis jacentis quæ necdum est adita, potest ab alio hæres scribi, ex persona defuncti, quem hereditas jacens repræsentat, si utique tempus præsens inspicias §. 2. *l.* 31. *h. t.* post aditionem dicimus retrò hereditatem jacentem repræsentasse hedem, qui nunc est & tunc non erat *l.* 24. *d. novat.* Sic illi textus non pugnant.

7. Non possunt instituí intestabiles, quos habuimus *ad. tit. de Testam. ordin. n.* 29. quibus adde deportatos *arg. l.* 17. §. 1. *d. Pœn.* liberi quoque spurii, adulterini, incestuosi à patribus instituí nequeunt. *Nov.* 89. *cap. ult. Auth. Licet, in fin. C. de Natural. lib.*

8. Naturales, extantibus uxore liberisve justis unciam capere possunt cum matre dividendam, concubina sola non capit ultra semunciam *l.* 2. *C. de natur. lib.* deficientibus liberis justis, ex asse possunt instituí, salva Parentibus legitima *Auth. licet d. t. C. de Natural. lib.*

lib. Olim poterant ſimpliciter inſtitui *l. 45. d. vulg. & pup. ſubſt.*

9. Pars altera tituli eſt de Aſſe; nam iiſdem partibus hereditas diſtinguitur, quot in Aſſe ſive pondo Romano ſunt. As habet XII. uncias (noſtratia pondo vulgaria ſunt unciarum XVI.)

10. Uncia dicitur quaſi *unica, duæ* unciæ, vocantur *ſextans*, id eſt ſexta pars aſſis. 3. unciæ, *quadrans*, id eſt quarta pars aſſis. 4. unciæ *triens*, id eſt, tertia pars aſſis. 5. unciæ, *quincunx.* 6. unciæ *ſemis*, id eſt ſemias. 7. unciæ ſeptunx, 8. unciæ *bes*, quaſi bis triens. 9. dodrans, quaſi *de* aſſe, *quadrans*, 10. *dextans* qu. *de* aſſe *ſextans.* 11. deunx, qu. *de* aſſe uncia.

11. Atque uncia rurſus in totidem partes dividitur; etenim *ſemuncia* eſt pars dimidia, *ſicilicum* pars quarta *l. 21. §. 2. d. ann. leg. ſextula*, pars ſexta unciæ. *Cicero pro Cecin.* &c.

12. Non eſt tamen, ut Teſtator ad eas partes ſit adſtrictus; pauciores, vel plures fuerint, ſemper ad aſſem rediguntur; eſt enim regula, nemo, niſi miles, prò parte teſtatus, pro parte inteſtatus mori poteſt *l. 7. d. R. I. §. 5. inf. h.*

13. Unde, ſi trini ex quadrante ſint ſcripti, jure accreſcendi habent trientem, ſi quaterni è trientibus; jure decreſcendi ſingulis quadrans obtingit; denique unus ex ſemiſſe, vel ex re certa ſcriptus habet aſſem totum *d. §. 5. in med. & §. 7. h. l.* 13. §. 1. *& ſeqq. h. t.*

14. Neque teſtator id prohibere poteſt, *arg. l. 55. de legat. 1. cum d. l. 7.* niſi forte an heres tacito fideicommiſſo teneatur heredibus ab inteſtato, ut volunt Viglius & Bachovius *ad d. §. 5.*

15. Partes non expreſſæ, intelliguntur viriles *§. 6. h.* niſi quod plures collective poſiti heredes pro uno habentur, ut *Titius heres eſto, Cajus & Sejus*, aut *fratris mei filii* heredes ſunto, *l. 11. 13. l. 15. in pr. l. 59. §. 2. h. t.*

16. Cum quidam ſcripti ſunt, cum partibus, alii ſine partibus, diſtinguitur; *Si* partes expreſſæ æquant

assem, scripti sine partibus habent alterum assem, hoc est, semissem hereditatis; si infra assem, expertes habent id, quod exasse superest; si supra assem datur reliquis id, quod dupondio deest. Dupondio superato, datur reliquis, id quod tripondio deest. Hæc sunt rarioris usus. vide §. 6. & 8. *h. l.* 17. §. *f. Eod.*

17. Pars III. tituli. Modus institutionis est, ut vel pure, vel sub conditione fiat; nam tempus pro non adjecto habetur §. 9. *h.*

18. Conditio est adjectio casus collati in futurum, à cujus eventu actus suspenditur. estque triplex, casualis, quæ ab incerto eventu pendet; potestativa, quæ pro lubitu impleri potest; & mixta, quæ partim est in potestate ejus cui injungitur, partim non *l. un.* §. 7. *C. de Caduc. toll.*

19. Hæ omnes impleri debent, aliqui deficit institutio, *l.* 8. *fin. pr. d. Cond. instit.* nisi stet per eum, in cujus personâ impleri debuit, aut cujus emolumento deficeret *l.* 5. §. 5. *Quand. di. legat. ced. l.* 161. *d. R. I.*

20. Plures numero conditiones si disjunctæ sint, prima existens occupat institutionem *l.* 5. & *l.* 17. *d. condit. instit.* conjunctæ omnes implendæ sunt *d. l.* 5. §. 11. *h.*

21 Quælibet aliàs quibuslibet heredibus adjici possunt *d.* §. 7. *l. un.* excepto filiofam, qui tantum recipit potestativam, & quoad Legitimam, plane nullam *l.* 30. *C. de Inoff. testam. l.* 4. *d. hered. instit. l.* 28. *d. Condit. instit.*

22. Impossibilis tamen conditio heredi vel legatario imposita pro non scripta habetur, eique turpis æquiparatur §. 10. *h. l.* 1. *l.* 14. *d. cond. inst.*

TIT. XV.

De vulgari Substitutione.

Substitutio est institutio heredis in secundum vel ulteriorem gradum *l.* 43. §. 2. *in fin. d. vulg. & pup. subst.*

2. Est-

2. Estque duplex, vulgaris & pupillaris; feruntur & aliæ species, sed ad hasce duas referri possunt *vid. tb.* 7. *h.*

3 Vulgaris est, quæ fit *vulgo*, id est, generaliter à quovis testatore in locum cujuslibet heredis, pupillaris, quæ à patre fit, in locum filiifam. impuberis, de qua *tit. seq.*

4. Forma vulgaris substitutionis est, ut fiat in casum non aditæ hereditatis, ab eo, qui primo loco scriptus est. Hic dicitur casus primus *in l.* 8. *C. de Impub. subst.* ut, Si *Titius heres non erit, Cajus heres esto pr. h.*

5. Hic casus habet iterum tres casuum species, 1. si heres primus ante testatorem moriatur *l. un.* §. 4. *C. de caduc. toll.* 2. Si post obitum testatoris nolit & 3. si non possit adire *l.* 3. *C. de Hered. instit.*

6. Reliqua hujus tituli constant tribus regulis & una quæstione. Regula prima est, quod unus heres pluribus & plures uni & iidem sibi invicem, idque vel distinctis periodis, vel unâ confertim, substitui possunt §. 1. *h.*

7. Hinc substitutio reciproca *l.* 4. *h.* & compendiosa *l.* 8. *C. de Impub. & al. subst.* quæ à vulgari aut pupillari non specie sed figura verborum discrepant.

8. Regula II. *Sicut Testator dilexit heredes in instituendo, ita eosdem dilexisse videtur in substituendo*; habetur sum in substitutione reciproca eademque *compendiosa*, ut, Primus ex semisse, Secundus & Tertius, singuli ex quadrante, heredes sunto; Si quis eorum deficiat, superstites sunt. Tertius deficit; Primus duas, secundus unam habet unciam, proportionibus, quas in institutione habuerunt §. 1. *h.* Confer. *l.* 23. *ad SCt. Trebel.*

9. Regula III. *Substitutus substituto etiam intelligitur substitutus instituto*; Testator scripsit heredes Primum & Secundum, hinc illi substituit, Secundo Tertium. deficit secundus, & portio ejus venit ad Tertium, mox & Primus deficit; hujus quoque partem tertius acquirit §. 3. *h.* Similes vide casus in *l.* 23. & *l.* 27. *h.*

10. Quæritur; Testator fecit heredem servum, quem credebat esse liberum, eique substituit Sempronium. detecto servo, dominus & substitutus certant de hereditate. Uterque speciosam habet rationem. Cæsar medietatem facit & singulis dat semissem §. 4. *h.* In *L.* 40. *de hered. inst.* secus est: aut substitutus ibi fuit insuper cohæres, aut textus est vitiosus, *vid. Prælect. l.* 3. *C. de Hered. inst.*

TIT. XVI.

De Substitutione pupillari.

Pupillaris substitutio est, quâ pater liberis impuberibus, quos habet in potestate, dat heredem, in casum, *Si heres erit*, & ante pubertatem morietur, qui casus dicitur secundus in *l.* 8. *C. de impub. & alior. substit. pr. h. t.*

2. Definitio indicat differentias à vulgari. I. In hac quilibet testator substituit, in pupillari solus pater, non mater; etenim *l.* 33. *d. vulg. & pup. subst.* agit de substitutione factâ quidem pupillo; unde *pupillares* tabulæ; sed forma vulgari.

3. II. In vulgari quibusvis heredibus substituitur, in pupillari filiisfam. impuberibus. III. Illa fit in casum primum, hæc in secundum, ut exposuimus.

4. Est & hoc discrimen; in vulgari substitutus succedit Testatori, in pupillari succedit filio, quem oportet prius heredem fuisse patri, antequam substitutus veniat *pr. h. t.*

5. Hinc substitutus pupillaris non tantum consequitur bona, quæ à patre profecta sunt, sed & adventitia filii impuberis, etiam ea quæ post obitum Testatoris ad pupillum pervenerunt *l.* 10. §. 5. *h. t.*

6. Item, quando pupillus abstinuit hereditate paterna, substitutus pupillaris non tenetur Creditoribus Patris dum ei non succedit *l.* 42. *d. Acquir. hered.*

7. Nempe, licet filiusfam. se abstineat hereditate patris,

patris, tamen, ſi ante pubertatem moriatur, ſubſtitutus pupillaris nihilominus admittitur, quia filiusfam. ipſo jure fit hæres patri, licet, inquam, abſtineat, §. *ult. I. de hered. qual. & diff.* Unde regula; ſola ſui heredis exiſtentia confirmat tabulas pupillares *l.* 42. *in pr. d. Acquir. hered. l.* 44. *de Re Judic.*

8. Eſt & alia regula; vulgaris expreſſa continet pupillarem tacitam; & rurſus expreſſa pupillaris vulgarem tacitam. olim uterque caſus erat exprimendus ad hunc effectum, ut *fit* in *pr. h. t.* id jam neceſſe non eſt *l.* 4. *h. t.*

9. Exemplum; Filius heres eſto; ſi heres non erit, uxor eſto; filius fit heres, dein moritur impubes; uxor admittitur, renuentibus verbis. Idem in altera ſpecie, quando vocata eſt uxor, *ſi filius heres erit*, ſed an pubertatem morietur. *Vin.* 2. *qu.* 24.

10. Datur & quaſi pupillaris ſive *Exemplaris* ſubſtitutio, qua parentes utriuſque ſexus liberis ſuis puberibus *perpetuo* mente captis ſubſtituunt in caſum, ſi extra uſum rationis ſint morituri; debent ſubſtituere aliquem ex liberis aut ex fratribus mente capti; deficientibus utriſque ſubſtitui poſſunt quilibet. §. 1. *h. l.* 9. *C. de impub. & alior. ſubſt.*

11. Sequuntur regulæ quinque: I. Teſtamentum habens pupillarem ſubſtitutionem, quodammodo duplex eſt, unum patris, alterum filii, duplicem habens heredis inſtitutionem, ac hereditatis additionem §. 3. *h. l.* 2. §. 1. *h. t.*

12. At *quodammodo* eſt duplex, nam revera eſt unum, quia ab uno teſtatore, eadem ſolennitate factum *l.* 20. *h. t.* & quia pupillare pars & acceſſio paterni teſtamenti eſt §. 5. *h.*

13. II. Liberis etiam exheredatis pupillariter ſubſtitui poteſt, quia perinde ſunt in poteſtate §. 4. *h.* ſed hæc res hodie vix habet effectum, quia raro fit, ut impuberes valide exheredari queant, utpote cauſarum ingratitudinis fere incapaces *Nov.* 115. *c.* 3.

14. III. Substitutio pupillaris est pars & sequela paterni testamenti *d.* §. 4. Ideo non valet haec substitutio; nisi pater simul heredem sibi instituat *d.* §. 5. *in pr.* utrum vero suum, an filii heredem prius scribat, nihil refert, nisi cum pupillaris substitutio & reliqua testatio temporibus dividuntur, ut potest fieri *l.* 2. §. 5. *l.* 16. §. 1. *h. t.*

15. Ex eadem regula sequitur, vitiato patris testamento, corrumpi quoque substitutionem *d.* §. 5. *in fin.* nisi quod *volunt* rescissionem testamenti inofficiosi hodie solam heredis institutionem abolere, reliquis testamenti capitibus salvis. *Nov.* 115. *c.* 3. *in fin.*

16. IV. Regula. Testator, aut singulis liberis, aut ultimo ex illis morienti substituere potest. §. 6. *h.* hoc casu vult ordinem intestati inter eos servare; illo id agit, ut singulis proprium heredem adsignet *d.* §. 5.

17. Si filios simul hora fatalis opprimat, qui ultimo decedenti substitutus est, tota hereditate potitur *l.* 34. *in pr. h. t.* non aeque, si Pater voluerit partem ultimi morientis restitui propinquo, ut est in *l.* 34. *Ad. Sc. Trebel.*

18. V. Substitutio potest fieri, vel nominatim, quod usitatius, vel generaliter, *quisquis mihi heres erit, is & filio* (*exheredato*) *heres esto*, §. 7. *h.* quibus verbis intelligitur, qui ex judicio defuncti fit heres, non dominus, qui per servum, nec pater, qui per filium heres est factus, multo minus heredis heres *l.* 3. *l.* 8. §. 1. *h. t.*

19. Hae sunt regulae. Est & monitum Caesaris, in §. 3. Si Testator metuat, ne substitutus cupiditate nefaria suo filio insidietur, potest substitutionem in extrema pagina scribere eamque complicatam lino & cera consignare, palam prohibens, ne pagina ista, vivo pupillo, aperiatur. Hoc est consilium, non lex *ang. l.* 7. *d. Leg.* adde *l.* 77. §. 24. *d. Leg.* 2.

20. Finitur pupillaris substitutio pubertate *l.* 7. *h.* §. 8. *h. l.* 43. *h.* longius extensa non valet *l.* 7. *h.* nisi pater

pater ſit miles *l.* 41. §. 4. *d. Teſtam. mil.* nec enim paganus ſuis liberis teſtamentum facere poteſt, in id tempus, cum ipſi teſtari poterunt *dd. ll.*

21. Quod ſi Teſtator ſuas res proprias à morte primiheredis, quandocunque ea contigerit, ad alium velit devolvi, poteſt hoc facere, per fideicommiſſum; de quo *infra*, quod & ſubſtitutio vocatur in *l.* 41. §. 3. *h. t.* ſed pater de bonis filii propriis fideicommiſſo diſponere nullus poteſt; hoc pupillaris ſubſtitutio ſola præſtat §. *ult. h. t.*

TIT. XVII.

Quibus modis Teſtamenta infirmantur.

Teſtamenta, quæ non habent juris effectum, ſunt vel ab initio invalida vel ex poſt facto infirmantur.

2. Quæ ab initio, hæc ipſo jure *nulla* dicuntur, ut in quibus filiifam. ſunt præteriti, vel in quibus deſunt ſolennia juris; hæc aliter *injuſta* vocantur, in *l.* 1. *d. injuſt. rupt. irr. teſtam.*

3. Ex poſtfacto infirmantur jure civili vel prætorio; Ex hoc datur bonorum poſſeſſio contra tabulas liberis emancipatis præteritis §. 3. *ſupr. de Exhered. lib.*

4. Jure Civili Teſtamenta rumpuntur, irrita fiunt, deſtituuntur aut reſcinduntur; quæ verba etſi populariter fere conveniant, ut termini Artis tamen valide differunt §. 5. *h.*

5. Rumpuntur I. agnatione ſui heredis & poſteriori teſtamento æquè perfecto. Agnatio eſt vera, vel quaſi talis. Vera, quando Teſtatori poſt factum teſtamentum proles in poteſtate agnaſcitur §. 1. *ſupr. de Exhered. liber.*

6. Quaſi Agnationis tres ſunt ſpecies. I. Cum nepos avo in locum patris ſit ſuus heres §. 2. *d. tit.* II. Cum Teſtator filium adrogavit, vel adſcendens adoptavit. III. Cum filium naturalem legitimavit §. 1. *h. t.* §. *ult. I. de Nupt.*

7. Rum-

7. Rumpitur teſtamentum prius per poſterius rite factum, ipſo jure, licet non revocetur §. 2. *in pr. h. l.* 27. *C. de Teſt.* & ſufficit *rite* factum eſſe, licet heres è poſteriori teſtamento non extiterit *d.* §. 2. imo etſi adjecta ſit clauſula derogatoria *l.* 6. §. 2. *d. jur. Codicill.*

8. Duplex uſurpatur clauſula derogatoria. I. Cum in poſteriori teſtamento revocantur diſpoſitiones præcedentes; hæc uſitatiſſima, non tamen neceſſaria eſt; ut dicere occupavimus ex *d. l.* 27.

9. Altera, cum in priori teſtamento declarat Teſtator, ſe nolle valere teſtamentum, quod dehinc à ſe factum fuerit; hæc clauſula habet hanc vim, ut poſterius teſtamentum præſumatur non eſſe factum ex libera voluntate nec ideo valeat, per *L.* 22. *d. Legat.* 3. Sand. 4. 1. 10.

10. At ſi conſtet, Teſtatorem ſerio pœnituiſſe prioris voluntatis, ſive ex ipſis ultimi teſtamenti verbis, ſive aliunde, tum poſterius tollit prius, non obſtante clauſula derogante, quia nemo poteſt ſibi hanc legem dicere, ne teſtamentum mutare queat *l.* 6. §. 2. *d. jur. Codicill.*

11. Etſi in poſteriori ſit heres ex re certa ſcriptus, tamen prius, in quo heres ex aſſe ſit, aboletur; nam heres, detracta ejus rei mentione, pro univerſali herede habetur §. 3. *h.* niſi coheredem ex parte aſſis habeat; tunc enim ſcriptus ex re certâ pro legatario habetur *l.* 41. *inf. d. vulg. & pup. ſubſt. l.* 13. *C. de hered. inſt.*

12. Quod ſi teſtator in poſteriore teſtamento, ubi heres ex re certâ ſcriptus eſt, addiderit, *ſe velle nihilominus, ut primum valeat*, tum ex re certâ ſcriptus fideicommiſſo gravatus videtur, ut ea re certa contentus reliqua bona reſtituat ſcriptis in priore teſtamento *d.* §. 3.

13. Denique; Teſtamentum quoque rumpitur delendo, cancellando, incidendo tabulas teſtamenti

quod

quod data opera factum ſit *l.* 1. & *t. t. de his quæ teſtam. del.*

14. Si quis tabulas teſtamenti non habens revocare velit teſtamentum; is hoc facere debet *ſolenniter;* aut potius condere novum; nuda voluntas non ſufficit; niſi coram tribus teſtibus declarata, decenniumque à priore teſtamento condito ſit elapſum §. 7. *h. l.* 27. *C. de teſtam.*

15. Irritum fit Teſtamentum qualibet capitis diminutione Teſtatoris §. 4. *h.* excepto militis teſtamento, quod minima capitis diminutione non tollitur *d.* §. 4. ut nec pagani de rebus vere vel quaſi caſtrenſibus §. *pen.* & *ult. I. de teſtam. milit.*

16. Si poſt factum teſtamentum capite minutus ſit Teſtator & ante mortem reſtitutus, datur bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas, modo voce vel ſcripto renovata ſit voluntas §. 7. *h. l. pen. d. bon. poſſ. ſec. tab.*

17. Idem textus docet; ſi Teſtator poſteriores tabulas ruperit aut delerit, ut priores valerent, prius teſtamentum convaleſcere; ſi hoc, inquam, declaraverit; alioqui priores manent extinctæ, ſi modo conſtet, poſterius teſtamentum jure factum fuiſſe *d. l.* 27. *l.* 36. §. *f. d. mil. teſtam.*

18. Denique, Teſtamentum *deſtitui* dicitur, quando heres ex eo non exſtitit, ſeu nolit, ſive non poſſit §. 7. *l. de heredit. ab inteſt.* & caſus quibus non poteſt, ſunt 1. ſi vivo teſtatore deceſſerit. 2 ſi poſt mortem ejus ante hereditatem aditam obierit. 3. ſi conditio, ſub qua inſtitutus erat, defecerit *d.* §. 7. & §. 2. *h.*

19. Poſtremo nota; Principem nihil capere è teſtamento non ſolenni, nec heredem litis cauſa inſtitui poſſe, § *ult. h. t.* licet privati ob litis cauſam non repellantur *l.* 8. §. 3. *d. alien. jud. mut. c.* Ita Princeps ſibi ſponte leges dicit, quibus alioqui ſolutus eſt *d.* §. *f. l.* 4. *C. de L. L.*

TIT:

TIT. XVIII.

De Inofficioso Testamento.

FUere modi, quibus testamentum rumpitur, irritum fit & destituitur. Supereſt, ut rescindatur jure civili: Id accidit Testamento inofficioso, *in quo exheredati sunt, qui ex officio pietatis non debebant.*

2. Sub exheredatis intellige etiam tales præteritos, qui pro exheredatis habentur, ut sunt liberi à matre avoque materno, parentes à liberis, fratresque præteriti §. *ult. l. de lib. exhered.* nam *filiisf.* præteriti testamentum dicunt ipso jure nullum, *emancipati* habent bonorum possessionem contra tabulas *pr.* & §. 3. *d. t.*

3. Remedium, quo rescinditur hoc testamentum, est Querela inofficiosi, quæ definitur, *Petitio hereditatis per rescissionem testamenti inofficiosi.*

4. Per querelam fieri petitionem hereditatis constat ex *l.* 19. *in fin.* & *l.* 20. *h. t.* ne putes, ut vulgo Dd. Querelam esse remedium præparatorium ad petitionem; quanquam in foro non multum refert, utrum dicas; nam etsi diversæ actiones forent, tamen uno libello cumularentur, ut fit omni die.

5. Effectus querelæ erat olim, ut omnia testamenti capita rescinderentur *l.* 8. §. *pen. l.* 28. *h. t.* jure novo, sola heredis institutio vitiatur, reliqua servantur *Novv.* 115. *cap.* 3. *in fin. Authent. ex causâ C. de lib. præt. Dixit.* 16. *n.* 15.

6. datur querela primo *liberis* utriusque sexus, suis & emancipatis, legitimatis, adrogatis & ab adscendente adoptatis, adeoque omnibus instituendis vel exheredandis; sub colore, quasi pater haut sanæ mentis fuisset *pr. h. l.* 1. 3. 5. *h. t. l.* 15. *C. eod.*

7. Si liberi non sunt, aut non querantur, eorumve Querela fuerit rejecta, hæc actio datur *Parentibus* exheredatis, aut quod idem, silentio præteritis *d. l.* 1. *l.* 14. *h. t.*

8. Si

8. Si nec parentes extent, aut non querantur, *fratres* atque sorores, *exceptis* uterinis, admittuntur, si *scriptus heres infamiæ, turpitudinis, aut levis notæ macula sit adspersus*; quod ad mores magis quam ad natales pertinet *l.* 27. *C. h. t. arg. l.* 6. *d. Decur.* Uterini quoque post *Nov.* 115. *c.* 4. & 5. ubi differentia sexuum tollitur, admitti videntur. Ulterioribus cognatis nunquam datur hæc actio §. 1. *h. t. l.* 1. *eod.*

9. Reliqua *hujus tit.* continentur sub talibus, queis cessat querela, respectu actoris, testatoris, temporis & causæ. Respectu *actoris* l. si is alio medio suum jus adipisci queat, §. 2. *h.*

10. Nam Querela remedium est extraordinarium. Hinc impuberi adrogato non datur, quia lex divi Pii dat ei Quartam, si exheredetur §. 2. *l.* 8. §. 15. *h. t.* nec emancipatis præteritis datur, quia testamentum aliter evertunt: Posthumis exheredatis, quia non habent jus aliud, datur §. 2. *in fin.*

11. II. Deficit Querela, si exheredatus agnoverit testamentum & acquieverit, post mortem testatoris; nam renunciatio hereditatis, vivo testatore facta non excludit querelam *l.* 35. §. 2. *C. h. t. l.* 94. *d. Acquir. hered.* nisi, quod pater in ipso exheredandi vel prætereundi actu consentiens sibi præjudicet *arg. l.* 29. *C. de pact.* non æque filius; quia præteritio ipsius est nullitas, non patris. *l.* 16. *d. Suis & legit. heer.* Sande 4. 2. 4.

12. Etiam tacita approbatio testamenti excludit querelam, si exheredatus agnoverit legatum in eodem testamento sibi relictum *l.* 20. §. 1. *l.* 12. § *ult. h. t.*

13. Quod tamen incommodum non patitur Tutor, qui ipse exheredatus accepit legatum pupillo suo relictum §. 4. *h.* sicut idem non perdit legatum, si querela nomine pupilli sui mota succubuerit §. 5. *h. t.* quod perderet, si nomine proprio questus esset *l.* 8. §. 4. *h. t.*

14. III. Casus cessantis querelæ respectu actoris est quan-

quando is habet *legitimam* portionem §. 3. & *ult. h.* jure novo ita, si heres ex legitima sit institutus; legatum non excludit querelam *N.* 115. *c.* 3. *pr.* olim nihil intereat, quo titulo relicta esset *d.* §. 3. & *ult. h.* at legata tamen, item dos hodieque imputantur in legitimam *l.* 29. & 30. *C. h. t.*

15. Quid est *Legitima*? *Portio hereditatis, quam lex necessario relinqui jubet iis, quibus alioqui datur* querela, liberis, parentibus, fratribus in casu *l.* 27 *C. h. t. vid. th.* 6. 7. 8.

16. Portio non totius hereditatis, sed portionis cuique ab intestato debitæ *l.* 8. §. 6. *h. t. l.* 31. *C. eod.* deducto ære alieno *l.* 8. §. 9. *h. t.* quomodo *bona* sumuntur *l.* 39. §. 1. *d. V. S.* ideoque, si Legitimam dicere malis portionem bonorum; licet.

17. *Lex* dat legitimam; quæ *lex*, non constat, nisi *Glitiam* putes, *arg. inscript. l.* 4. *h. t.* at qualis hæc sit, parum constat. *Necessario*, ut nec à lege tolli queat, minui & augeri potest, ut factum jure nostro.

18. Sed *Necessario*, dicitur, maxime respectu Testatoris, qui nec ullum gravamen fideicommissi, conditionis, moræ aut aliud quidquam adjicere potest *l.* 30. *l.* 32. *l.* 36. *C. h. t.*

19. Quantitas Legitimæ olim erat *Quarta*; nunc est triens vel semis, Triens, si liberi sint quatuor vel pauciores; semis, si quinque vel plures *N.* 18. *c.* 1.

Quid pro Legitima dant natis jura? Trientem
Quatuor aut infra, semissem quinque vel ultra.

20. Augmentum trientis etiam ad Parentes & ad fratres, herede turpi scripto, pertinent *d. N.* 18. *c.* 1. *in fin.*

21. Si minus quam legitima titulo institutionis relictum sit, prodita est condictio ad supplementum legitimæ, ex *l.* 30. *C. h. t.*

22. In numerandis liberis, vel in ratione trientis ineundâ respectu parentum & fratrum, non computantur, qui jure ex heredati vel præteriti sunt *l.* 1. §. 5.

a. com-

de conjug. cum emanc. lib. adde l. 9. §. 2. d. lib. & posth. hered.

23. Præstanda legitima est, ex rebus *substantiæ paternæ l. 36. in fin. pr. C. h. t.* non è fructibus, nec etiam è nudâ proprietate *N. 18. c. 3.* In pecuniis an rebus soli adsignetur, nihil refert, ut plurimum. Sand. *l. 4. tit. 7. def. 2.*

24. Respectu *Testatoris* cessat Querela. I. Si is miles sit *l. 8. §. 3. & 4. h. t.* olim in bonis vere & quasi castrensibus quoque cessabat *l. ult. C. h. t.* sed hodie nullius quam actu militantis testamentum querelæ eximitur. *N. 115. c. 4. in pr.*

25. II. *Si* Testator bona mente filium exheredem scribat, ut ei consulat paterna providentia: vide exempla *in l. 16. d. lib. & post. hered. l. 16. §. 2. d. Curat. Fur. l. 7. in pr. eod.* perinde ac gravamen Legitimæ bonâ mente potest adjici *l. 12. C. h. t.*

26. Ratione temporis amittitur Querela. I. si quinquennium sit elapsum, nam hoc spatio querelæ præscribitur *l. 8. §. ult. h. t. l. 34. in fin. C. eod.* condictioni ad supplementum tempus non præscribitur, ideoque illa durat annos 30. per *l. 3. C. d. præsc. 30. ann.* nisi obstet *d. l. 34. in fin. C. h. tit.* cujus ultima verba referunt alij ad querelam.

27. II. Breviori etiam tempore perit Querela, si is, cui dabatur, mortuus sit, antequam *præparaverat querelam* actu aliquo judiciali, denuntiatione saltem vel protestatione *l. 6. §. f. & l. 7. h. t.*

28. Solus filiusfam. transmittit querelam ad liberos suos, si mortuus sit, dum heres scriptus deliberabat *l. 34. C. h. t.* quam plerique, sed male, indistincte accipiunt, etiam Sandius 4. 9. 7.

29. Quod si filius juste fuerit exheredatus & post patrem mortuus, nepos non habet querelam, per *l. 4. §. 2. d. lib. & posth. l. 6. in pr. d. injust. rupt. l. 7. in f. pr. Si tab. test. l. 4. §. 1. d. bon. poss. contr. tab. l. 34. C. de Inoff. testam.* Sand. 4. 9. 7.

30. Respectu causæ, Querela cessat, vel potius *effectu caret*, si testamento expressa sit una è causis exheredationis legibus cognita. Sunt autem numero XIV. propter quas Parentes possunt exheredare liberos *N.* 115. *c.* 3. VIII quæ liberis dantur adversus Parentes *d. N. c.* 4. Tres, quæ ad fratres & sorores pertinent *N.* 22. *c.* 47. *in pr.*

31. Paternæ atque fraternæ insunt filialibus, de quibus sunt hi versiculi;

Filius exheres fiat, *si verbera primo*,
2. *Aut grave si patri dedecus intulerit.*
3. *Si nec ab hoste redemit*, 4. *si dederit grave damnum*,
5. *Criminis accuset.* 6. *vel paret insidias.*
7. *Carcere concluſum si negligat*, 8. *aut furiosum.*
9. *Si sequitur mimos.* 10. *hæreticosque colit.*
11. *Testarive vetet.* 12. *vitietque cubile paternum*,
13. *Seque magis societ*, 14. *Filia si meretrix*,

32. Ex his quarta. 5. 6. sunt eædem, ob quas frater potest exheredari.

33. *A quinta* ad *duodecimam* sunt paternæ, quibus adde *octavam*, quæ inter filiales non extat, si pater uxori suæ, quæ mater est filii, venenum paraverit *d. N.* 115. *c.* 4. §. 5.

34. Ex his, inquam, causis una testamento nominatim inferenda; si tamen omissa sit, adhuc testamentum non est ipso jure nullum, sed *rescindi*, *subverti*, debet, *d. cap.* 3. §. 12. *in fin.* & *passim*, quod aliter quam per querelam fieri non potest.

35. Causæ graviores vel similes ejusdem generis, videntur admittendæ, non quæ sunt diversi generis ab enumeratis. Ex. gr. Qui se operis scenicis aggregat, exheredari potest, homicida non potest; contra, hereticus exheredatur, nonne & blasphemus? proculdubio.

TIT.

TIT. XIX.

De Heredum qualitate & differentia.

Qualitas heredum ex eorum differentia colligitur, quæ in ſumma eſt duplex, neceſſarii aut voluntarii heredes *pr. h.*

2. Neceſſarii, qui coguntur eſſe heredes, ſeu velint ſive nolint, atque hi vel ſunt tales duntaxat, vel ſui & neceſſarii ſimul *d. pr.*

3. Neceſſarii tantum ſunt ſervi, ſui & neceſſarii ſunt filiifam. qui dicuntur *ſui*, id eſt, *domeſtici* §. 2. *h.* neceſſarii, quia jure antiquo cogebantur, ut ſervi; jure prætorio habent beneficium abſtinendi, quo ſe lucris oneribuſque ſubducere poſſunt *d.* §. 2. *l.* 57. *d. Acquir. hered.*

4. Heredes voluntarii ſunt, qui pro arbitrio hereditatem vel adire vel repudiare poſſunt, iidemque extranei, quia non ſunt *ſui*, vocantur; ſui ſunt omnes qui in proximo gradu & in poteſtate defuncti ſunt §. 4. *h.*

5. Cum his extraneis debet eſſe teſtamenti factio (cum *ſuis* hæc ſemper eſt) duobus temporibus, teſtamenti facti & mortis: medium tempus nihil refert. inſuper à morte uſque ad aditionem hereditatis, continuo; nam ſi vel momento fieri incapax poſt mortem, nihil acquirit; niſi conditionalis inſtitutio ſit: in hac ſufficit tempore conditionis exiſtentis fuiſſe capacem §. 4. *h.*

6. Qui autem heredes fiunt, tenentur cunctis oneribus hereditariis, etſi bona excedant *l. ult.* §. 14. *C. de jur. delib.* eſt enim heres eadem perſona cum defuncto *l.* 59. *d. R. I.*

7. Sed datur heredi duplex beneficium. I. eſt jus deliberandi, quo petit ab judice vel à Principe ſpatium temporis, quo deliberet, utrum expediat ſibi hereditatem adire vel non §. 5. *h. t.*

8. Tempus minimum est centum dierum *l. 2. d. jur delib.* maximum, quod det judex, est novem mensium; qui vult majus, à Principe habere potest annum *l. ult.* §. 13. *C. Eod* nisi testator brevius tempus præscripserit *l. 72. d. Adquir. hered. Sand.* 4. 6. *I.*

9. Id tempus petere debet cis annum, si urgeant Creditores hereditarii *d. l. ult.* §. 3. & 13. alioqui jus adeundi lapsu temporis non amittitur, nisi 30. annorum *l. 7. C. de hered. pet.*

10. Moriens intra annum & sciens hereditatem sibi esse delatam, jus deliberandi adeundique in heredes, etiam extraneos, transmittit: secus, si ignoret, aut sciens post annum decedat *l. 19. C. de jur. delib.*

11. Labente tempore, licet heredi cuncta explorare; quin si filius sit, interim alimenta capit e bonis *l. 9. d. eod.*

12. Elapso tempore, heres tacendo in utramque partem sibi præjudicat, tam respectu Creditorum quam substitutorum, aut legitimorum *d. l. ult.* §. *penult.*

13. Retractatio non conceditur §. 5. *h. l.* 4. *C. de repud. hered.* nisi minoribus & ex magnâ causa militibus *n.* §. 5. *h. l.* 7. §. 5. *d. Minor.*

14. Secundum est beneficium Inventarii, quod ipso jure competit heredi, qui fecit Inventarium, hoc est, descriptionem rerum hereditariarum: vocatis ad hoc creditoribus & legatariis, aut, si non veniant, tribus testibus; heres subscribere & addere debet, se nihil subtraxisse §. 6. *h. d. ult.* §. 2. & 3. *Nov.* 1. *c.* 2. §. 1.

15. Inchoandum est inventarium intra dies 30, ex quo scivit, hereditatem sibi esse delatam & diebus 60. sequentibus absolvendum; si absint heredes, intra annum a primâ sententiâ *d* §. 2. & 3.

16. Moribus, hoc beneficium impetrari debet à Principe vel à Curia suprema, neque tempus intra quod, ita servatur, modo heres se non miscuerit: forma quoque faciendi variat pro moribus locorum.

17. Be-

17. Beneficia, quæ tribuit Inventarium rite factum sunt tria. I. quod heres non teneatur Creditoribus ultra vires hereditarias *d. l. ult. §. 4.*

18. II. Quod nihilominus de legatis detrahere possit Falcidiam, de fideicommissis Quartam Trebellianicam *d. §. 4. & 9. N. 1. c. 2.*

19. III. Quod servare possit id quod sibi a defuncto debebatur, cum id alioqui per confusionem interire debuisse *d. l. f. §. 9. C. de. jur. delib.*

20. Incommoda neglecti inventarii viciissim tria sunt 1. tenetur in infinitum creditoribus. 2. perdit Quartam Falcidiam, nec non 3. id quod à defuncto ei debebatur *d. l f. §. 12. & 14.*

21. Trebellianicam heres, nedum Legitimam filius, perdere non videtur; quia textus deficit & consequentiam a Falcidiâ juris ratio heic non fert. *Adde arg. d. N. 1. c. 2. juncto cap. 1. & 4. l. 55. §. 2. ff. ad Sct. Trebel. Gail. 2. 38.*

22. Heres impetrato hoc beneficio, creditoribus primo venientibus solvere potest, *d. l. ult. §. 4. & 5.* cautione tamen exacta; ne aliis forte potioribus præjudicetur: *arg. §. 9. inf. d. l. ult.* Ipse etiam heres pro administratione sua cavere cogitur, & fiunt hæc omni die fierique debent. *arg. l. 5 in f. d. Tribut. act.*

23. In §. *ult.* agitur de modis acquirendi hereditatem. Acquiritur ipso jure vel facto; ipso jure à suis heredibus, facto ab extraneis §. *ult. h. t.*

24. Factum illud *aditio* vocatur *l. 18. pr. ad L. Falcid.* & potest distingui, quod sit vel Aditio in specie, vel pro Herede gestio. *d. §. ult.*

25. Aditio est declaratio, quod quis velit esse heres; pro herede gestio est demonstratio re & facto significata *eod. § ult. h. l. 20. d. acquir. hered.*

26. Utraque sic intelligitur, si fiat cum animo heredis *d. l. 20.* & ex certa scientia, pure an sub conditione, ex testamento an ab intestato sit heres *l. 13. & seqq. l. 22. §. 1. h. t.*

27. Debet etiam fieri purè, sine die vel conditione *l.* 51. §. *ult. d. Acquir. hered. l.* 77. *d. R.* I. non pro parte, sed in solidum; imò facta pro parte fit in solidum necessitate juris *l.* 1. & 2. *h. arg. l.* 7. *d. I.* excepto casu *l.* 61. *d. t. de Acquir. hered. adde l.* 55. *eod.*

28. Ipso jure acquirunt Sui Heredes, hoc est, vi legis immediatâ, sine ullo hominis dicto vel facto, & eodem momento, quo defunctus expiravit *l.* 14. *d. suis & legit. hered. l.* 12. *a. lib. & posth. hered. inst.*

29. Effectus hujus differentiæ nobilis est. I. In suum heredem continuatur dominium rerum hereditariarum, perinde ac si mors non intervenisset *d. l.* 11. (non tamen possessio *l.* 23. *pr. d. Acquir. poss.*) In extraneos dominium non transit, nisi per aditionem *d.* §. *ult.*

30. II. Sui heredes etiam ignorantes hereditatem sibi esse delatam, transmittunt eam *l.* 9. *in pr. d jure fisci. l.* 3. *C. de Jure delib. l. un.* §. 5 *C. de cad. toll.* Extranei ignorantes nihil transmittunt *l. un.* §. 5. ne quidem jus deliberandi, ad quod scientia requiritur in *l.* 19. *C. de jur. delib.* Excipe infantem intra annum mortuum *Nov.* 151.

31. Liberi duntaxat & nepotes, etsi non *sui*, habent hoc jus transmittendi immediatum in suos successores *l.* 11. *C. de suis & legit. hered. l. un. C. de His qui ante apert. tab.* Ideoque & filius furiosus aut infans suum jus in propinquos suos transmittent; §. 1. *l. ult. C. de jur. delib.*

32. Alias furiosi cum animum heredis habere nequeant, non possunt hereditatem acquirere cum effectu transmissionis, nec quicquam transmittere nequidem jus deliberandi, *l. ult.* §. *tali & seq. C. de Curat. fur.* Sand. 4. 18. 9. Infantes in Patres suos transmittunt hereditatem extranei non aditam *l. ult.* §. 1. *C. de Jur. delib.* Patre non existente in successores quoslibet jus deliberandi, si intra annum sint mortui *nov.* 158. fin post annum successio defertur, ac si non esset infanti delata, *d. l. ult.* §. 3. *Nov.* 158. *l.* 1. quod etiam fit mortuo furioso, cui delata fuit hereditas extranei *d. l. ult.* §. 7. *C. de Curat. fur.* major infantia cum tutore ipse adire debet *l.* 5. 33. *Sui,*

33. *Sui*, quando hereditatem ſuſcipere volunt, *miſcere* ſe dicuntur *l.* 14. §. *plerique* 8 *d. Religioſ.* Amittere eam volentes *abſtinent*, hoc eſt, declarant ſe velle derelinquere paternam hæreditatem *l.* 57. *d. Acquir. hered.* extranei repudiant *l.* 9. *C. de Hered. pet.* quod etiam fit, quando heres, conditioni ſe nolle parere declarat *l.* 1. *d. Curat. bon.*

34. Utraque abſtentio & repudiatio fieri poteſt, quando ſcilicet, aditio; cum certâ ſcientia, in totum non pro parte *l.* 13. *& ſeq. d. Acquir. hered. l.* 1. *&* 2. *eod.* adeo, ut ne legitima quidem retineri poſſit ab eo, qui reliquam hereditatem repudiat, *d. l.* 1. *&* 2. *junct. l.* 31. *C. de inoff. teſtam.*

35. Abſtinendi jus amittitur immixtione, Repudiandi, pro herede geſtione *d. l.* 14. §. 8. Abſtentio inſuper aliquid ſurripiendo ex rebus hereditariis *l.* 71. §. 5. *d. Acquir. hered.* aut emendo per ſuppoſitam perſonam *l.* 91. *eod.* ſed extraneus heres ſurripiendo tantum fit reus furti *l.* 21. *pr. eod.*

36. Scilicet, abſtentio facilius perit, quia filiusfam. ipſo jure eſt heres invitus & ignorans *l.* 1. §. 7. *Si quis omiſſ. cauſ. teſtam.* ideoque fundata præſumptio eſt, in dubio, quod filiusfam. heres ſit. Sand. *l.* 4. *t.* 9. *def.* 9. Si tamen damnoſa ſit hereditas, non videtur habendus pro herede, niſi probetur ſe miſcuiſſe *l.* 12. *d. t. de Acquir. hered.*

TIT. XX
De Legatis.

Tractatus de Legatis rejectus eſt in hunc locum, quia in Teſtamento relinquitur, quod ideo prius erat explicandum *pr. h.*

2. Legatum, ait Cæſar, eſt donatio *quædam* à defuncto relicta, ab herede præſtanda §. 1. *h.*

3. *Quædam* donatio, id eſt, affine quid donationi, quia proprie donatio non eſt, ut dictum ad *tit. de donat. n.* 4.

4. Verba *ab herede præſtanda*, de tranſlatione poſſeſſionis, vel de ſolutione intelligemus; nam do-

minium ipso jure transit in legatarium *l. 64. in fin. d. Furtis.*

5. Olim erant species legatorum quatuor, per vindicationem, *Titius capito, habeto*; per damnationem, *Heres dare damnas esto*; finendi modo *heres finito*; & per præceptionem. *Titius* cohæres *præcipito*; at hæ formulæ nullum hodiè discrimen effectus habent, omnium legatorum una eademque natura est §. 2. *b.*

6. Olim quoque multum erat discrimen inter legata & fideicommissa singularia, hodie nullum est, quoad effectum, licet termini vocum adhuc diversi sint §. 3. *b.*

7. Reliqua hujus tit. tribus partibus constant. I. de rebus, quæ legari possunt. II. de personis quibus legari queat. III. de modo legandi; quibus addemus IV. de jure petendi legatum

8. I. Legari possunt quælibet res, mobiles & immobiles, etiam incorporales, veluti servitutes §. *ult. I. de servit.* pignora *l. 26. d. pignor. act.* item Nomina & actiones §. 21. *b.*

9. Nomen sive actio legari dicitur tripliciter I. Quando Testator id quod sibi à tertio debetur Secundo legat. *d.* §. 21. II. Quando Testator remittit legatario quod ipse debet, quod est liberationis legatum §. 13. *b.* III. Quando Testator legat suum debitum, quo ipse legatario est obstrictus §. 14. *b. t.*

10. Prima species dicitur proprie *Nominis* legatum, quod habet hunc effectum, ut heres actionem adversus debitorem hereditarium legatario cedere cogatur *d.* §. 21. *l.* 44. §. 6. *l.* 75. §. 2. *d. leg.* 1.

11. Etenim jus ipsum actionis non potest transferri, sed manet penes heredem *dd. ll.* utiliter tamen legatario concessa est actio, immediate quoque adversus debitorem instituenda *l.* 18. *C. h. t.*

12. II. Liberatio legari dicitur, quando Testator remittit vinculum obligationis, quo legatarius ipsi erat obstrictus *d.* §. 13. *l.* 1. *pr. l.* 3. *in pr. d. liber. leg.* Proinde

inde non pertinet ad remissionem actionis in Rem *l.* 23. *l.* 28. §. 4. *eod.*

13. Potest etiam liberatio pro parte vel in totum legari *l.* 7. *in pr.* in perpetuum vel ad tempus *l.* 8. §. 1. vel absolute, ut debitum aboleatur, vel in personam, ut uni tantum alterive prosit *a. l.* 8. §. 3.

14. Effectus hujus legati est, non ut debitor ipso jure liberetur, verum ut ipse ac ejus fidejussor *l.* 49. *pr. d. Fidejus.* conventus habeat exceptionem doli, vel ut heredem cogat per acceptilationem funditus tollere debitum §. 23. *h. l.* 3. §. 2. & 3. *d. tit. l.* 19. §. *pen.* & *ult. ff. Quando dies leg. ced.*

15. III. Contrarium liberationi legatum est, quo debitor legat creditori, quod ipsemet ei debet; hoc ita valet, si plus sit in legato, quam in debito, ut cum pure legatur, quod in diem aut sub conditione debetur §. 14. *h.* vel cum actio legati melior & plenior est *l.* 28. & *seqq. de legat. l.* 1. 11. *d. liber. leg.*

16. Exemplum habes in dote, quæ soluto matrimonio petebatur, olim, tribus pensionibus, annuâ, bimâ, trima die, *Ulp. tit.* 6. §. 5. hodiè, licet una sit pensio, tamen res mobiles non nisi post annum restituuntur *l. un.* §. 7. *C. de rei ux. act.* sed dos legata statim à morte viri tota peti potest §. 15. *h.* Aliud extat exemplum in *l.* 8. *d. Dot. præleg.*

17. Quod si vir uxori dotem legaverit, quæ dotem nunquam habuit, adhuc valet legatum, si rem vel quantitatem quam dari vellet, expresserit; tunc enim nihil est quam falsa causa, vel demonstratio, quæ non vitiat legatum §. 30. & 31. *h.* at simpliciter legatâ dote, nihil peti potest, ubi nihil est *d.* §. 15.

18. Idem in legato nominis & liberationis, si nihil revera debeatur, nihil peti potest, nisi res vel summa pecuniæ sit expressa *l.* 75. §. 1. *d. Legat.* 1.

19. Res corporales legantur vel singulæ, vel plures; Singulare etiam esse potest, quod multas res continet, ut grex *l.* 2. *d. legat.* 2. familia *l.* 29. *in fin. pr. d. V. O.*

peculium, non modo servi §. 20. *b.* sed & filiifamilias *l.* 19. §. 2. *d pecul. leg.*

20. Res plures legantur vel simul vel elective; Electio est expressa, vel tacita. Expressa, ita ut ex pluribus una eligatur, quod est optionis sive electionis legatum §. 2. *b. l.* 23. *d. opt. leg.* Tacita quando res in genere legatur, ut equus, fundus. §. 22. Quod si ex duabus una, est alternativum legatum, *l.* 19. *d. t.*

21. Utrobique electio est legatarii §. 23. *d. l.* 2. §. 1. sed ita, ut in genere legato, optimum eligi non possit *l.* 37. *in pr. d. t.* secus ac in optione, *d.* §. 23. optare jussus plura sine numero, tria potest *l.* 1. *d. Opt. leg.*

23. Quid est Genus? quod multas habet species. Et quid Species? Quælibet res aut corpus certum, aliter ac Logici; fundus, homo, equus sunt genera; Tusculanum, Bucephalus sunt species.

24. Ut autem recte legatur genus, duo requiruntur, I. ut redigi nequeat ad rem viliſſimam, ut si animal aut bestia legetur, vel etiam fundus *l.* 60. *d. V. S.* II. debet extare in hereditate, alioqui inutile est *l.* 71. *pr. d. legat.* 1.

25. Quod rei legatæ accedit ut pars ejus, sequitur legatarium §. 18. & 19. non æque ejusdem generis; ut si testator omne suum argentum leget, non habet legatarius, si nihil aliud dictum est, quam quod tempore testamenti exstitit *l.* 7. *d. aur. & arg. leg.*

26. De augmento peculii est propria distinctio, quam vide sis, *in* §. 20. *h. t. & in tit. ff. de Pecul. leg.*

27. Interitus rei legatæ per casum fortuitum, legatarii damno est, utpote domini *l.* 36. §. *ult. de legat.* 1. culpa etiam leviſſima ab herede præstatur *l.* 47. §. *pen. d. legat.* 1. etiam factum, culpa licet vacuum §. 16. *h.* mora quoque *l.* 23. *d. V. O.* nisi ex eventu constet, omnimodo rem apud ipsum legatarium fuisse perituram *l.* 14. §. 1. *in f. Depos.* 15. §. *f. d. R. V.*

28. Si pro parte res interierit, quod supereſt peti potest; aliud exemplum est *in* §. 18. *h.* nam quod ex re mea

re meâ supereſt, hoc meum eſt, ejuſque vindicandi jus habeo *l.* 49. §. *pen. I. de Uſufr.*

29. Cum ex duabus rebus una principalis vivo teſtatore periit, minus principalis peti nequit, ſi acceſſio rei alterius ſit, ut ſervus cum peculio, equus cum phaleris: poteſt vero, ſi per ſe uſum habeat, ut ancilla cum ſuis natis equa cum pullis vacca cum vitulis §. 17. *h.* ubi & de fundo cum inſtrumento; ſed de hoc alibi.

30. Res heredis propria tertio indiſtincte legari poteſt *l.* 67. §. 8. *d. legat.* 2. *l.* 12. *ad Leg. Falc.* tenetur enim heres ex voluntate factoque defuncti *l.* 7. *C. de liber. cauſ. l.* 14. *C. de R. V. l.* 7. *C. de negot. geſt.* unde ſequitur, ſi coheredes habeat, eos pro ſuis partibus ipſi viciſſim teneri ad indemnitatem. *l.* 86. §. 3. *d. Leg.* 1.

31. Res aliena legari poteſt, modo legatarius probet teſtatorem ſciviſſe, quod res aliena eſſet; nam ſi putaverit eſſe ſuam, non valet legatum §. 4. *h.* opinio quod heredis aut quod legatarii ſit, non nocet, modo vere ſit Teſtatoris §. 11. *h.*

32. Conjunctæ perſonæ, ut parenti, uxori, fratri aut ſorori legatum indiſtincte debetur, etſi teſtator putaverit eſſe ſuam *l.* 10. *C. de Legat.*

33. Si res ipſa præſtari nequeat impedimento facti, ut ſi dominus ea carere nolit æquo pretio, legatarius æſtimationem conſequitur *d.* §. 4.

34. Res etiam pignori obligata bene legatur & indiſtincte; ſed legatarius eam redimere debet, niſi probet teſtatorem ſciviſſe, quod erat pignorata; tum heres ad luendum pignus tenetur §. 5. *h.* Quid ſi legata fuerit ipſi Creditori? vide *l.* 85. *d. Leg.* 2.

35. Si quis rei alienæ ſibi legatæ interim dominus eſt factus ex cauſa lucrativa, is legatum petere non poteſt; *l.* 23. *d. leg.* 2. ſecus, ſi ex onerosâ; quia duæ lucrativæ cauſæ concurrentes ſe mutuo conſumunt *d.* §. 6. *h. t.*

36. Pro titulo lucrativo etiam habetur mors fructuarii,

rii, cum ego nudam fundi proprietatem emi, idcirco ususfructus æstimatio mihi ab herede non præstatur; officio judicis enim deducitur. Etsi actio de toto fundo detur vi proprietatis, cujus accessio tantum est ususfructus §. 9. *h.*

37. Perinde, cui res eadem à duobus testatoribus legata est, hic à primo pretium, dein rem petere potest; re acceptâ, pretii petitio intercidit *d.* §. 6. ex ratione *l.* 88. *d. V. S.*

38. Sed res legatarii propria ipsi non potest legari, quia rei jam suæ dominus fieri nequit §. 10. *h.* nec convalescit legatum, etsi legatarius eam rem ante mortem testatoris alienarit, propter regulam Catonianam, quod ab initio inutile est, tractu temporis non confirmatur *d.* §. 10. *l.* 41. §. 2. *de legat.* 1. *cui obst. l.* 1. §. 2. *d. Reg. Cat.* nisi particula *Si*, faciat ibi conditionem legati.

39. Denique res, quæ non sunt, ut animalia mortua, nec esse queunt in rerum naturâ, nullo modo legari possunt; secus, si jam quidem non extent, futuræ tamen sunt §. 7. *h.*

40. Æque res commercio exemptæ, ut sacræ, sanctæ, religiosæ, publicæ, ædibus junctæ adeo legari nequeunt, ut nec æstimatio earum debeatur §. 4. *h. l.* 39. §. 8. *& seq. &* §. *ult. l.* 41. *l.* 43. *d. legat.* 1.

41. Idem est, si legatarius solus commercium rei non habeat *l.* 39. §. 2. *d. legat.* 2. ut si lex usum ei prohibeat, aliterve commercium interdicat *l. un. C. ne Christian. mancip.*

42. Hisce casibus ne æstimatio quidem debetur *d. l.* 49. §. 2. *l.* 35. *d. V. O.* aliud est, si legatarius ad usum rei fit inhabilis *l.* 114. §. 5. *de legat.* 1. aut si jure possidendi ex pacto aliave causa non spectante commercium publicum careat, *l.* 40. *d. legat.* 1.

43. Sequitur pars II. de personis. Legari potest iis solummodo, cum quibus est testamenti factio, passiva §. 24. *h.* de quibus dictum *in tit. de Testam. ord. n.* 28. proinde qui heredes institui nequeunt, his nec legata

gata relinqui possunt. Unde nec liberis naturalibus ultra unciam legari potest *Sand.* 4. 4. 3. *vid. supr. de hered. inst.* n. 8.

44. Tales olim erant personæ incertæ, quas testator vaga opinione animo suo subjecerat, nisi qua limitatio accederet, ut habemus *in* §. 25. *Quicunque è cognatis meis &c.*

45 Hinc & Posthumus alienus, qui in potestate testatoris non erat nasciturus, legati erat incapax, jure civili §. 26. non jure prætorio *arg.* §. 28. postumus *suus*, ut antea dictum, necessarius erat heres §. 1. *supr. de Exhered. lib.*

46. Sed jure novo personæ incertæ postumique alieni & institutionis & legati sunt capaces, modo ex eventu sit appariturum, in quem voluntas desinat; aliter Tutoris datio, quæ inde ab initio certa esse debet §. 27. *h. t.*

47. Denique, ad hunc articulum de personis pertinet, quod est in §. 32. & 33. servo heredis pure inutiliter legari, at servo herede instituto, legatum domino ejus simpliciter posse relinqui. Diversitatis rationem pete, fis, è textu.

De Jure Accrescendi.

48. Sæpe fit, ut Testator eandem rem diversis leget personis, idque separatim vel conjunctim; separatim eadem res legari dicitur tribus modis. 1. Cum eadem quidem res legatur, at partibus localiter discretis. 2. Quando quidem partes rei localiter non discernuntur, sed diversis periodis exprimuntur *l.* 1. *d. supr. accres.* 3. Cum diversi heredes eandem rem diversis legatariis præstare sunt jussi *l. pen. eod.*

49. Conjunctio fit etiam tribus modis. 1. re ac verbis simul. 2. verbis tantum. 3. re tantum *l.* 142. *d. V. S. l.* 89. *d. legat.* 3.

50. Re verbisque simul, cum pluribus eadem res, sine partibus, uno commate verborum relinquitur, *Titio & Sejo fundum illum do lego*, vel *Titio cum Sejo. l.*

36.

36. §. 2. *d. legat.* 2. aut etiam collectivè, *fratribus meis, nepotibus meis l.* 13. *in pr. l.* 63. *d. hered. inst.*

51. Verbis tantum, cum diversi in rem eandem conjuncta oratione sed pro partibus vocantur, simplicibus tamen, non localiter distinctis, ut, *Titio & Sejo fundum illum dolego, æquis partibus d. l.* 142. *& l.* 89.

52. Re tantum, quando plures ad rem eandem sed diversis orationibus vocantur, ut *Titio fundum illum dolego, Sejo eundem fundum lego*, idque non tantum, si hæc commata immediate se mutuo sequantur, sed &, si aliâ ejusdem testamenti paginâ sint posita, atque hi respectu verborum *disjuncti* vocantur §. 8. *h. l. un.* §. 11. *C. de Caduc. toll.* 33. *d. Legat.* 1.

53. Si quis eorum qui separati fuere, deficiat, pars ejus manet apud eum, à quo præstanda erat, apud heredem, inquam *d. l. un.* §. 4. & 8.

54. Deficiente è conjunctis uno, pars ejus acquiritur alteri conjuncto jure Accrescendi, quod est jus, quo pars deficiens accrescit conjuncto, collegatario vel coheredi, nam in utrisque locum habet, ex præsumpta voluntate defuncti *d. l. un.* §. 10. *& seq.*

55. Casus deficiendi accidunt aut vivo testatore, vel post ejus obitum. Vivo, duobus casibus 1. quando legatum unius respectu, inde ab initio est ipso jure nullum; talia *pro non scriptis* haberi dicuntur. 2. Cum è legatariis, unus ante testatorem moritur; quod in *causa caduci* dicebatur. *d. l un.* §. 2. *& seq.*

56. Testatore mortuo, sunt etiam duo casus I. Quando unus testatori superstes legatum repudiat *d. l. un.* §. 2. *in fin.* II. Cum alter legatariorum vel heredum tempore exclusus est *l.* 23. *d. Inoff. test. l.* 4 *d. bon. pf.*

57. Olim erat quintus casus, si legatarius ante apertas tabulas moreretur, quo casu legatum dicebatur *caducum d. l. un.* §. 5.

58. Sed quia legati dies jure novo statim à morte testatoris cedit, ideo tale legatum non deficit hodie, sed transmittitur ad heredem legatarii *d. l. un.* §. 5.

59. Ob-

59. Obtinet jus Accreſcendi inter omnes quacunque formula conjunctos *d. l. un.* §. 10. *& ſeqq.* etiam verbis tantum *l.* 89. *d. legat.* 3. idque partibus æquis, etſi legata ſint inæqualia *d. l. un.* §. 11. quâ derogatum *l.* 41. *d. Legat.* 2.

60. Adcreſcit autem pars defecta volentibus; ſi nolint, penes heredem manet *d.* §. 11. in hereditate etiam inviti jus accreſcendi habent §. 10. *d. d. l. un.* ut alias dictum.

61. Etiam in quantitate, velut in ſummâ pecuniæ jus accreſcendi habet locum *l.* 15. §. 1. *de Legat.* 1. modo verè ſint conjuncti; nam ſi in diverſas quantitates ſinguli vocentur, nihilo magis jus accreſcendi erit quam ſi dictum ſit, *Titio & Mævio ſingulos ſervos do lego. l.* 84. § *pen. d. t. de leg.* 1. *Sand.* 4. 4. 7.

62. Extra ultimas voluntates certum eſt jus accreſcendi nullum eſſe; nec enim ſi mihi vel Titio ſtipulatus ſim aut emerim, pro parte illius inutiliter, id mihi accreſcit, ſed ejus pars deducitur *l.* 110. *in pr. d. V. O.*

63. De legatis hic tantum agimus. Habet tamen locum jus accreſcendi, in hereditate tam teſtamentariâ *d. l. un.* §. 13. quam legitima *l.* 9. *de ſuis & Legit. hered.* tam primâ, quam ſecundâ, i. e. ſubſtitutione *l.* 23. *d. Subſt.* etiam prætoria *l.* 3. §. *ult. cum ll. ſeqq. d. bon. poſſ.* & fideicommiſſariâ *l.* 43. *ad Sc. Trebell.* item in conditionali inſtitutione *l.* 44. *d. Her. inſt.* quin & poſt querelam inofficioſi, altero deſiſtente *l.* 23. *in fin. d. Inoff. teſtam.* denique & altero heredum præſcriptione temporis excluſo *d. l.* 23. *inf. l.* 5. *de bon. poſſeſſ.*

64. Ceſſat tamen, ſi heres deficiens habeat ſubſtitutum *l.* 1. §. 8. *d. bon. poſſ. ſec. tab. d. l. un.* §. 3. 4. & 7. nam expreſſa voluntas Teſtatoris ſuperat tacitam, quæ jus accreſcendi invexit. ſcil. hæc; quod partem legati deficientem potius ei deſtinaverit, quem jam vocaverat ad eam rem, quam heredi, à quo eam reliquit.

65. At in hereditate eſt adhuc alia fortior ratio, quod paga-

paganus pro parte testatus & pro parte intestatus decedere nequeat *l. 7. d. R. I.* quod fieret, si pars hereditatis deficiens scriptis heredibus non accresceret: hæc autem ratio in milite cessat *d. l. 7. l. 6. d. Testam. mil.*

66. Denique, jus Adcrescendi finitur, quando singuli suas partes acquisiverunt *l.* 80. *d. Leg.* 3. excepto usufructu *l.* 1. § 3. *de Usufr. accr.* de quo ad *Pand.*

67. Pars III. tituli est de modo legandi. Eo pertinet nomen, demonstratio, causa, ordo, pœna, modus in specie, conditio & si quid simile est.

68. De nomine proprio scriptum est, ejus errorem nihil nocere legato, si modo constet, quam rem vel personam testator designaverit §. 29. *h.* sed nomina appellativa rerum non sunt in arbitro cujusvis, ut propria; pendent ab usu generis humani, quem si testator excesserit toto genere, non habet exitum voluntas: modicum excessum ferimus *l.* 4. *in pr. de Legat.* 1. *l.* 7. *d. Supell. leg.*

69. Falsa demonstratio; sive descriptio rei ab accidentibus & circumstantiis, legatum quoque non vitiat, modo similiter constet, quid testator dari voluerit §. 30. *h.*

70. Nec falsa causa, sive ratio impulsiva legato adjecta nocet; quia plerumque tales causæ sunt προφάσεις sive prætextus; Ex: *Primæ* sorori centum, *secundæ*, *quia pauperior est*, mille do lego: si dein constet, *primam* minus copiosam esse, tamen legata, uti sunt, ita manent. Aliud exemplum est in §. 31. *h. l.* 88. §. 10. *d. Leg.* 2.

71. Quod si heres probare queat testatorem non fuisse legaturum, si causam sciisset esse falsam, doli mali exceptione repellet legatarium: velut, Titio legatum est, quia res defuncti fideliter gesserit; heres docet illum fuisse infidelem, & testatorem hac hypothesi non fuisse eum honoraturum; nihil habebit *l.* 72. §. 6. *d. C. & D.*

72. *Ordo* scripturæ in collocandis legatis nihil turbat; est quidem naturale magis, ut heredis institutio tanquam

quam basis testamenti primo loco ponatur, legata sequantur, quod Veteres præcisè volebant; at aliter si fiat, non vult Cæsar periclitari testamentum §. 34. *h.* velim tamen Notarii nostri desinant sibi placere, cum legata collocant ante heredis institutionem, omni die & aliter vix unquam.

73. Pœna legatis vel institutionibus adjici solita, duplex est; una ut melius impleatur voluntas, altera ut heres coerceatur. Prior & est & fuit olim licita *l.* 1. *in pr. d. pen. leg. arg. l.* §§. *f. d. Except. dol.* nisi justa causa sit excusationis, *Sand. l.* 4. *tit.* 6. *def.* 1. *verf. hæc ita.*

74. Altera olim erat illicita, quia legata benevolentiæ, non odii causâ relinquuntur; hodie valent, nisi turpes aut impossibiles sint pœnæ, quæ vitiant legatum §. *ult. h.*

75. Nempe, quia heredi imponuntur; legatario impositum turpe vel impossibile quid habetur pro non scripto; talia enim sunt inutilia, in favorem eorum, quibus adjecta sunt. *vid. supra de hered. inst. n. f.* exempla dabuntur alias.

76. Modus in specie est adjectio, quâ testator scopum & usum rei legatæ designat, veluti ut Cajam alat, hoc aut illud fiat *l.* 17. §. *f. d. C. & D.*

77. Quibus ex *modo* jus comparatum est, hi mortis causa capere dicuntur & agere possunt quasi è fideicommisso, jure novo; secus olim *l.* 2. *C. de his quæ sub mod.*

78. Pars IV. tituli sit de jure petendi legatum Nascitur hoc, quando dies cedit, & jam diximus, diem legatorum & hereditatum cedere statim à morte Testatoris *l.* 5. §. 1. *Quand. d. leg. ced. l. un.* §. 1. *& 5. C. de Caduc. tol.*

79. Excipiuntur legatum ususfructus & libertatis, quorum dies cedit ab adita hereditate *l.* 42. *d. t. ff. d. l. un* §. 6.

80. Conditionalia & in diem incertum relicta cedunt post conditionem existentem *l.* 4. *in pr. l.* 5. §. 2. *Quand.*

a leg. ced. Sand. 4. 4. 7. *v. in tertia.* dies certus & conditio impossibilis faciunt puras voluntates *d. l.* 4. § 1. *d. l.* 5. §. 4.

81. Effectus, inquam, diei cedentis est, quod jus agendi parit & quod moriens post eam diem, sibi relicta transmittit ad heredem, ante eam nihil *l.* 5. *in pr. & pass. d. tit.*

82. Olim non poterat peti legatum post mortem heredis aut legatarii relictum; erat enim regula; actio quæ non cœpit à defuncto vel contra defunctum, nec incipere potest ab herede vel in heredem; sed hæc regula sublata est, & legatum isto modo relictum valet §. 35. *h. l. un. C. ut. act. ab hered.*

83. Cæterum, dies legati non venit, hoc est, legatum actu non potest peti, ante hereditatis aditionem, cum non sit prius, à quo petatur; proinde si hereditas non adeatur, testamenti vis resolvitur *l.* 181. *d. R. I. l.* 9. *de Testam. tut.* & legata intercidunt §. 2. *in fin.* I. *d. Leg. falcid.* Casus exceptos vide apud Sandium *l.* 4. *tit.* 4. *def* 10.

84. Quod si heres primus deficiat, à quo legatum est relictum, substitutus tenetur, itemque coheres in casu accrescendi, nisi aliter à Testatore sit cautum *l.* 74. *de. legat.* 1. *l.* 61. *d. Leg.* 2.

85. Actiones ad petendum legatum tres sunt proditæ, personalis è testamento, in rem & hypothecaria §. 2. *sub fin. h. t.*

86. I. Est actio Personalis è testamento adversus heredem, vel si plures sint, contra singulos pro partibus hereditariis; quæ datur è quasi contractu adjectionis, de quibuslibet rebus legari solitis *l.* 33. *in pr. d. legat.* 2. *l.* 17. *d. duob. reis.* §. 5. *I. de oblig. ex quas. contr.*

87. II. Actio in rem, è dominio, quod ipso jure transit in legatarium, adversus quemlibet rei legatæ possessorem, si corporalis sit & propria testatoris. *l.* 64. *in fin. de Furt. arg. l.* 6. *d. R. V.*

88. III. Est hypothecaria, ex hypotheca, quam lex dat

de legatario in bona teſtatoris, adverſus quemlibet rerum hereditariarum poſſeſſorem §. 2. *ſub fin. h. l.* 1. *C. Comm. de Legat. & fideic.*

89. Tenetur & in fructus atque uſuras heres, non modo à lite conteſtata, ſed etiam à mora extrajudiciali, ſicut in bonæ fidei judiciis, adeoque *à Tempore ſcientiæ l.* 40. *d. A. R. D.* Licet actio legati potius ſtricti juris ſit. *l.* 91. §. *ult. d. leg.* 1. *l.* 78. §. 2. *l.* 87. §. 1. *d. Legat.* 2. *l.* 23. 4. *C. d. uſur. legat.* Wiſſenb. ad *tit. de Legat.* 2. *th. ult.*

TIT. XXI.

De adimendis Legatis.

TEſtamenta ſunt ambulatoriæ voluntatis *l.* 6. *d. adim. leg.* Adimuntur autem legata expreſſe vel tacite; utroque modo verbis aut Re.

2. Verbis expreſſe, quando Teſtator ait, quod Titio legavi, hoc ipſi non do, non lego, vel adimo; *Tacite*, quando legatum transfertur ab uno in alium, ut quod Titio legavi, hoc Sempronio do lego §. 1. *h.*

3. *Re*, adimitur legatum expreſſe, quando Teſtator legatum delet aut cancellat. *l.* 1. *d. his quæ in teſtam. del. cancell.*

4. *Re*, tacitè variis modis. I. propter gravem inimicitiam inter teſtatorem & legatarium ortam nec reconciliatam, ſine diſtinctione, utrius culpa contracta ſit *l.* 3. §. *ult. cum l. ſeq. h. t.* quod ſecus in hæreditate *l.* 22. *Eod.*

5. II. Per alienationem voluntariam rei legatæ à teſtatore factum; Si enim ex neceſſitate alienaverit non præſumitur ademptio §. 12. *tit. præced.*

6. III. Per mutationem rei ſpecificam, qualem habuimus in §. 25. *ſupr. de A. R. D.* velut, ſi ex ligno legato navis ſit facta, vel navis legata diſſoluta ſit *l* 88. §. 1. & 2. *d. Legat.* 3. perinde ſi ex lana legata facta ſit veſtis

vestis *d. l.* 88. *in pr.* licet de hac specie secus putet Ulpianus in *l.* 44. §. 2. *de Legat.* 1.

7. Sed massâ argenti legatâ, & scyphis inde factis, manet legatum, scyphi recte petuntur *d. l.* 88. §. *ult.* idem si poculo legato massa inde facta est *d. l.* 44. §. 2. nec aliud, si areæ legatæ domus imposita sit *l.* 98. §. *fin. versu, non est his. d. Solut. l.* 44. §. 4. *d. leg.* 1. *l.* 39. *d Leg.* 2. nec obstat *l.* 79. §. *pen. d. leg.* 3. *vid. Prælect.* Aliter Wissenbach. ad *tit. ff. d. Legat.* 1. *th.* 16. & 18.

8. Repudiatione hereditatis prælegatum non amittitur *l.* 87. cum 2. *ll. seqq. d. Legat.* 1. *l.* 12. *C. de Legat. arg. l.* 4. *ad. Sc. Trebell.* nisi testator aliter sanxerit *l.* 88. *d. t. de Legat.* 1. *Sand.* 4. 47.

TIT. XXII.
De Lege Falcidia.

LEge XII. Tabularum Testator heredem legatis onerare poterat in infinitum, ut nihil ei supereſſet; quæ res multos ab adeunda hereditate absterrebat; ideoque non minus testatorum quam heredum in gratiam lex Falcidia introducta est, tempore *Trium-virali pr. h.*

2. Sententia ejus est, ut ad minimum pars quarta hereditatis maneat penes heredem; qui detrahit, quod plus dodrante legatum fuerit *d. pr. l.* 1. *in pr. l.* 17. *h. t.*

3. Et quidem singuli heredes in sua parte gravati habent hoc jus, etsi major pars hereditatis, ad quam alii sunt vocati, libera sit §. 1. *h.*

4. Quin etiam heres qui semissem habet liberum, si gravata pars ei accreverit, ab ea Quartam detrahit; cum alioqui nihil ipsi accederet. Verum si alteri, cujus semis exhaustus est, libera pars accreverit, hic non potest detrahere; quia sic satis grandi lucro potitus est *d.* §. 1. & *l.* 78. *h.* vid. Wissenbach. *add. tit. ff. th.* 14.

5. Judicium hoc, an Quarta sit salva nec ne, colligendum est ex quantitate bonorum, quæ fuit tempore mortis; incrementum aut decrementum postea super-

ſuperveniens hactenus non attenditur §. 2. *h. t. l.* 30. *h. t.*

6. Poteſt tamen heres compellere legatarios indirecte, ut ſecum paciſcantur; ſi præ le ferat, quod velit hereditatem repudiare; id enim ſi fieret, legatarii nihil haberent *d.* §. 2. *h.*

7. An hac viâ indirecta adhuc ſit opus poſt *Nov.* 1. *c.* 1. §. 1. & 4. vide ſis *Prælect. ad hunc loc.*

8. Cæterum, ne temere quarta detrahatur, bona recte æſtimanda ſunt vero & communi pretio, non *formali*, ut ait *l.* 2. §. 1. *l.* 42. *h. t.* eiſque detrahendum æs alienum, impenſa funeris & judiciales ſumptus hereditatis jacentis, ac ut olim erat, pretia ſervorum manumiſſorum; his deductis, bona reliqua cum legatis conferenda tantumque detrahendum; quantum deeſt Quartæ §. 3. *h. l. ult.* §. 9. *C. de jur. delib.*

9. Plures ſunt modi, quibus Falcidia ceſſat: Reſpectu Teſtatoris, heredis & rei legatæ.

10. I. Reſpectu teſtatoris, ſunt tres caſus I. Si miles ſit, caſu quo privilegio teſtandi gaudet *l.* 7. *C. h. l.* 17. & *l.* 40. *D. eod.* II. Si prohibuerit, quod poteſt jure novo *N.* 1. *c.* 2. III. Si teſtator vivus heredi Quartam repræſentaverit *l.* 56. §. *ult. h. t.*

11. Reſpectu Heredis ſunt etiam tres caſus. I. Si quibuſdam legatariis ſolida legata ſolverit; non ignorans vires hereditarias, *N.* 1. *c.* 3. nam juris error non prodeſt *l.* 9. §. 3. *d. jur. & fact. ignor.* II. Si inventarium facere neglexerit *d. N.* 1. & *c.* 2. III. Si id egerit heres, ut fideicommiſſum intercideret *l.* 59. *in pr. h. t.*

12. Reſpectu rei legatæ ſunt adhuc tres caſus; I. ceſſat in legato ad pias cauſas *N.* 131. *c.* 12. *vid. Sand.* 3. 7. 10. II. in rebus alienari prohibitis *N.* 119. *c.* 11. III. in rebus hereditati ſubtractis *l.* 24. *in pr.* quod explicatur *in l.* 6. *d. his quæ ut indign.*

13. In legato debiti, quod ſit creditori, & in legato dotis volunt etiam ceſſare Falcidiam: potius ibi locum habet, quatenus aliquid commodi in illis poteſt

esse situm; at alioqui nec legata illa subsistunt *l.* 1. §. 10. *l.* 57. *h. t. l.* 2. §. 1. *d. dot. præleg.*

TIT. XXIII.

De Fideicommissariis Hereditatibus & ad Sc. Trebellianum

HActenus de his, quæ in Testamento directè relinquuntur, liberalitates indirectæ vocantur Fideicommissa.

2. Fideicommissum, est omne id, de quo quis suprema defuncti voluntate rogatus est, ut det vel faciat.

3. Olim fiebat, eum Testator incapacem, ut erant proscripti, cælibes, orbi, feminæ; alieno ministerio honorare volebat ideoque heredem scribebat, qui legibus capere poterat, eum rogans, ut alteri incapaci partem vel omnia restitueret §. 1. *h. Ulpian. tit.* 25. §. 6. & 15.

4. Hi quorum fidei relicta committebantur, in arbitrio habebant, utrum quod rogati erant restituere vellent, nec ne, donec ab Augusto sancitum est ut cogerentur. *d.pr.*

5. Hodie non licet personas legibus prohibitas honorare testamento *l.* 3. *d. his quæ pro non script.* nec tamen fideicommissa desierunt; pro tertia specie substitutionis frequentantur, fere in casum. *si primus heres moriatur.*

6. Fideicommissum est vel universale, vel singulare. Illud, cum heres rogatur totam hereditatem vel partem assis alii restituere, & dicitur hereditas fideicommissaria *pr. h.* Singulare, cum quis rem certam rogatus est alii restituere, de quo agetur *tit. sequ.*

7. Heres, qui rogatur restituere dicitur Fiduciarius, & cui restitutio fieri debet, is est fideicommissarius. Uterque debet exprimi in Testamento; sola substitu-

stitutio sine institutione non valet, & secundus heres sive fideicommissarius suum jus consequi debet à fiduciario §§. 2. & 3. *h.*

8. Proinde si hic moriatur ante testatorem, vel institutio inde ab initio nulla sit, fideicommissarius nihil consequitur, quia bona non possunt transire, devolvi & pervenire de primo in secundum, nisi mediante restitutione; restitui autem non possunt, nisi primus ea prius adeptus sit. *arg. d.* §. 2. & 3. *Sand. d. loc. vers. Nam ex recepta &c.*

9. Fuerunt hac de re duo Senatus-consulta, Trebellianum & Pegasianum. Illo cautum fuit, ut æs alienum una cum bonis transiret in fideicommissarium, cum id ipso jure primo heredi incumberet, qui, bonis licet restitutis, manebat adhuc heres; quoniam ea qualitas indelebilis est §. 4. *h. l.* 88. *d. hered. instit.*

10. Pegasiano concessum est heredi, ut si plus dodrante rogatus esset restituere, liceret ei quartam partem deducere, non secus atque Falcidia quarta de legatis detrahitur, idque tam de fideicommissis singularibus quam de hereditate. §. 5. *h. t.*

11. Quare, si quarta per se erat salva, fiduciarius utebatur Trebelliano, ut actiones transirent pro rata bonorum quæ restituebantur; si non erat salva, Pegasianum usurpabat: utroque beneficio simul uti non poterat §. 6. *h.*

12. Proinde, si quartam ex Pegasiano deduceret, omni ære alieno tenebatur, idem omnes actiones hereditarias exercebat. Cui incommodo per stipulationes mutuas de lucro damnoque pro portione quartæ atque dodrantis partiendo occurrebant *d.* §. 6. *in fin.*

13. Secuta est Justiniani emendatio. Ille Pegasianum Sctum abolevit, ejusque vim omnem transfudit in Trebellianum; quod ita jam tribus partibus constat §. 7. *h.*

14. Primo sanxit, ut fiduciarius hereditatem adire eamque fideicommissario, die cedente, restituere co-

gatur *l.* 4. & *seqq. l.* 13. §. 3. & 4. *l.* 14. §. 1. *ad Sc. Trebell.* vel si mortuus, ejus heres *l.* 44. *in pr. eod.*

15. Dies autem cedit ab eo tempore, quo hereditatem ad fideicommissarium pervenire voluit, quod est plerumque; *cum moritur fiduciarius*; modo bene observetur; utrum tempus adjectum sit fideicommisso, an solutioni præstandæ, ut *in l.* 46. *Eod.* quæ res maxime habet usum in fideicommissis singularum rerum.

16. Quando autem fiduciarius se cogi sustinet, nihil, præter nudum juris ministerium præstat, neque de damno tenetur *d. l.* 4. *eod tit.* sed agere potest, ut alter suscipiat hereditatem *l.* 44. *in pr. h. t.*

17. Verum coactio minus *hodiè* frequens est, postquam mos rogandi heredes, ut confestim restituant, obsolevit; nunc quia domini sunt, dum vivunt & bonis fruuntur, raro coguntur.

18. Caput II. *Scti est*, ut onus æris alieni pro rata dividatur inter fiduciarium & fideicommissarium, ita ut fideicommissarius pro tribus partibus, fiduciarius pro quarta teneatur §. 3. & 7. *h.*

19. Excipe, si heres fiduciarius rem vel summam pecuniæ certam loco Quartæ retinere sit jussus; eam quippe legati instar habet liberam, etsi quartam longe superet, nisi creditores ex reliquis bonis dimitti nequeant §. 9 *h. l.* 1. §. 17. *d. t. ad Sc. Trebell.*

20. Legata solvi debent ab soto fideicommissario, quia fiduciarius quartam ex omnibus bonis habere debet *l.* 1. §. *ult. h. t. l.* 5. §. 1. *C. ad L. Falcid.* at si hic plus quarta percipiat, etiam de legatis tenetur *l.* 1. §. *pen. ad Sc. Trebell.*

21. Pars III. Sti Trebelliani sit de Quarta, quam heredem, si plus dodrante restituere sit rogatus, detrahere posse jam diximus.

22. Fructus percepti, dum bona fuerunt apud fiduciarium, non restituuntur, nisi mora facta, vel heres id expresse aut tacitè rogatus sit *l.* 18. *in pr. d. t. de Sc Trebell.* formulæ tacitæ rogationis sunt in *l.* 32. *l.* 63. §. 4.

§. 4. *eod. l.* 3. *d. usur.* Wissenbach. *ad d. tit. th.* 6. & 7.

23. At vero in quartam fructus imputantur *d. l.* 18. *in* §. 1. exceptis liberis primi gradus, qui habent Quartam supra fructus *l.* 6. *C. de Sc. Trebell.*

24. Liberi & parentes fideicommisso gravati quando legitimam, quæ superat Quartam, habent salvam, præter & supra illam non habent quartam Trebellii; quia hæc demum competit iis, quibus non est salva quarta §. 5. & 7. *hic l.* 1. *l.* 6. *pr.* Wissenb. ad *d. tit. ff. th.* 17. Aliter Doctores prisci, quorum sententia in foro hac parte pro jure valet *Sand.* 4. 7. 3.

25. Creberrima sunt hodie fideicommissa sub conditione *si primus heres sine liberis moriatur*, quæ in filio gravato subintelligitur, etsi non sit expressa *l.* 102. *d. C.* & *D. l.* 30. *C. de fideicomm.*

26. In testamento plerumque fideicommissa relinquuntur, possunt tamen & ab intestato, §. 10. *h.* cum heres legitimus, nullo facto testamento, rogatur alicui restituere hereditatem, quam habet è tacita defuncti voluntate *l.* 1. §. 6. *d. Legat.* 3. ne putes obstare *l.* 9. *C. de fideicom.* ubi is, cui nihil relictum est, fideicommisso gravari non potest.

27. Etiam, cui ex fideicommisso restitui debet hereditas, denuo rogari potest, ut alii restituat hereditatem; quod est fideicommissum graduale, & hic rursus aliis usque in perpetuum §. 11. *h.*

28. Quarta tamen nonnisi semel deduci potest, nisi primus heres in gratiam secundi eam detrahere neglexerit *l.* 47. §. 1. *π. ad L. Falcid. l.* 22. §. *ult. ad Sc. Trebell.*

29. Servant tamen ita in foro, ut perpetuum fideicommissum ne ultra quartum gradum extendatur, nisi enixa testatoris voluntas sit in contrarium, ac ita accipiunt *Nov.* 159. Sand. 4. 5. 4.

30. Quarta Trebelliana cessat iisdem casibus, quibus Falcidiam diximus *tit. præc. sub fin. arg. l.* 11. *d. legat.*

legat. 1. *l.* 30. §. 7. *d. L. Falcid.* nisi quod Trebelliana liberis hodie interdici nequeat, ut in foro servant. Sand. 4. 7. 5.

TIT. XXIV.

De singulis rebus per fideicommissum relictis.

SIngulare fideicommissum est, Quando heres vel legatarius rogatur à Testatore, uti rem certam vel plures, veluti fundum, pecuniam, alii restituat *pr. d. t. l.* 4. *C. de fideic*

2. De hoc, non de universali fideicommisso, intelligendum est, quod dicitur inter legata & fideicommissa nullum amplius esse discrimen §. 3. *supr. de Legat. l.* 1. *d. Legat.* 1. *l.* 2. *C. Comm. de Legat.*

3. Sic olim à legatario nihil poterat legari *fin. pr. h.* potest hodiè. res etiam heredis & alienæ per fideicommissum relinqui possunt, sicut de legatis audivimus §. 1 *h.* modo ne Testator, plus, scilicet, præstare jubeat quam ipse relinquit. *d.* §. 1. *Nam quod amplius est, inutiliter relinquitur*, ait textus; nec gravatus id præstat, etsi legatum agnoverit; Quin nec heres de legatis ultra vires hereditarias tenetur *l.* 1. §. 17. *ad Sc. Trebell.*

4. Termini tamen, adeoque res adhuc sunt diversæ, Legata & fideicommissa; nam quod verbis directis & imperativis relinquitur, legatum dicitur; quod obliquis & precativis, hoc est fideicommissum §. *ult h.*

5. Quin & reales effectus aliqui manere post adæquationem; ut in libertate, quæ directe legata competit ipso jure servo, immediatè, inquam, à defuncto; unde vocatus est libertus orcinus. At relicta per fideicommissum, ab herede præstanda est, unde fiebat libertus heredis §. 2. *h.*

6. Hoc tamen ad alias res minime producendum; sed

sed relicta nobis per fideicommissum æque fiunt ipso jure nostra, quam quæ legantur, per *d. l. 2. junctâ. l. 1. C. comm. de Legat.*

7. Sed differentia illa manumissionis nunc inutilis est. Alia supereſt in §. *ult. tit. præced.* quæ tam adres singulas quam ad hæreditates fideicommissarias pertinent *d. §. f.* Scil: fideicommissum præsente & audiente herede relictum valet, si modo per duos testes probetur, vel gravatus se rogatum esse fateatur, aut si neget, defertur ei jusjurandum *l. ult. C. de fideicomm.* At in legatis, non est illa vis obligandi heredis animum; quæ est in formâ fideicommissi; Proinde in illis, sicut in omni ultima voluntate, requiritur, ad minimum, numerus quinque testium *d. §. f. & l. ult §. ult. C. de jure codicill.* Sande 4. 5. 18. *vers. Illud hic probe notandum.*

TIT. XXV.

De Codicillis.

Testamentorum solennitas satis enormiter abit à simplicitate juris gentium; Ideo Codicillus est repertus, ut quando hominibus non vacat tot ritus adhibere, minus molestè voluntates suas condant *in p. h. t.*

2. Codicillus est ultima voluntas minus solennis, carens heredis institutione; nec tamen fieri potest, nisi ab eo, cui est jus faciendi testamentum *l.* 6. §. 3. *l.* 8. §. 2. *d. jur. Cod.* non obstantibus verbis *in fin. pr. h. t. si quis testamentum facere non posset, tamen codicillos posset*; hæc enim de impedimentis facti intelliguntur.

3. Differentia ejus à Testamento in summâ est duplex, minor solennitas (olim nulla, §. *f. h.*) & quod heredis institutionem non recipit.

4. Cessant hoc solennitates testamentariæ, inquam, nisi

nisi quæ nominatim sunt expressæ, quales duæ sunt, unitas contextus & numerus quinque testium *l. ult. C. h. t.*

5. Hinc recte dixeris, fœminas posse testes in codicillis esse, cum generaliter sint habiles ad testimonium & prohibitio in testamento sit extraordinaria. *vid. l.* 18. *d. Testib.*

6. Non modo heredis institutio, sed & substitutio & exheredatio & conditionis adjectio *directe* in codicillo prohibentur §. 2. *h. l.* 10. *D. eod. l.* 2. *C. eod.* ita ut factæ ipso jure nullæ sunt *l.* 6 *in pr. d. jur. Codic.*

7. At per fideicommissum illa omnia rectè fiunt *d.* §. 2. *h. t.* quin & directa substitutio pupillaris & confirmatio heredis antea inutiliter instituti flectuntur in vim fideicommissi *l.* 76. *ad Sc. Trebell. l.* 2. §. *ult. de Jur. Codicill.* declaratio quoque heredis testamento instituti, sed forte non nominati directe valet *l.* 77. *d. hered. inst. l.* 19. *d. cond. inst.*

8. Porro, codicillus fit vel testato, vel ab intestato. Testato, quando præter codicillum extat testamentum §. 1. *h. l.* 8. §. 1. *h. t.* ab intestato contra *dd. ll.*

9. Quando fit testato, tum vires capit è testamento, ab eoque pendet *l.* 3. §. *ult. h. t. l.* 77. §. 12. *d. Leg.* 2. saltem in iis quæ juris sunt *l.* 7. §. 1. cum ab intestato, tum sua vi subsistit & heres legitimus relicta implere debet *l.* 16. *eod.*

10. Testato facti confirmantur testamento vel non. confirmatio fit vel priori vel posteriori testamento, quam est codicillus. Confirmationis quæ se refert ad futurum codicillum, habes exempla in *l.* 6. §. 2. *l.* 8. *in pr. d. tit. l. ult. d. fideicomm. libert.*

11. Confirmatio prioris codicilli in sequente testamento olim erat necessaria ad sustinendum codicillum, qui sine ea peribat §. 1. *h. l.* 5. *d. tit. d.* hodie non tollitur vetus codicillus per sequens testamentum, nisi diserte in eo abrogetur §. 1. *in fin.*

12. Interest tamen, confirmati sint nec ne; si enim con-

confirmati fuerint, tutor in iis & libertates directo dari possunt, alias nonnisi per fideicommissum *l.* 3. *d. testam. Tut. l.* 1. §. 1. *d. confirm. tut. l.* 43. *d. manum. testam.*

13. Imo nec codicillus posterior tollit codicillum priorem, nisi quatenus ei expresse per alterum derogatur §. *ult. b.* Ratio, quia codicillus non est universalis, quippe carens heredis institutione, plura autem particularia simul consistere possunt, non plura universalia, sicut in testamentis. *supr. Quid mod. testam. infirm.* §. 2. & 3.

14. Testamentum vitiosum valet jure codicilli, quando clausula codicillaris adjecta est, quæ sic fit; *Si hoc meum testamentum non poterit valere jure solennis testamenti, volo ut valeat jure codicilli, aut alio omni meliore modo l.* 29. §. 1. *Qui testam. fac. poss.* adde *l. pen.* §. *ult. d. Leg.* 2.

15. Non opus est addi, quod vulgo fit, ut valeat tanquam donatio mortis causa, vel ut testamentum nuncupativum; non prius, quia magis est, ut donatio mortis causâ in testamento fieri nequeat, sicut antea dictum *ad tit. de testam. ord. n.* 22.

16. Et posterior adjectio non habet usum, nisi quando universa dispositio testibus prælegitur, quod raro fit; implicat alioqui, ut quod testes non audiverunt, id jure nuncupativi valeat.

17. Supplet hæc clausula defectum solennitatum; sed vitia, quæ testamentum solenniter factum subverterent, emendare non potest, ut liberorum præteritionem, exheredationem injustam, voluntatem non perfectam. &c. nec enim ratio fert, ut testamentum clausula codicillari subnixum valeat plus quam codicillus; atqui pro monstro est, ut quæ leges per solenne testamentum fieri vetant, ea prætextu codicilli effectum habere velint.

18. In foro tamen ita obtinet, ut nullum fere sit vitium (exceptâ præteritione postumi *Gail.* 2. 114.) quin ope

ope hujus clauſulæ corrigatur idque viâ fideicommiſſi, quaſi heres ab inteſtato vel priore teſtamento ſcriptus, ſit rogatus poſteriore teſtamento, quæ male diſpoſita ſunt implere, ſalvâ ipſi Quarta, velut è Trebelliano, idque probant ex *l.* 29. §. 1. *Qui teſtam. fac. l.* 2. §. *ult. l.* 13. §. *ult. h. t.* Sande *l.* 2. *tit.* 2. *def.* 2.

19. Qui voluit facere teſtamentum ſed fecit vitioſum, non adjecta clauſula codicillari, nihil agit *l.* 4. §. 3. *d. vulg & pup. ſubſt. d. l* 13. §. *ult. h. t.* In foro tamen vel clauſula codicillaris ſubintelligitur, vel ſaltem, vitioſa diſpoſitio pro codicillo haberur, etſi Teſtator voluntatem ſuam vocaverit *Teſtamentum*, quia ſub voce teſtamenti etiam codicillos intelligunt. Sand. *l.* 4. *tit.* 1. *def.* 12.

LIB.

LIB. III.

De Ordine ſuccedendi ab inteſtato, ſecundum Nov. 118.

TAta accepimus à Præceptoribus, ita nos quoque præcepimus, Tredecim priores titulos hujus libri in prima inſtitutione prætervehi; quia tantum ſunt hiſtoria juris antiqui non equidem ſpernenda ſtudioſo, ſed commodius in Pandectis, ubi denuo occurrunt hi tituli, enarranda.

2. Bonum factum, ſi primo tyrones condant in memoria, Quomodo Juſtinianus ſucceſſiones ab inteſtato conſtituerit; nam is per *Nov.* 118. omnes leges antiquas hac de re ſuſtulit, ac, ut ipſe loquitur, *otium illis fecit*, τῶν προτέρων νόμων ἀργήντων *d. N. in pr.*

3. Lex Romana cuique patrifam. dedit liberam teſtandi de rebus ſuis pro lubitu diſponendi; *l.* 120. *d. V. S.* ceſſante Teſtamento, hereditas defertur ex ejuſdem voluntate præſumptâ *l.* 8. §. 1. *d. jur. codic.* proinde quamdiu ſucceſſio teſtamentaria ſperatur, legitima non habet locum *l.* 39. *de acquir hered.*

4. Præſumptio voluntatis non expreſſa verbis aut ſcripto, colligitur ex affectu atque στοργῇ defuncti, & hæc à conjunctione ſanguinis, cujus tria diſcrimina, totidemque ordines ſuccedentium ab inteſtato collocantur, Deſcendentium, Adſcendentium, & Collateralium *d. pr. N.* 118.

5. Deſcendentes, quibus natura maxime vult conſultum, primo loco vocantur; & hi diſtinguuntur, quod vel ſint ex juſtis nuptiis, vel extra eas nati.

6. Qui ſunt ex nuptiis vel ex eodem vel ex diverſis ſunt matrimoniis.

7. Qui

7. Qui ex eodem, sunt vel primi vel ulterioris gradus.

8. Liberi primi gradus succedunt in capita; qui ulterioris, in stirpes, sive jure repræsentationis, κατὰ ςείρας, ait Justinianus *d. N. c.* 1.

9. Est autem repræsentatio, quando plures tantundem accipiunt ac solus eorum parens fuisset habiturus.

10. Hæc repræsentatio in lineâ rectâ semper & in infinitum obtinet, sive omnes sint nepotes, sive aliqui primi gradus cum illis concurrant. *d. cap.* 1.

11. Alia discrimina marium & fœminarum, suorum & emancipatorum, primo & postgenitorum ab Justiniano improbata sunt. *eod. c.* 1. & 2.

12. De his qui sunt è diversis matrimoniis, hæc regula est; communi parenti succedunt communiter, proprio separatim; hoc est, quisque suo parenti, sicut natura monstrat.

13. Enimvero, quod liberi prioris matrimonii præcipiunt ea quæ parens communis à priori conjuge vel prioris matrimonii liberis adeptus est, id huc non pertinet, sed ad pœnas secundarum nuptiarum *l.* 3. *C. de secund. nupt.*

14. Liberi extra justas nuptias creati, sunt vel legitimi vel illegitimi. legitimi sunt adoptivi & legitimati.

15. Adoptivi succedunt ut naturales, tam qui ab extraneis quam ab adscendentibus sunt adoptati §. 2. *Jupr. de Adopt.* §. 14. *I. de Succeff. ab inteft.*

16. Legitimati per subsequens matrimonium succedunt simpliciter §. 2. *eod. tit.* per rescriptum Principis legitimati non aliter, quam deficiente prole legitimâ, quia non aliter legitimantur *Nov.* 89. *c.* 9.

17. Illegitimi sunt nothi, spurii, incestuosi, adulterini.

18. Nothi, sive naturales non legitimati succedunt matri simpliciter, *l.* 2. *unde cognati*; patri in sextantem cum matre dividendum, si proles legitima desit; quâ extan-

extante solummodo sunt alendi *d. Nov. 89. c. 12. §. 4. auth. licet. C. de donat. lib.*

19. Spurii, hoc est, patre incerto nati, paternæ successionis expertes sunt, matri succedunt, nisi illustris sit & liberos habeat legitimos *d. l. pen. C. ad Sc. urphit.*

20. Sub spuriis numerantur enim, qui contra præcepta legum nati sunt; velut è nuptiis in vito patre contractis *§. pen. I. supr. de Nupt. N. 89. c. ult.*

21. Liberi adulterini & incestuosi adeo non succedunt, ut ne alimentis quidem digni habeantur *d. N. 89. c. ult.* ubi de spuriis idem; quod tu tamen ita noli capere; quasi fame necandi vel parentes sumptu levandi sint. *dix. in prælect. h. l.*

22. II. Ordo est adscendentium, qui deficientibus liberis vocantur, ex ratione *l. 15. in pr. d. inoff. testam.*

23. De his est regula, quod gradu prior jure sit potior, pares gradu pariter admittantur *cap. 2. d. N. 118.*

24. In primo gradu dividunt Adscendentes hereditatem in capita, sed in ulteriori fit divisio secundum lineas, cum stirpes hic non sint *d. cap. 2.*

25. Linea est materna vel paterna; materni adscendentes auferunt unum semissem, paterni alterum; licet numeri disparis & licet ab uno latere cuncta bona venerint *ibid.*

26. Nam, ut dictum, successionis hujus fundamentum non est consideratio, *unde bona venerint*, sed affectio sanguinis *supr. n. 4.*

27. Cum adscendentibus seu patribus sive avis vocantur una fratres & sorores utrimque conjuncti & cum his defunctorum liberi in stirpes, reliqui in capita *d. c. 2. junct. N. 127. c. 1.*

28. Liberi fratrum soli ab Adscendentibus excluduntur; quia tum cessat repræsentatio *d. N. 127. cap. 1.* Doctores tamen communiter contra sentiunt, invito Justiniano; Curiis illos, ut fit, sequentibus *Sand. 4. 8. 5.*

29. Fratres uno latere juncti defuncto, excludun-tur ab adscendente, licet ex hujus persona defunctus & superstes frater fuerint conjuncti. Sand. 4. 8. 4.

30. III. Ordo est collateralium, quorum primi vocantur fratres & sorores germani, sive defuncto utrimque conjuncti & præmortuorum liberi, sed hi per repræsentationem in stirpes *d. N. C.* 3.

31. Fratres & sorores ab uno latere conjuncti à germanis excluduntur, etiam à liberis germanorum vi repræsentationis *d. N. c.* 3. Sand. *l.* 4. *tit.* 8. *def.* 3.

32. Quando nulli sunt fratres, sed tantum liberi fratrum, hi pariter in capita admittuntur; licet ex uno latere plures, ex altero pauciores sint nati *d. c.* 3.

33. Nam repræsentatio in collateralibus non habet locum, nisi in fratrum liberis, quando succedunt cum propriis thiis aut uno saltem ex illis; cum propriis, inquam; non defuncti thiis.

34. Per thios intellige patruos, avunculos, amitas, materteras; vox enim græca est.

35. Liberi germanorum præferuntur liberis uterinorum & consanguineorum; quia parentes eorum præcedunt, *n.* 31. ergo & ipsos. Sand. 4. 8. 3.

36. Sed fratres uterini & consanguinei æquale jus habent pariterque succedunt, sine discrimine bonorum paternorum ac maternorum *d. c.* 3. respice *ad n.* 4. & 26. Olim secus fuit *l.* 13. §. 2. *C. de Legit. hered.* cui derogatum per *d. N.* 118. *in pr.* In foro tamen jus vetus fere sequuntur. Sand. *l.* 4. *tit.* 8. *def.* 1.

37. Secundum hosce reliqui sanguine juncti cognati, agnati, mares, feminæ juxta ordinem graduum simpliciter vocantur, qui priores sunt præferuntur, qui pares sunt, æqualiter partiuntur *d. c.* 3. *inf.*

38. Hinc patruus defuncti & filius fratris simul succedunt; nam quod filius fratris præfertur in *d. cap.* 3. verbis *illud palam est*; id accipiendum de concursu cum propriis thiis & adscendentibus defuncti. Vulgo tamen Dd. aliter censuerunt, eoque & Sandius inclinare videtur *d. tit.* 8. *def.* 6. 39. Si-

39. Similiter Sobrini, quos in gradu quarto novimus esse, concurrunt cum nepotibus fratrum; idque Curia nostra probavit apud Sandium *d. def. 6.*

40. Sed nec duplicitas vinculi ultra fratrum liberos inspicitur, adeo ut patruus ab uno latere junctus concurrat cum amita utriusque lateris *d. cap. 3. in fin. Sand.* 4. 8. 2.

41. Vocantur autem agnati & cognati in infinitum, non ad decimum gradum, ut putant Dd. apud Forster *l. 3. d. succes. c. 9. n. 1. & 2.* idque nec olim secus obtinuisse probatur ex §. 3. *I. de legit. agnat. tut. l. 2. §. 1. d. suis & legit. hered.*

42. Quid juris sit de hereditatibus delatis infantibus & furiosis, petendum ex iis quæ diximus ad *tit. 19. n. 32.*

43. Deficiente omni sanguinis lineâ, conjuges vocantur ex Edicto Prætoris, Unde vir & uxor *tit. D. & C. unde vir. & ux.* quod nec abrogatum per hanc *Nov.* 118. quæ tantum de consanguineis loquitur.

44. Imò & aliàs conjux pauper succedit defuncto conjugi locupleti in virilem portionem, si plures sint tribus liberis, si pauciores vel nulli, tum in Quartam. *Auth. Præterea C. und. vir. & ux.* quod tam ad virum inopem quam ad uxorem pertinet *d. Auth. N. 53. c. 6. in fin. pr. &* §. 2. cui non est derogatum per *Nov.* 117. *c. 5. in fin.*

45. Si nec conjux reperiatur, Collegia vocantur curialium, naviculariorum, cohortalium & fabricensium; denique, legiones & vexillationes, quarum defuncti membra fuerunt. *tit. C. de Heredit. decur. navicul. &c.*

46. Postremo Fiscus bona vacantia occupat, si intra quadriennium ipsi nuntiata sint *l. 1. §. 2. d. jur. Fisc.* quod currit, ex quo certum est, nullum extare successorem *l. 10. §. 1. d. diverf. tempor. præscr. d. l. 1. §. 2. d. jur fisc.*

47. Si diversum jus succedendi ab intestato in locis

ubi vixit defunctus & ubi bona sunt sita, obtineat; in mobilibus servatur jus domicilii, in immobilibus, rerum sitarum *Sand.* 4. 8. 7. fierique potest ut hac causa partim è testamento, partim ab intestato succedatur, sicut idem docet *eod. tit. def.* 9.

TIT. XIV.

De Obligationibus.

HAbuimus Jura in re constituta, ut Dominium, Servitutem, Hereditatem & obiter jura dominio proxima, quanquam de his & de pignore alias agetur.

2. Sequitur jus ad rem, vulgo ita dictum, vel, si mavis jus in personam ad rem consequendam, quod inest obligationi.

3. Hæc enim est vinculum inter duos, continens jus creditoris & onus debitoris. Illud *jus ad rem* vulgo dicitur, hoc specialiter obligatio; tametsi & hujus nomen respectu creditoris usurpetur *l.* 42. §. 2. *de Procurat. vid. l.* 4. *Digress. c.* 5. & *Prælect. hic.*

4. Est autem obligatio nihil aliud, quam Juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ, secundum nostræ civitatis jura *pr. h. t.*

5. Est res incorporalis *supr. de reb. corp. & incorp.* reputatur in bonis *l.* 49. *d. V. S.* ideoque pertinet ad duas rerum divisiones, ac ita merito refertur ad caput de rebus, frustra obnitente Vultejo, A Matthæo & Wissenbachio nostro *ad h. tit.*

6. Divisio est in naturalem atque civilem. Naturalis est, quæ nititur solo æquitatis vinculo, sine suffragio legis: *l.* 95. §. 4. *d. solut.* Civilis, quæ lege confirmatur *l.* 7. *d. Pact.* §. 1. *h. t.*

7. Naturalis obligatio destituitur à lege, vel in totum, vel pro parte. In totum destitutæ sunt, ex quibus nec actio neque exceptio nec ullum juris remedium datur. Sic obligatio ad remunerandum *l.* 25. §. 11. *d. Hered.*

Hered. petit. item obligatio heredis è teſtamento imperfecto; unde ne conſcientiam quidem valide obligari probavimus *l.* 4. *Digreſſ. c.* 34. *& ſeqq.*

8. Adde obligationem pupilli majoris infantia *pr. I. de auctor. Tut.* filiifamilias mutuam pecuniam accipientis *l.* 10. *juncta. l.* 1. *d. S. Macedon.* mulieris fidejubentis *l.* 2. *& t. tit. ad. Sc. Vellej.* veri debitoris abſoluti *l.* 60. *d. condict. indeb. junct.* §. 5. *I. de Exception.*

9. Obligationes naturales, quæ ex parte deſtituuntur à lege, ſunt quæ actionem quidem in foro non pariunt, ſed habent alios effectus non ſpernendos; quod pariunt exceptionem *l.* 7. *in pr. d. pact.* recipiunt conſtitutum *l.* 1. §. 7. *d. conſtit. pec.* pignora & fidejuſſores §. 1. *I. de fidejuſſ. l.* 6. *&* 7. *eod.* novationem *l.* 7. §. *f. d. novat.* compenſationem *l.* 6 *d. compenſ. &* impediunt condictionem indebiti *l.* 13. *pr. l.* 60. *pr. d. condict. indeb.* denique validam inducunt legati præſtationem *l.* 42. §. 3. *d. C. &* D.

10. Exempla obligationum naturalium hujus naturæ ſunt contractus ſervorum *d. l.* 13. & pacta nuda per l. 84. §. 1. *d. R. I. juncta l.* 1. *pr. d. pact.* Utraque ſpecies moribus noſtris incognita.

11. Bene tamen hic refertur obligatio mulieris nuptæ, quæ inſcio marito contraxit, in iis locis, ubi maritis ſunt legitimi curatores uxorum ſuarum, & obligatio, cujus cauſa non apparet, de qua *vid. infra de Inutil. ſtipul.*

12. Obligatio civilis eſt vel talis tantum, vel civilis & naturalis ſimul. Illa, quæ ſubtilitate legis ſolâ nititur, æquitate naturali carens; ejus effectus eſt, quod actionem parit ſed exceptione elidendam. Exempla ſunt;

13. Qui ad tempus promiſit, etiam poſt tempus obligatur §. 3. *I. de V. O.* qui à creditore ſuo pactus eſt, ne peteret, etiam poſt pactum obligatur §. 3. *I. d. excep.* qui metu coactus, qui dolo deceptus promiſit, obligatur §. 1. *&* 2. *eod. tit.*

14. Naturales civileſque ſimul ſunt, quibus & lex & æquitas adeſt, eæque producunt actionem & exactionem.

15. Hæ dividuntur I. in civiles & prætorias §. 1. *h.* Illæ ex legibus oriuntur, hæ ex Edictis prætorum, quæ ſtrictè ſumptæ legibus opponuntur *l.* 7. §. 1. *d. Juſt. & Jur.*

16. II. Civiles iterum aut legibus conſtitutæ, vel iisdem comprobatæ ſunt, *d.* §. 1. Conſtitutæ legibus ſunt, quæ primitus jure civili ſunt introductæ, ut literarum & verborum obligationes, pacta legitima, actio noxalis, quadrupedaria & ſimiles.

17. Comprobatæ, quæ jure gentium ortæ à legibus auctæ ſunt, ut emptio venditio, locatio conductio & reliqui fere contractus.

18. De hac autem obligatione naturali civilique ſimul accipienda definitio; hæc enim ſola neceſſitate adſtringit ſecundum noſtræ civitatis jura, ut ait Cæſar *d. pr.*

19. Idque ad ſolvendum, vel ut in *l.* 3. *d. O. & A.* habetur, ad dandum aliquid vel faciendum, disjunctive; nam mixta, quæ ex dando vel faciendo conſiſtat, non datur niſi una, de rationibus reddendis, quæ eſt & ad *factum*, ut ratio reddatur, & ad *dandum*, ut reliqua præſtentur *l.* 82. *d. C. & D.*

20. Naſcitur hæc obligatio è contractu vel delicto; utroque vero vel quaſi tali §. 2. *h.*

21. Contractus, eſt conventio ſuâ vi producens obligationem & actionem. additur *ſua vi*; quia dantur pacta legitima, quæ contractus non ſunt actionemque pariunt non *ſua*, ſed vi legis *l.* 6. *d. Pact.*

22. *Conventio* eſt duorum, vel plurium in idem placitum conſenſus *l.* 1. §. 2. & 3. *d. pact.* eſtque vel contractus vel pactio ſive pactum *l.* 29. *ſub. fin. d. novat.*

23. Contractus eſt duplex, nominatus & innominatus. Ille, qui certum & diſtinctum nomen habet, hic, qui certo nomine caret, ejuſque loco cauſam habet,

bet, hoc est, dationem vel factum ab una parte impletum *l.* 7. §. 1. *& seqq. de pact.*

24. Conventiones, quæ neque nomen certum neque causam habent, pacta nuda dicuntur *d. l.* 7. §. 1.

25. Innominati contractus fuere sunt quatuor, & sic efferuntur, Do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias, de quibus in *tit. d. præscr. verb.*

26. Nominati contractus sunt aut veri, vel quasi tales. Veri, expresso consensu ineuntur: quasi contractus sine conventione pariunt obligationem, de quibus *infra* loco solo agetur.

27. Veri contractus sunt quadruplices, contrahuntur enim aut re, aut verbis, aut literis, aut consensu §. *ult. h.* quorum capita ordine ponemus.

TIT. XV.

De Obligationibus, quæ Re contrahuntur.

RE dicuntur iniri obligationes, quæ non aliter quam rei traditione perficiuntur, & tales sunt quatuor: Mutuum, Commodatum, depositum, Pignus.

2. Mutuum est contractus, quo res fungibiles alicui dantur, hac lege, ut tantundem ejusdem generis restituatur *in pr. h.*

3. Per res fungibiles intelligitur Res, quæ constant pondere, numero atque mensura; & fungibiles vocantur, quoniam altera exactè alterius vice *fungi* potest, ut est oleum, vinum, frumentum, pecunia, quælibet esculenta & potulenta *l.* 2. §. 1. *d. Reb. cred.*

4. *Datur*, id est, dominium transfertur, nam hoc est *dare pr. h. &* §. 14. *d. Action.* & in mutuo res alienatur *l.* 16. *& l.* 41. *d. reb. cred.* §. *ult. I. Quib. alien. lic. in pr.*

5. Ideo mutuum est alienatio, quoniam hæc est omnis actus, per quem dominium transfertur *l.* 1. *in fin. C. de fund. dot.*

6. *Hac lege*: Substantia mutui consistit in alienatione,

ne, *de quâ modo*, & in obligatione ad reddendum tantundem, quam partem Salmasius volebat ad mutui substantiam facere solam, *ἐν εὐσόχως Theoph. ad hoc pr.*

7. *Tantundem*; hinc non potest convenire, uti plus reddendum sit quam fuit datum *l.* 11. §. 1. *d. reb. cred.* nec id superfluum peti potest, ne quidem ut usura, per *l.* 3. *C. de Usur.*

8. Nec est *tantundem*, ni sit ejusdem bonitatis *l.* 3. *d. reb. Cred.* si non sit, æstimatio ine unda *l.* 22. *eod.* qua de re *ad tit. ff. de Condict. Tritic.*

9. In nummis si de certa specie convenerit, ea reddenda; si de summâ, perinde; semper tamen sine captione, ne creditor in damnum incidat *l.* 99. *de solution.*

10. Ergo si valor nummorum interim mutatus sit, magis est, ut tempus *solutionis* sive redditionis inspiciatur.

11. Ejusdem *generis* quod restituitur, esse debet, pecunia pro pecunia, vinum pro vino &c. nec potest convenire ita, ut res in eadem specie reddatur: solvi in eadem specie potest *l.* 2. §. 1. *de reb. cred.*

12. Actio ex mutuo vocatur *condictio certi in fin. pr. h.* quæ datur ex omni contractu, unde certum debetur *l.* 9. *in pr. eod. tit.*

13. Sequitur *Commodatum*; Est contractus, quo res non fungibiles dantur alicui *gratis* utendæ ad certum modum ac tempus, hac lege, ut in eadem specie restituantur §. 2. *h.*

14. Mutuum & commodatum vernaculo usu populorum una voce appellantur; latine & juridice multum differunt.

15. Nam I. mutuum consistit in rebus fungibilibus; commodatum in talibus consistere non potest, saltem quà talibus, ut consumantur; sed improprie & dicis gratiâ, ut est in *l.* 4. *commod.* quando id agitur, ut res fungibilis eodem numero reddatur *d. l.* 4. & *l.* 3. §. *f.*

16. In

16. In mutuo res *datur* simpliciter, hoc est, alienatur, in commodato *utenda* datur §. 2. *in pr. h. l.* 8. & 9. *Commod.* idque gratis, ut distinguatur à locatione conductione, vel à contractu facio ut facias, *d.* §. 2. *in fin.*

17. Item ad certum *finem ac tempus*, quo differt à Precario, quod ad preces utentis, quamdiu libet domino, conceditur. *l.* 1. *d. precar.*

18. Mutuum in eodem genere, Commodatum in eadem specie reddendum est; hinc qui mutuum accepit, res casu amissas tamen reddere debet, *d.* §. 2. quia genus non perit *l.* 11. *C. Si cert. pet.* Commodatarius de casu fortuito non tenetur *d.* §. 2.

19. Sed de culpa tenetur commodatarius, cujus species habuimus *ad tit. de susp. Tut. n.* 12. & *seqq.* Regulam de præstatione culpæ in contractibus habes in *l.* 5. §. 2. *commod.* scilicet:

20. In quo contractu vertitur utilitas solius dantis, ibi tantum lata culpa præstatur; ubi solius accipientis, ibi & levissima; at in quibus utriusque vertitur utilitas, ibi levis cum latâ.

21. Dolus ubique, casus fortuitus nusquam præstatur, nisi ex pacto *l.* 23. *d. R. I.*

22. Lata Culpa pro dolo habetur, quando quis in alienis rebus negligentior quam in suis fuerit *l.* 32. *Depos.* & levis culpa pro tali non solet haberi, si quis in propriis rebus æquè sit negligens *l.* 27. *pro soc.*

23. Commodatarius tenetur ad omnem adeoque levissimam culpam, quia tantum in ipsius gratiam contractus initur *d.* §. 2. quod tamen civiliter accipiendum *l.* 20. *Commod.*

24. Sed & fieri potest, ut in utriusque, imo solius commodantis gratiam commodatum ineatur, & secundum id culpa variat *d. l.* 5. §. 10. *l.* 18. *V. hæc ita eod.* idem in aliis contractibus accidit.

25. Actio commodati est directa vel contraria. Directa datur commodanti, finito tempore, vel usu, non prius, *l.* 17. §. 3. *d. tit.* ad repetendum rem commoda-

modatam & id quod interest, ratione culpæ *l. ult.* §. *ult.*

26. Nam si res deterior facta sit ætate morbo vel usu, ad quem concessa est, nihil præstatur *d. l.* 5. §. 4. *l.* 10. *in pr. l. ult. eod.*

27. Actio contraria datur commodatario, ad repetendum id quod sua interest, velut ob impensas insolitas; nam ordinarios sumptus pro usu ferre debet *l.* 18. §. 1. *d. tit.*

28. Tertius contractus realis, Depositum finitur, Quo res *mobilis* datur alicui custodienda, sub fide eandem quovis tempore restituendi.

29. Mobilia tantum deponuntur: immobilis rei depositæ non extat exemplum in toto jure; ideoque si res soli custodienda detur, erit mandatum *arg. l.* 1. *in pr. depos.*

30. Nec quidem sequestratio, sive depositum litigiosum rei immobilis usquam legitur, sed fructuum duntaxat, qui mobiles sunt *l.* 21. §. *ult. d. Appellat. l.* 5. *C. Quor. appell. non recip.*

31. Prædium quidem litigiosum tertio committi potest, *l.* 22. §. 8. *sol. matrim.* verum, si hæc sequestratio est, non erit illa depositi species, sed proprium negotium. de Sequestratione ad ff. agetur.

32. Sed depositum est vel simplex vel miserabile; hoc quod incendii, tumultus, ruinæ, naufragii, fugæve causâ deponitur; & habet hoc speciale, quod ex dolo & infitiatione detur in duplum *d. l.* 1. §. 1. & *seqq. Depos.*

33. Actio depositi est directa vel contraria. Directa deponenti datur, ad repetendum rem depositam, cum eo quod interest ob dolum & latam depositarii culpam, sub limitatione quam *n.* 22. posuimus ex *l.* 32. *Depos. vid.* §. 3. *b.*

34. Aliquando levis culpa præstatur, 1. si ita convenerit *l.* 1. §. 23. *d. vi bon. rapt.* imo & leviſſima, si deposito se obtulerit *d. l.* 1. §. 35. ubi & ex pacto casus fortuitus præstatur.

35. Re-

35. Repeti res potest, quovis tempore *l.* 11. *C. depos.* licet ad certum tempus deposita sit; hoc enim pro deponente accipitur *d. l.* 1. §. 35. *& seqq.*

36. Deponenti actio datur, etsi non domino; quin & furi aut prædoni, nisi dominus cum eo concurrat; qua de re vide *l.* 31. *Depos.*

37. Contraria actio datur depositario, ad repetendas impensas, etiam modicas, velut cibaria *l.* 23. *h.* quia depositarius non habet usum rei, ut commodatarius habet.

38. Quartus realis contractus est pignoratitius, Quando debitor creditor rem tradit custodiendam in securitatem crediti §. *ult. h. t.*

39. Traditione distinguitur pignus ab hypotheca, cujus possessio manet penes debitorem, seu mobilis sive soli res sit; at pignus plerumque rei mobilis est; potest tamen & prædii possessio tradi, idque tum pignus est §. 7. *sub. fin. I. de Act.*

40. Actio hinc quoque directa vel contraria nascitur. Directa datur debitori ad repetendum pignus & id quod interest, ratione levis culpæ *l.* 5. §. 2. *Commod.*

41. Plerumque sanè levis culpa luitur, quia fere utilitas utriusque vertitur, aliquando tamen diversa ratio est, ut de commodato habuimus *in th.* 27. & sic cape *l.* 13. §. 1. *ff. de pignor. act. Cujac.* 19. *obs.* 24.

42. Datur, quando creditori satisfactum est; hoc est quotiescunque recedere voluit à pignore *l.* 9. §. 3. *de pignor. act.* vel idsolutum est quovis modo *tit. ff. Quib. mod. pign. solv.*

43. Contraria datur creditori, ad repetendas impensas *l.* 8, *pr. d. pignor. act.* & id quod interest, si forte deceptus sit à debitore, qui rem alienam aliive obligatam dederit *l.* 2. *in pr. l.* 32. *eod.* velut, si in pignore dando subjecerit æs pro auro *l.* 36. *eod.* quo facto, manet tamen jus in auro *l.* 1. §. 1. *eod.*

TIT.

TIT. XVI.
De verborum Obligationibus.

OBligatio, quæ verbis contrahitur, Stipulatio dicitur: Quæ eſt ſolennis verborum conceptio, quæ quis rogatus ſpondet, ſe daturum aliquid eſſe vel facturum. ſolennia verba vide in §. 1. *h.*

2. Solennitas illa ſublata eſt per *l.* 10. *C. de contrab. ſtipul.* §. 1. *h.* Attamen verba adhuc requiruntur & præſentia partium *l.* 1. §. 1. *h. t.* §. 11. *I. de inutil. ſtipul.* nec id uſquam mutatum §. 1. *in fin. h.*

3. Promiſſiones ſimplices, quæ per literas & per nuntios fieri poſſunt, pacta nuda vocantur; ex quibus non datur actio *l.* 1. & *l.* 7. *pr.* & §. 1. *d. pact.*

4. Uſus ſtipulationum fuit, ut alios contractus ipſaque pacta firmarent & obſignarent, nec fere quicquam agebatur, cui non ſtipulatio ſubjiceretur. Paul. 5. *ſentent.* 7. *in fin. pr. h. l.* 45. *d. pact.*

5. Fuit hoc inſtitutum fori Romani; ne ex quovis dicto promiſſove ſæpe temere prolato cives tenerentur. vid. Grot. 2. *de jur. b.* & *p. C.* 11. *pr.* & §. 7.

6. Hujus ſeculi mores ad ſimplicitatem juris Gentium redierunt, adeo ut pacta & ſtipulationes tam quoad verba quod ad effectum attinet, per omnia conveniant. Quod igitur de ſtipulationibus heic ponemus, id tu ad pacta moris hodierni, transfer, exceptis quæ a formâ verborum pendent.

7. Fit ſtipulatio pure, vel in diem vel ſub conditione. Pure, cum nec dies, neque conditio adjicitur §. 2. *h.*

8. Dies additur, expreſſe, ut kalendis Maji, vel tacite, cum locus adjicitur; tunc enim id temporis intelligitur additum, quo illud pervenire queat §. 5. *h.*

9. Ex ſtipulatione purâ obligatio ſtatim naſcitur & ſtatim peti poteſt *d.* §. 2. dies ſtatim cedit & ſtatim venit *l.* 213. *d. V. S.* etſi non addatur, *ſtatim*: ubi dies non poni-

ponitur, præsenti die debetur *l.* 14. *d. R. I.* salvo civili laxamento quod judex dare potest *l.* 105. *d. solut.* §. *ult. I. de inutil. stipul.*

10. Obligatio in diem, nascitur quoque *statim. d.* §. 2. dies cedit, non tamen venit *d. l.* 213. hoc est, peti non potest cum effectu, nisi elapso die. *d.* §. 2. *l.* 42. *h. t.* unde explica *l.* 41. §. 1. *eod.*

11. Nec quidem illâ ipsa die, quoniam hæc tota in arbitrio debitoris est *d.* §. 2. *d. l.* 41. §. 1. proin & hic ante diem vel invito creditori solvere potest *l.* 50. *d. O.* & *A.* nisi liqueat; diem in gratiam creditoris esse adjectam *l.* 15. *d. ann. legat.*

12. Qui tamen ante diem agit, non agit nihil sed malè *l. un. in fin. Quand. di. usufr. leg. ced.* aliquando etiam rectè, modo citra executionem *l.* 1. *C. de sent. quæ fin. cert. quant.* Sand. 1. 4. 3.

13. Ad finiendam obligationem, quæ suâ natura perpetua est, non potest dies addi, subtilitate juris; nam per exceptionem pacti habet effectum §. 3. *h.* ubi exemplum.

14. Ex stipulatione conditionali obligatio non nascitur; dies neque cedit, nec venit, nisi conditione impleta *d. l.* 213. §. 4. *h.* vel si conditio negativa sit, dies cedit, quando certum est conditionem non esse extituram, ut exemplo declaratur in §. 4. *h.*

15. In testamento relicta sub conditione negativa statim peti possunt, sub cautione de restituendo si contra fiat, quæ cautio *Mutiana* vocatur *l.* 7. & 18. *d. C.* & *D.*

16. Mortuis contrahentibus ante conditionem existentem, heredes nihilominus tenentur *d.* §. 4. *in fin. l.* 57. *h.* secus ac in testamentis *l.* 4. *in pr. Quand. di. legat. ced.*

17. Conditiones, quæ ad præsens vel præteritum tempus se referunt, non sunt verè conditionales, etsi verborum figura sunt tales; conditio enim est casus in futurum collatus §. 6. *h. l.* 120. *h. l.* 37. & 39. *d. Reb. cred.* dix. ad *tit. de hered. instit. n.* 17.

18. Actio

18. Actio ex promissione datur vel ex stipulatu, vel condictio certi *pr. h. t.* Utraque materialiter est ex stipulatione, sed nomen conditionis certi, ut notius, applicatur ubi potest. *l.* 9. *d. reb. cred. in pr.*

19. Hæc nempe, cum id quod in obligationem deducitur est certum, sive ubi constat, quid quale, quantum sit, ut fundus *l.* 27. *f. d. V. O.* ubi hoc non constat, res incerta est & agitur ex stipulatu *l.* 74. *& seqq. h. t.*

20. Incerta res est, si quid in genere promittatur, ni dictum sit, quod optimum est *l.* 75. *in pr.* §. 1. & §. 2. *d. V. O.* alternative, hoc aut illud æque incertum est *d. l.* §. 8. ususfructus etiam §. 3. *ibid.* ratione fructuum; juris enim respectu & in se certa res est *l.* 8. *d. usufr. ear. rer.* fructus, qui sunt in illo aut illo horreo, certi habentur. *d. l.* 75. §. 5.

21. Qui stipulatur, ut aliquid fiat vel non fiat, si non sit præstatio certi contractus, rem incertam stipulatur, ut fossam fodi, domum ædificari *d. l.* 75. §. 7.

22. Actio inde nascitur, quando promissor in mora esse cœpit, quod civiliter & ex more diligentis patrisfam æstimandum *l.* 14. *l.* 72. §. *ult. l.* 84. *i.* 137. §. 3. *d. V. O.*

23. Si non fiat quod est promissum, pecuniam dari oportet *l.* 72. *med. pr.* scil: quanti interfit, moram non esse factam *l.* 1. *d. V. O. l.* 13. *in fin. d. Re Judic.* §. *ult. h. t.* Qui vero se *non* facturum promisit, is tum tenetur, quando contra quam promiserat, fecit *l.* 2. §. *pen. l.* 4. §. 1. *eod.*

24. Non potest tamen ille se liberare præstando id quod interest, sed hæc est pœna eorum, qui non stant pactis, ut in id quod interest teneantur, in favorem eorum hoc minime trahendum. ergo conventus damnabitur ut factum præstet, remediisque prætoriis ad id cogetur. Quidni enim fidem datam adimpleat æque in faciendo ac in dando? si cogi nullo modo possit, vix alius datur exitus, quam exactio ejus quod interest. Ita nihil obstant quæ habet D. Wissenb. *ad. h. t. ff. th.*

8. *Nec*

8. *Not LL. supr. citatæ, neque l. 12. d. Act. empt. l. 4. C. eod.*

25. Quia vero id quod interest valde incertum est; ideo expedit, pœnam stipulari, si non fiat; quâ non tollitur neque novatur sed explicatur obligatio prior de faciendo *l. 10. §. 1. d. pact. l. 28. d. Act. Empt. l. 115. §. ult. d. V. O. in fin. arg. l. ult. C. de Novat.* scil: ita ut vel factum vel pœna præstetur loco ejus quod interest; alterutra actio moveri potest *dd. ll.*

TIT. XVII.

De duobus reis stipulandi & promittendi.

QUando duobus aut pluribus eadem res promittitur in solidum singulis, hi sunt rei stipulandi, & cum duo pluresve singuli in solidum se obligant, hi sunt duo rei debendi. *h. t. in pr.*

2. Finis est evidens, ut tollatur incommodum scindendi unam eandemque actionem in partes: nam singuli in solidum conveniri possunt §. 1. *in pr. h.*

3. Est tamen & manet una obligatio, ideoque uno solvente liberatur alter, uno acceptum ferente aut novatione facta nec aliter agere potest *l. 2. h. t. l. 31. §. 1. d. novat.*

4. Sed pactum de non petendo initum ab uno, non præjudicat alteri *l. 27. pr. de pact.* jusjurandum præstitum vel delatum; contrà, *l. 27. & 28. d. jurejur. arg. l. 26. §. 1. eod.*

5. Correi, qua tales, inter se non habent actionem *l. 62. π. d. l. Falcid.* nisi ratione communionis, vel cessionis à Creditore factæ solventi. Quando tamen unus solidum exegit aut solvit, res & æquitas vult ut lucrum & onus illud communicetur *l. 2. C. h. t.* idque servatur in foro, etsi nec cessio neque communio intercedat.

6. Sed nec habent beneficium divisionis, ne quidem si pro se invicem fidejusserint, jure ff. *l. 11. in pr. h. t.* quod hactenus mutatum a Justiniano in *Nov. 99. c. 1.*

c. 1. quam usus fori produxit ad quoslibet correos, perinde ac de fidejussoribus constat.

7. Non tantum in stipulatione, sed & in quovis alio contractu correi constituuntur, si modo id ab initio actum appareat *l.* 9. *h. t. l.* 5. §. *ult. Commod.* alioqui regula est, quemque contrahentium pro suâ parte teneri *l.* 21. §. 1. *eod.*

8. Denique, licet una sit obligatio correorum, sæpe tamen diversas habet qualitates, ut unus pure, alter in diem vel sub conditione teneatur, & contrà §. *ult. h. vid. l.* 9. §. 1. *d. duob. reis.*

TIT. XVIII.

De Stipulatione servorum

SErvus homo, jure civili pro nullo habetur *l.* 32. & *l.* 22. *d. R. I.* ideo nec stipulari potest, nisi ex persona domini, à quâ χαρακτερίζεται, ut *Theoph. ad hoc pr.* eique jus obligationis acquirit, sicut & filius-fam. respectu patris §. 1. *h.*

2. Servus hereditarius acquirit hereditati jacenti, cujus ipse pars est *in pr. h. t.* potest tamen & heredi futuro stipulari, sed haud nominatim *l.* 16. *h. t.* quam sic concilia cum *l.* 28. §. *ult. eod.*

3. Alioqui nihil refert, utrum sibi, conservo, domino an simpliciter stipuletur, nec enim potest aliter quam domino vel dominis, si plures sint, pro rata acquirere; nisi hoc casu, nomine vel jussu unius specialiter sit usus, cui tum soli quærit §. 2. & *ult. h.*

4. Facta tamen usque adeo personalia sunt, ut nec servi personam egredi queant; proinde, si quid fieri stipuletur, ut, ire, agere sibi licere, solus ipse jus faciendi habet §. 2. quod velim observes; potest enim & alibi, in materia non servili usum habere suum.

TIT.

TIT. XIX.

De divisione stipulationum.

STipulationes dividuntur in prætorias, judiciales, communes & conventionales *pr. h.*

2. Prætoriæ atque judiciales sunt, quæ a mero *judicis* aut *prætoris* officio proficiscuntur §. 1. & 2. *h.*

3. Prætor olim præerat Tribunali *l.* 13. *d. jurisd.* ad illum fiebat in jus vocatio & alia, usque dum litis contestatio fieret *l.* 1. *d. in jus Voc.* tum prætor dabat *judicem*, qui cognosceret & sententiam ferret, hic passim judex *pedaneus* vocatur: sublatus est hic mos per *l.* 2. *C. de judic. pedan.* Prætores ipsi nunc sunt judices.

4. At hodie, quod apud prætorem olim fiebat, dicitur ante litem contestatam fieri, quod sub judice, post litem contestatam *l. un. C. de lit. contest.*

5. Proinde jam Prætoriæ stipulationes sunt, quæ ante litis contestationem à Magistratu injunguntur; Judiciales, quæ in judicio post litem contestatam præstari jubentur §. 1. & 2. *h.*

6. Exempla prætoriarum sunt, stipulatio sive cautio damni infecti, qua dominus ædium ruinosarum cavet vicino; cautio legatorum, quâ heres cavet de legato restituendo; cautio fructuaria; cautio de evictione, cautiones ædilitiæ *d.* §. 2. de singulis agetur in ff.

7. Exempla judicialium, cautio de dolo; si metus sit, ne forte res petita deterior fiat, ut in *l.* 9. §. 5. & 7. *Quod. met. causâ*, vel de pretio restituendo, si forte res pereat; exigitur ubicunque judicem æquitas moverit §. 1. *h.*

8. Communes sunt, quæ modo extra, modo post litem contestatam præstari jubentur, ut est cautio de rato & rem pupilli salvam fore; de hac vidimus in *tit. de satisdat. Tut.* de reliquis videbimus in *tit. de satisdation.* & alibi plenius. §. *ult. h.*

9. Conventionales sunt reliquæ omnes stipulationes,

quibus aliquid promittuntur, sine judicis aut prætoris interventu, ut nihil sit in illis quam conventio, unde nomen *conventionalis* §. *pen. h.*

10. Præcipua oppositio est inter prætorias & conventionales: mere judicialium usus infrequentior est, Differentia inter duas priores species sunt plures; Unam heic notabimus.

11. Conventionales stipulationes contractibus adjiciuntur confirmandis, *ut dictum*, neque per se cautionem exigunt, prætoriæ & pleræque judiciales, sunt *cautiones*, ut dix. *n.* 6. quæ requirunt, ut promissio per fidejussorem firmetur *l.* 7. *d. prætor. stipul.* ut tamen, si res certa sit, maxime pignus sufficiat *l.* 2. §. 2. *Quod legat.* aliquando simplex repromissio *l.* 1. §. 5. *& seqq. d. tit.* Reliqua *ad. tit. ff. de prætor. stipul.*

TIT. XX.

De Inutilibus stipulationibus.

INutiles sunt stipulationes 1. oratione materiæ subjectæ. 2. ratione personarum. 3. ratione formæ stipulandi.

2. Ratione materiæ subjectæ regula est; omnis res quæ dominio nostro subjicitur, in stipulationem deduci potest, mobilis aut immobilis *pr. h.* imo incorporalis, & facta quoque licita §. 3. & 21. *h.*

3. Non possunt res in natura universi incognitæ vel jam extinctæ §. 1. *h.* seu tota substantia sint ejusmodi seu qualitate sua, ut si decem modios tritici stipuleris, quorum singuli pondo centum pendant *l.* 7. §. *ult. d. Trit. vin. & ol. leg.*

4. Res commercio exemptæ, ut sacræ, sanctæ, religiosæ, publicæ, liberi homines ne quidem promitti possunt sub conditione, si in commercio esse cœperint; imo si ex postfacto desierint esse in commercio, irrita fit promissio §. 2. *h.* idem est, si stipulator solus commercium non habuerit, secus quod ad promissorem *d.* §. 2. *l.* 34. *d. V. O.* 5. Pro-

5. Propriam quoque rem nemo ſtipulari poteſt *d.* §. 2. ne quidem alienam in eum caſum, quo propria ſit futura §. 22. *h.*

6. Denique, factum vel datio alterius; alium, inquam, eſſe daturum quid vel facturum, non poteſt promitti; §. 3. *h. l.* 65. *fin. d. Fidejus.* ipſe enim non tenetur, quia ſe non obligavit; nec alter, quia nemo per alium poteſt obligari *l.* 3. *in fin. C. Ne ux. pro mar.*

7. Qui autem promittit, ſe curaturum vel effecturum ut alius det vel faciat, is obligatur, & ſi alter nolit, ipſe tenetur; quia tum de ſe promiſit *d.* §. 3. *l.* 83. *in pr. d. V. O.* idque crebro uſu venit, ut cum promittis, alium pro te fidejuſſurum *l.* 14. §. 2. *d. conſt. pec.* alium non eſſe rem evicturum *l.* 38. *in pr. d. V. O.*

8. Poſtremo rei factive turpis promiſſio nulla eſt §. 23. *h. l.* 26. & *ſeqq. d. V. O.* etſi jure civili tantum ſit turpis *l.* 5. *C. d. LL.* quod ſi dubia turpitudo ſit, exceptio doli mali obſtat *l.* 8. *pr. de condict. ob turp. cauſ. arg. l.* 9. *in pr. de Jurejur.*

9. Ratione perſonali inutilis eſt ſtipulatio muti, ſurdi, furioſi, infantis, §. 7. 8. 9. & 10. *h.* horum, quia intellectu carent, illorum quia verba commutare nequeunt, ut neceſſe erat ad verborum obligationem; quod aliter *hodiernis moribus.*

10. Prodigus & pupillus infantia major ſtipulando acquirere ſibi poſſunt, promittendo obligare ſe nequeunt *d.* §. 10. & *l.* 6 *d. V. O.* attamen, quoties obligatio non ex facto ſed *ex re* venit, pupillus obligatur *l.* 46. *d. O.* & *A.* hoc eſt, ubi res & æquitas dictet, eum teneri; ut ſi locupletior factus ſit *l.* 3. *in pr. C. Commod.*

11. Minor annis 25. etiam ſine curatore ſuo obligatur *l.* 101. *d. V. O. l.* 43. *d. O.* & *A. arg. l.* 8. *C. de Nupt. junct. l.* 3. *in pr. d. O.* & *A. l.* 16. *pr.* & §. 1. *d. minor.* ſed cura omnem effectum impedit, ac ita reſpondemus ad *l.* 3. *C. de in int. reſt. minor.*

12. Pater à filiofam. ſtipulari non poteſt, nec filius

à patre; nam idem a se ipso stipulari videretur §. 6. *h.*

13. Alius quoque alii stipulando nihil agit §. 4. *in pr.* quia stipulantis non interest, qua tamen gratia obligationes sunt inventæ §. 19. *in pr.*

14. Proin, si quis sibi & Titio stipuletur, is dimidium sibi, Titiò nihil acquirit; si Titio aut sibi, totum sibi, nihil adjecto quærit, duntaxat huic ante litem contestatam, illo invito, solvi potest *d.* §. 4. *l.* 95. §. 5. *d. Solut.* non postea *l.* 57. §. *fin. d. Solut.*

15. Exceptio ab hac regula est; I. Quod pater & filiusfam. pro se mutuo ab aliis rectè stipulantur; patri enim acquiritur, ob unionem patriæ potestatis *d.* §. 4.

16. II. Quoties stipulantis interest, alteri isti acquiri, valet stipulatio; cujus regulæ exempla velim petas ex §. 20. *h.*

17. III. Qui præsunt aliorum personis aut rebus, officii sui ratione pro illis stipulari possunt ut Tutores, Curatores, Actores civitatis & similes *l.* §. 7. & *seqq. d. pecun. constit.*

18. Procurator tamen mandatori suo non potest aliter, quam si *ære mandatis*, ut usuras ex pecunia ejus, *l.* 118. *in pr. d. V. O.* vel *ipso præsente* stipuletur *l.* 68. *d. procurat. l.* 79. *d. V. O.* alioqui cessione opus est *l.* 49. §. *ult. d. acquir. poss.*

19. Verum, quæ stipulationes ob hujusmodi impedimenta directe non valent, hæ indirecte sustinentur ad effectum, per stipulationem pœnalem, ut, si non solvatur, stipulanti pœna præstetur §. 19. *in med.* & §. 21. *in. f. h. t.*

20. Forma, cujus respectu stipulationes sunt inutiles, est vel communis cum aliis contractibus, vel speciales verborum obligationi.

21. Ad formam communem pertinent hæc; dissensus circa res ipsas vitiat stipulationem, ut si unus de hac, alter de illa re sentiat; sic enim è nullo contractu agi potest §. 23. *h. l.* 83. §. 1. *d. V. O. l.* 9. *in pr. d. contrah. empt.*

22. I-

22. Idem eſt, ſi error ſit in perſona ſtipulantis aut promiſſoris *arg. l. 15. de juriſd. l. 2. d. Judic. l. 32. d. V. O.*

23. Quod ſi in materiâ vel in qualitatibus rei plane ſit erratum, ut ſi æs ſit quod aurum putabatur, ſtipulatio valet *l. 22. de V. O.* quod tamen in emptione ſecus eſt, quoniam ibi pretium rei conveniens, ſecus ac in ſtipulatione, vertitur *l. 9. §. ult. de contrab. empt.*

24. Si pro parte varient, diſtinguitur, utrum diviſibilis ſit diſcrepantia, vel non; ſi dividi queat, obligatio valet, quatenus conveniunt. Ut ſi decem ſtipuleris, ego quinque promittam *l. 1. §. 4. de V. O.* & ſic cape §. 5. *h.* vel unus de pluribus diverſiſque rebus, alter de una vel paucioribus ſentiat §. 18. *h. t.*

25. Si diſcrepantia ſit individua, veluti, ſi unus pure, alter ſub conditione vel in diem putet contrahi, vitiatur obligatio; niſi alter incontinenti remittat & contentus ſit eo quod adverſarius affirmat, *d. §. 5.*

26. Præterea, ad formam communem ſpectat, quod conditio impoſſibilis ſtipulationem vitiat §. 11. *h. l. 31. d. O. & A.* ſecus ac in teſtamentis *ſupr. tit. I. de hered. inſt. n. ult.* at perplexæ conditiones rediguntur ad ſanum ſenſum. vide §. 14. *h. l. 64. d. V. O. l. 25. C. de Teſtam.*

27. Inutilis quoque promiſſio eſt, ſub conditione; *ſi voluerit* debitor *l. 17. l. 46. §. ult. d. V. O.* ſed promiſſio, *cum voluerit*, valet, modo ante mortem ſuam debitor conſtituat, *d. l. 46. §. pen.*

28. Huc denique & illud pertinet; Stipulatio ſine cauſa, hoc eſt, ſine habili negotio ad contrahendum non valet *arg. l. 17. §. 16. ff. ad Munic.* nec enim hoc eſt ſpeciale verborum obligationi; ſed exceptio doli hoc reſpectu generalis eſt *l. 2. §. 3. dol. & met. excep.* quæ fidejuſſorem juvat, invito quamvis reo *L. xv. d. Fidejus.* nec adeo ex inſtrumentis obligationum quæ cauſam non habent, jus dicitur; niſi cauſa aliunde probetur *l. pen. d. fid. inſtrum.*

29. Sponsiones tamen de rebus futuris non turpibus, causa non carent, ut putat Herbai. *c.* 1. *rer. quotid.* sed contentio illa de re licita sat causæ est, quam stipulatio mutua sequitur *l.* 108. *d. V. O.* Sand. 3. *decis. t.* 9. *def.* 1.

30. Huc referendæ *adsecurationes* hodie usitatæ inter mercatores; quibus aliquis in se recipit periculum alienarum mercium pro certa mercede; nam est sponsio incerti eventus, sub stipulatione certæ pecuniæ, quâ de re vid. Grot. 3. *manuduct. c.* 14.

31. Ratione formæ specialis inutilis est Stipulatio inter absentes facta, §. 12. *pr. b. l.* 1. *pr. d. V. O.* non obstante *c.* 57. *d. Don. int. vir. & ux.*

32. Item promissio sine prævia interrogatione vitiosa est *d. l.* 1. *in pr.* & §. 17. *b.* nec non interrogatio sine responsione, ut si quis roganti *annuat*, *l.* 1. §. 2. *d. V. O.*

33. At si in instrumento scriptum sit, partes fuisse præsentes, hoc creditur, quamdiu non probatur, debitorem id temporis alio loco fuisse *d.* §. 12. de hac probatione alibi dicetur. Perinde, si habeatur in instrumento promissum esse, præsumitur interrogatio facta *d.* §. 17.

34 Inutilis quoque est stipulatio interrupta tempore, & actu diverso *l.* 137. *in pr. d. V. O.* non tempore solo & modico *l.* 1. §. 1. *d. V. O.* Disconvenientia quoque interrogationis & responsionis vitiat stipulationem, §. 5 *b.* sed hæc coincidit cum dissensu, de quo locuti sumus & est generale.

35. Sicut etiam, quod de stipulatione post mortem habetur in §. 13. *b.* Erat enim regula vetus; actio, quæ non cœpit a defuncto vel contra defunctum, non poterat incipere ab herede vel in heredem, ideoque stipulatio post mortem promissoris vel stipulatoris non valebat; sed illa regula tam in stipulationibus quam testamentis abolita est, valentque ejusmodi legata simul & contractus §. 35. *I. de Legat.* §. 12. *b. t. l. un. C. ut ab hered.*

36. Sti-

36. Stipulatio *cum moriar*, & olim valebat, quia tempus moriendi tribuitur vitæ §. 14. sed *pridie quam moriar*, inutilis erat; quoniam illud *pridie* nisi post mortem constare non potest *d.* §. 14. post *mortem alterius*, dubium non habet *d.* §. 14.

37. Cæterum causæ inutilitatis, quæ sunt à formâ speciali, moribus hodiernis cessent oportet, si quidem non interest amplius, *verbis an scripto* stipulationes contrahantur, nec à pactis differunt, ut antea dictum.

TIT. XXI.

De Fidejussoribus.

STipulationes sequitur caput de Fidejussoribus. Nam fidejussor est, qui *stipulanti creditori promittit sua fide & periculo fore, quod alius debet, manente obligatione principali.*

2. Verbum *Stipulanti* separat fidejussorem à constitutore, qui nudo pacto pro alio intercedit, ut in loco videbimus; item à Mandatore, qui pecuniam alii suo periculo credi mandat, quo pertinet Rubr. *ff. de Fidejussoribus & mandatoribus.* Hodie, ut diximus, hoc discrimen à *stipulando* cessat.

3. Ultimis verbis, *manente. &c.* distinguitur fidejussor ab expromissore, qui debitorem liberat onusque totum in se transfert *l. ul. ad Sc. Macedon.* fidejussor dicitur *ad promissor in l.* 5. §. 2. *d. V. O.*

4. Dantur Fidejussores in omnibus causis & cujusvis generis contractibus, §. 1. *h. l.* 8. §. 6. *h. t.* etiam in delictis *d. l.* 8. §. 5. *add. l.* 70. §. *f. eod.*

5. Sed non in criminibus, in quibus agitur ad cruciatum corporis, ad quem nemo obligare se potest *arg. l.* 13. *in pr. ad L. Aquil.* & publicè interest, delicta in suis auctoribus puniri, quæ ratio nec ad vincula nec ad exilium obligari permittit, quod & Constit. Imper. prohibitum de *anno* 1577. *sub tit.* 17.

6. Judicio tamen sisti fidejussor aliquando admittitur,

si judex arbitretur, ejusmodi crimen & personam esse, ut è vinculis causa dicenda ne sit *l.* 1. & 2. *D.* & *C. de Cust. reor.*

7. In populari actione non datur etiam fidejussor *l.* 56. *in fin. h. t. Confer l.* 5. *d. popul. act.*

8. Nec fidejussor à viro datus uxori pro dote, tenetur *tit. C. ne fidejuss. dot.* etsi pignus recte eo casu datur *l.* 7. §. 6. *de donat. inter vir.* & *ux.* quia fidejussoris exactio speciem contumeliæ habet *l.* 17. §. *f. d. Testam. tut.*

9. Cessat quoque fidejussio in obligatione merè civili *per l.* 3. §. 1. *d. Constit. pec.* species ejus habuimus ad tit. *de Obligat. n.* 12. & 13.

10. In naturali obligatione potest dari §. 1. *h.* non tamen in ejusmodi naturali, quam lex penitus destituit aut quam prohibet, de quibus *in tit. de obligat. n.* 7. & 8. *dictum. L.* 6. *d. V. O.* nisi quis hac fine spopondérit, ut, si naturaliter obligatus eluderet creditorem, ipse præstaret; sic capere licet *l.* 25. *h. t.*

11. Nec valet fidejussio in graviorem causam, quam reus principalis est obligatus, in leviorem valet §. 5. *h. d. l.* 8. §. 7. & 8. *h. t.* In concurrentem tamen videtur teneri, modo certum fuerit, eandem esse obligationem *l.* 1. §. 4. *d. V. O. l.* 11. §. 1. *d. constit. pec. Confer l.* 33. *Mandati.*

12. Quia periculosa & tamen necessaria fidejussio est, ideo tria dantur beneficia sponsoribus. Primum est ordinis sive excussionis, quo nullus fidejussor cum effectu conveniri potest, antequam debitor principalis sit excussus *Nov.* 4. *c.* 1.

13. Cessat hoc beneficium 1. si reus procul absens & fidejussor præsens sit *d. N.* 4. *c.* 1. 2. Si palam constet, reum non esse solvendo 3. Si renuntietur, ut *omni die* usu venit.

14. An etiam cessat, si fidejussor se obligaverit, ut principalem? Non videtur, quia hoc nihil est aliud, quam id, ad quod ex natura fidejussionis tenetur. *Fab. ad C. h. t. def.* 31.

15. Al-

15. Alterum est beneficium divisionis, quod datur singulis è pluribus fidejussoribus, ut pro sua tantum parte teneantur §. 4. *h. l.* 26. *l.* 51. §. 1. *Eod.*

16. Quod si ante litem contestatam aliquis eorum desierit esse solvendo, id reliquos onerat, ut nec juventur beneficio divisionis *d.* §. 4. *l.* 51. §. 1. *& pen. h. t.*

17. Nec is, qui cum muliere fidejussit *l.* 48. *h. t.* aut pro tutore ad indemnitatem pupilli *l. ult. Rem. pup. salv.* vel qui in judicio negat se fidejussisse *l.* 10. §. 1. *h.* juvatur hoc beneficio, denique nec is qui renuntiavit *l.* 29. *in med. C. de Pact.*

18. Attamen his casibus, si creditor ab singulis fidejussoribus partes petierit, actionem divisisse videtur *l.* 16. *C. h. t.* non æquè, si ab altero partem exegerit *l.* 23. *eod.*

19. Tertium est beneficium cedendarum actionum, quod datur fidejussoribus, qui beneficio divisionis vel uti noluerunt vel nequiverunt, ob renuntiationem; tum petere possunt, ut creditor ipsis cedat actiones adversus confidejussores *l.* 17. *l.* 39. *h. t. l.* 11. *l.* 16. *C. eod.* sine quâ cessione fidejussori in confidejussorem nulla datur actio *d. l.* 39.

20. Cessio fieri debet ante solutionem vel in ipso actu solvendi, aut cum pacto inter solvendum de cessione facienda *l.* 11. *C. h. l.* 36. *ff. eod.* post solutionem, actione perempta, cessio fit incassum *l.* 76. *d. Solution. vid. l.* 28. *Mand.*

21. Huic beneficio non solet renuntiari, quia nullum creditoribus adfert præjudicium; enimvero, si inferat, creditor ad præstandam cessionem non tenetur, nisi renuntiaverit in hunc casum. Sand. *l.* 3. *t.* 10. *def.* 5.

22. Actio ex fidejussione datur creditori quidem adversus sponsorem ex stipulatu, vel potius condictio certi, *pr. I. de V. O.* quam & in heredes competere docet Cæsar *in* §. 2. *h.* pro partibus sc. hæreditariis, *l.* 49. *h.*

23. Præsuppositio, quod principalis obligatio præcesserit, nam fidejussio est accessoria *l.* 1. *pr. l.* 7. §. 1. *h. t.* tametsi ipsa fidejussio principalem obligationem præcedere potest, §. 4. *h.* sine effectu tamen, nisi hæc, inquam, perfecta sit *l.* 6. §. 2. *h. t.*

24. Fidejussor, ubi solverit, mandati habet actionem adversus debitorem, pro quo solvit *l.* 66. *h. l.* 10. §. 11. *Mand.* aut, si sponte non rogatus fidejusserit, datur actio negotiorum gestorum *l.* 20 §. 1. *ff. Mandati.*

25. Antequam solverit, non habet actionem contra debitorem, nisi tribus casibus; 1. si jam condemnatus sit. 2. si debitor bona sua dilapidet, 3. si diu in solutione cessaverit. *l.* 38. §. 1. *Mand.*

26. His casibus agere potest fidejussor, ut debitor, solvendo creditori, liberet ipsum. adde si pacti sint *arg. l.* 23. *in med. d. R.* l. vid. Sand. *l.* 3. *tit.* 10. *def.* 7. ubi illud, *diu*, quomodo accipiendum; nec id locum habere in fidejussionibus, quæ tractum temporis habent. *vers.* at si *debitum.*

27. Adversus creditorem, ut is ipsum liberet à fidejussione, nunquam agere potest, ne quidem si pignus aut alium fidejussorem æque idoneum offerat *l.* 54. §. 1. *Mand. l.* 9. §. 3. *d. pignorat. act.*

28. Non diximus, qui fidejubere possint: est regula tralatitia, *possunt qui non prohibentur*; hi sunt in genere, omnes qui contrahere nequeant, de quibus in *tit. de Inutil. stipul.*

29. Specialiter prohibetur mulier ex Scto Vellejano, nisi renuntiaverit, ut in ff. occurret, & miles, nisi uterque in rem suam fidejusserint *l.* 8. §. 1. *Qui satisd. cog.*

30. Pater pro filiofam. & hic pro patre fidejubere possunt *l.* 10. §. 1. *d. fidejuss. l.* 8. *C. eod. l.* 19. §. 2. *d. instit. act.*

TIT.

TIT. XXII.
De Literarum Obligationibus.

LIteravum obligatio nihil est aliud, quam declaratio ante biennium facta in chirographo, quâ quis profitetur sibi ab alio pecuniam mutuo esse datam, quæ numerata non est, *in pr. h. t.*

2. Biennio necdum elapso, scriptor chirographi habet triplex remedium. I. exceptionem non numeratæ pecuniæ, quam creditor elidere non potest, nisi aliunde quam è scriptura probet, numerationem vere esse factam *l.* 3. *l.* 5. *l* 8. *l.* 10. *C. de non num. pec.*

3. Nisi debitor renuntiaverit huic exceptioni, quo casu ipse tenetur ad probandum, numerationem non esse factam, ut fere in foro servant. Sand. *l.* 3. *t.* 2. *def.* 1.

4. II. Potest condicere suum chirographum, si actio non moveatur ac ita exceptioni locus non fiat *l.* 7. *C. eod. l. ult. C. de condict. ex leg.*

5. III. Potest edere protestationem de numeratione non facta *l.* 8. & 9. *C. de non num. pec.* quæ in scriptum redigenda, ut exceptio inde perpetua nascatur *l.* 14. *eod.* & *Auth. sequ.*

6. Post biennium, qui confessus est in chirographo, solutionem nullo modo effugere potest, nec admittitur ad probationem numerationis non factæ *d. l.* 8. & *l.* 14.

7. Tunc adeo verè *literis* est obligatus, nec aliud ad effectum obligationis requiritur, quam quod essentiam obligationis constituit, scil. literæ *dd. ll.*

8. Alioqui scriptura tantum facit ad probationem rei gestæ *l. pen. d. probat.* aliquando suspendit contractum, donec perfecta sit, si specialiter convenerit, ut contractus in scripto celebretur *pr. de empt. vend. l.* 17. *C. de fid. instr.*

9. At hoc loco forma contractus ipsa consistit in literis,

teris, ut bene & rectè *literarum* obligatio dicatur, quicquid Bachovius argutetur, etsi veteribus hæc species ita in usu non fuerit. *arg. l.* 1. §. 1. *d. O. & A. l.* 8. §. 1. *d. fidejuss. l.* 1. §. 1. *d. novat.*

10. In aliis contractibus præter mutuum hæc res non habet usum; sed qui chirographum habet, inde jus suum probat, nisi alter contrarium doceat *l.* 5. 6. 13. *C. d. t. l.* 25. §. *ult. d. prob.* ratio diversitatis, quia in mutuo facilitas debitorum major est ad subscribendum, quam in aliis contractibus.

11. Duntaxat apocham inter dies triginta revocare licet, eum eodem effectu, quo non numeratæ pecuniæ exceptionem memoravimus *d. l.* 14. §. 2.

12. Qui pecuniam igitur dat mutuam, rectè faciet, si testes numerationi adhibeat, eorumque declarationem instrumento obligationis inserat, quo hanc querelam præveniat.

TIT. XXIII.

De Obligationibus ex Consensu.

SIcut stipulationes quædam dicuntur conventionales §. 3. *supr. d. diverf. stipul.* quia sola conventione sine Judicis & Prætoris autoritate fiunt; ita contractus quidam consensuales vocantur, quia solo nudoque consensu perficiuntur, sine rei traditione, sine verborum conceptione, sine literis, quod ad essentiam contractus attineat *h. tit.*

2. Sic ratio constat; videamus, quænam & quid sint obligationes consensuales; præmoniti, quod omnes sint juris Gentium & bonæ fidei; quid autem hæc qualitas inferat, *alibi* videbimus.

TIT.

TIT. XVIII.

De Emptione & Venditione.

PRimus ex illis Emptio-venditio, est Conventio, qua id agitur, ut dominium Rei certo pretio in aliquem transferatur; tunc enim emo, quando aliquid ἐμὸν hoc est, meum facio. *l.* 20 *d. contrab. empt.*

2. *Quâ id agitur*; nec enim semper cum effectu dominium transfertur, veluti, cum res aliena venditur *l.* 28. *eod.* at cum id non agitur, ut dominium transeat, alius est contractus *l. pen. §. ult. eod.*

3. Substantialia hujus contractus vulgo tria dicuntur esse, consensus, merx & pretium; hisce tribus articulis absolvitur hic titulus; addemus quartum de actione empti & venditi.

4. Consensu adversus est error; in corpore & in persona vitiat contractum *supr. tit.* 20. *n.* 21. & 22. etiam in materia, si totalis sit *l.* 9. *§. ult. d. contrab. empt.* aliquid in id quod interest agitur *l.* 1. *d. act. empt.*

5. Quam primum partes consenserunt, (sæpe res hæc tractum temporis habet) perfectus est contractus, nec alteri, invito altero, à venditione licet recedere, ne quidem cum dispendio arrhæ in argumentum initi contractus traditæ *in pr. h.*

6. Excipe, si convenerit, ut emptio in scriptura conficiatur; tunc enim pœnitere licet, dum Instrumentum plene sit perscriptum; arrhâ tamen, si qua data fit, amittenda ab eo qui dedit, aut si alter recesserit; is duplum restituit *d. pr. h.*

7. Pars II. de merce habet hanc regulam; Quæ haberi vel possideri queunt, ea vendi possunt *l.* 34. *§.* 1. *d. contrab. empt.*

8. Jura quoque incorporalia, ut hereditates, actiones *tit. ff. de hered. vel act. vend.* item reditus annui rectè venduntur *Nov.* 72. *cap. pen.*

9. Non possunt quæ commercio exemptæ, ut res sacræ

sacræ, religiosæ, publicæ §. *ult. h.* liberi homines, *d. l.* 34. §. 1. & 2. neque res extinctæ, ut equus mortuus, domus exusta *l.* 15. §. 1. nisi pro parte usta fuerit, *l.* 57. *in pr. d. contrah. empt.* modo non petierit illa pars quam contrahentes respiciebant *l.* 58. *Eod.*

10. Nec ædes ut destruantur sub pœnâ dupli *l.* 52. *d. tit.* non venena, nisi medicè temperentur *l.* 35. §. 2. nec denique res alienari prohibitæ *l. ult. C. de reb. alien. non alien.*

11. Harum rerum venditio nulla est *dd. ll.* sed qui res tales ignoranti vendit, in id quod interest tenetur §. *ult. h. l.* 62. §. 1. *d. contrah. empt.*

12. At res quæ non existunt; futuræ tamen sperantur, ut fructus & partus futuri vel captus piscium, avium aut missilium rectè venduntur; quam & spei emptio est. *l.* 8. *eod. tit.*

13. Res quoque alienæ, sicut dictum, vendi possunt *l.* 28. *d. t.* hactenus, ut venditor rem tradere cogatur & de evictione cavere, non ut emptor rem, quam probare potest alienam esse, accipere cogatur. Fulden. *ad tit. C. de act. empt. n.* 3.

14. Res debet tradi cum fructibus & omni causâ *l.* 13. §. 10. 13. 18. & *ult. d. action. empt.* fundum sequitur quicquid terrâ se tenet, nihil amplius, non ruta & cæsa *l.* 17. *in pr.* & §. 6. excepto sterquilinio; quod agri nutriendi, non causa vendendi habetur *d. l.* §. 2.

15. Si res ante traditionem perierit casu fortuito damnum id emptoris est, sicut ejusdem lucra & accessiones §. 3 *h. l.* 8. *d. peric.* & *comm. rei vend.* nam etsi venditor adhuc sit dominus *d.* §. 3. *sub fin.* periculum ad rei dominum spectet *l.* 3. *C. de pignor. act.* ea tamen regula cessat, quando dominus etiam est debitor, ut hic, & quando causa dominii, jam existit §. 40. *supr. d. A. R. D.*

16. In venditione conditionali, interitus pendente conditione eveniens, venditori incumbit; quod si deterior res facta sit casu fortuito, id emptoris damnum est

est *l. 8. in fin. pr. d. peric. & comm. rei vend.* dies adjecta nihil mutat, ratione periculi *arg.* §. 2. *I. d. V. O.*

17. Casus non fatales, sed culpa saltem levi venditoris contracti, quibus res periit aut deterior facta est, venditori imputantur *l.* 5. §. 2. *Commod. l.* 11. *d. t. d. peric.* eo pertinent casus in *l.* 12. & *l.* 14. §. 1. *eod. tit.* nec non *l.* 33. *Locati*, quæ certe non agit de casu mere fatali.

18. In rebus, quæ ad pondus, numerum, mensuram venduntur, periculum non transit, nisi postquam admensæ, appensæ & adnumeratæ sunt *l.* 35. §. 5. *d. t. de contrab. empt.*

19. Tertium, quod ad substantiam venditionis pertinet, est *pretium*, *l.* 72. *eod.* sine quo non potest esse emptio *fin. pr. b. l.* 5. §. 1. *eod.* & quidem certum esse debet §. 1. nec in emptoris arbitrium conferri potest *l.* 35. §. 1. *d. t.*

20. At in arbitrium tertii rectè confertur; si is non definiverit, irrita est venditio; sive æquum sive iniquum dixerit, standum est *omnimodo* §. 1. *b. arg. l.* 27. §. 2. *d. recept. qui arbitr* nisi læsio sit ultra duplum, per remedium *l.* 2. *C. de rescind. vend.* provocatio ad arbitrium boni viri in societate recepta est, etiam ob modicam inæqualitatem *l.* 79. *pro soc.* at hæc ad venditionem non pertinet *arg. dd. ll.*

21. Pretium nonnisi in pecuniâ numerata consistere potest §. 2. *in pr. b.* in solutum quidem res aliæ dari possunt *l.* 6. *C. de rescind. vend.* sed conventio in pecuniam ineunda est *d. pr.* si res pro re datur, est permutatio *d.* §. 2. *l.* 1. §. 1. *contrab. empt.* quæ inter contractus innominatos refertur, & est *do ut des l.* 5. §. 1. *d. præscr. verb.*

22. Quod si pro re aliqua detur partim Res alia, partim pecunia, à potiori fit denominatio; si pecunia pluris est, emptio venditio habetur; si res pluris, erit permutatio; si æquipolleant, magis est, ut pro emptione venditione habeatur, quia præsumptio est pro contractu, qui usus frequentioris est.

23. Ex

23. Ex permutatione datur actio præscriptis verbis, de qua ad ff. Ex emptione venditione competit emptori actio empti, & venditori actio venditi. Empti datur, quando emptor pretium totum solvit, aut saltem offert; partis oblatio non sufficit, nisi convenerit; ut certis pensionibus solvatur *l.* 13. §. 8. *d. act. empt.*

24. Tenetur venditor ad tradendum; unde si dominus est venditor, etiam emptor fit dominus, sin, evictionis causa tenetur *l.* 11. §. 2. *d. tit.*

25. Si tradere nolit, ob procaciam in id quod interest convenitur *l.* 1. *l.* 12. *eod. l.* 4. *l.* 12. *C. eod. tit.* sed invito emptori id quod interest obtrudere non potest, ne duplam quidem *l.* 6. *C. de rescind. vend.* quin hic traditionem, si velit & facultas sit, urgere potest sine dubio, *dd. ll.* nisi commodum emptori non sit, ut in specie *d. l.* 12.

26. Actio venditi datur post traditionem; prius agenti obstat exceptio rei venditæ non traditæ *l.* 25. *d. t.* potest tamen ante traditionem, in hoc, ut emptor rem venditam tollat *l.* 1. §. 3. *d. peric. & comm.*

27. Venit in hanc actionem maxime pretium & usura post tempus rei traditæ, cum sumptibus & eo quod interest *l.* 13. §. 19. *& seqq. h. t.* & quicquid inter partes insuper convenit. §. 23. *& seqq. d. L.*

28. Denique, si in locatis ager aut domus fuerit, pensiones venditori, qui locaverat, cedent, ad tempus usque traditionis scilicet *d. l.* 13. §. 11. & 16. *in med.*

29. Sunt alia pacta prolixioris momenti venditionibus adjici solita, de quibus *ad ff. tit. de lege commiss. de addict. in diem.* ibidemque de rescindenda venditione aliisque eodem pertinentibus agetur.

TIT.

TIT. XXV.

De Locatione Conductione.

LOcatio conductio est, *Conventio de re aliquâ fruenda vel facienda, pro certâ mercede.*

2. Natura hujus contractus & omne argumentum tituli intelligitur ex convenientia & disconvenientia ejus cum emptione venditione, cui locatio conductio proxima est iisdemque juris regulis consistit *pr. h. l.* 1. & 2. *h.* Regulæ istæ primo circa conventionem versantur.

3. I. Uterque contractus est Juris Gentium & bonæ fidei *l. 5. d. Just. & jur.* §. 28. *I. de action.* ubi plenius de qualitate bonæ fidei dicetur.

4. II. Locatio, sicut emptio, perficitur solo consensu *h. pr.* nisi convenerit, ut in scriptura fieret, per *l.* 17. *C. de fid. instrum.* qua de re *ad pr. tit. præced.* III. Obscuritas conventionis nocet in dubio tam venditori quam locatori *l.* 39. *d. Pact.*

5. Circa Rem. I. Quæ res possunt vendi, eædem recipiunt locationem; modo non sint res propriæ conductoris aut emptoris; nam hæ, *quâ tales*, ut emi nequeunt, per *l.* 1. §. 10. *d. O. & A.* ita nec conduci possunt *l.* 9. §. *ult. h.*

6. II. Accessiones, quæ sequuntur res venditas, eædem & in locatione comprehendi intelliguntur, vid. *tit. præced. n.* 14.

7. Regulæ circa pretium sunt hæ; I. Sicut in venditione pretium, ita hic merces in pecunia numerata consistere debet *l. 5.* §. 2. *d. præscr. verb. l.* 1. §. 9. *depos. l.* 23. *Comm. divid.* juncto *n.* 21. *tit. præced.*

8. II. Hic etiam, ut de venditione diximus, merces conferri potest in arbitrium tertii, §. 1. *h.* sicut de pretio diximus in *tit. præced. n.* 20.

9. III. Æque tamen heic pretium debet esse certum; si quid fruendum faciendumve detur non gratis,

nec tamen expreſsâ mercede, tum eſt contractus innominatus & agitur præſcriptis verbis *d.* §. 1. *v. qua de causâ.*

10. IV. Quemadmodum, ſi res pro re datur, eſt permutatio & præſcriptis verbis agitur, ſic ubi uſus rei datur pro uſu alterius rei, eſt contractus innominatus eademque actio datur §. 2. *h.* ut cum agricolæ alternis vicibus equos ſibi mutuo utendos concedunt *d.* §. 2 *l.* 17. §. 3. *d. præſcr. verb.*

11. Affinitas utriuſque Contractus inſuper duobus exemplis dubiis enarratur. Primò ponemus, quod facilius eſt *in* §. 4. *h.* conveniſti cum fabro de poculo faciendo, quæritur, emptio venditio ſit, an locatio conductio; ſi ex tuo argento fecerit, eſt locatio, ſi de ſuo, eſt venditio. Uterque caſus ex utroque contractu mixtus eſt, ſed à potiori fit denominatio *l.* 2. §. 1. *h. tit.*

12. Alterum exemplum eſt in Emphyteuſi, quæ definitur, Contractus, quo dominus prædii ſui fructum & jus dominio proximum alteri concedit, ab eo exercendum, quamdiu penſionem ſolvet *d.* §. 3. & *l.* 1. *C. de jur. emphyt.*

13. Hic contractus olim quaſi *venditio* videbatur, quia plus juris transfert quam locatio; Rurſus locatio videbatur, quia emphyteuta habet dominum §. 3. *h.* Tandem Zeno ſtatuit propriam ejus eſſe naturam *d.* §. 3. & *d. l.* 1. origo tamen ejus eſt juris gentium; Explicabitur ad *tit. D. Si ager vectig. pet.*

14. Vidimus convenientiam locationis cum emptione venditione Videamus & diſcrepantias.

15. Prima, locatio tam eſt factorum quam rerum, venditio factorum non eſt; jactus retis quidem venditur, ſed hæc magis eſt ſpei venditio, in *l.* 12. *d. action. emp.*

16. II. Emptor & venditor ſemper eodem modo ſe habent. Etiam heic in rebus ita, conductor eſt, qui rem accipit, locator, qui dat utendam vel faciendam; ſed

sed in factis uterque locator & conductor est: V. C. ego poculum loco faciendum, fabri operam conduco. Faber locat operam suam, conducit poculum faciendum.

17. III. In venditione id agitur, ut dominium transferatur, locatio dominium non transfert *l.* 39. *Locat.* ubi *transferre non solet*, nam sunt casus, quibus transferat, ut in *l.* 22. §. 2. *l.* 31. *d. tit. Loc.*

18. IV. Hinc in locatione conductor non fert periculum rei, neque de casu fortuito, ut emptor, sed de culpa tenetur §. *pen. h.*

19. V. Pretium emptionis nunquam nisi in pecunia numerata consistere potest; merces conductionis potest etiam constitui in certa quantitate fructuum, qui ex fundo locato proveniunt *l.* 8. *l.* 21. *C. Locati.* quanquam & hæc species ad societatem vel contractum innominatum accedit *l.* 25. §. 16. *inf. D. eod. l.* 8. *C. de pact.* ubi *partiarii* coloni.

20. Denique VI. in locatione non habent locum, ut in venditione, cautiones de Evictione, aut Ædilitii Edicti, de quibus in Pandectis agendum *l.* 63. *d. Ædil. Ed.*

21. Modi, quibus finitur locatio, sunt I. Tempus præfinitum, non mors; transit enim ad utriusque contrahentis heredes §. *ult. h. l.* 10 *C. h. t.*

22. Si contrahentes passi sint tempus labi nec usum rei mutaverint, tempus, quo continuarunt, tacitæ conventioni imputatur; imo in agris ad annum tenentur invicem, quia perceptio fructuum anno circumagitur, *l.* 13. §. *ult.* & *l. sequ. h. t.* In prædiis urbanis, quatenus habitatum est, *d. l.* 13. §. *fin.*

23. Moribus *passim*, nisi certo tempore ab eo, qui à locatione vult discedere, sit renuntiatum, ad annum usque renovata censetur conductio, tam in ædibus quam in agris, non etiam in rebus mobilibus.

24. II. Finitur, resoluto jure locatoris, etsi longius sit tempus adjectum, ut si usufructuarius rem locaverit & ususfructus sit finitus; nec quidem heres fructua-

ctuarii in id quod interest tenetur, nisi defunctus jure communi, non qua fructuarius locaverit *l.* 9. §. 1. *h. t.*

25. Eadem ratione per venditionem à locatore factam solvitur conductio; nec enim emptor [illegible]are tenetur, sicut nec reliqui successores particulares, nisi aliter convenerit *l.* 25. §. 1. *h. t. l.* 6. *C. eod.*

26. At si pacto non caverit venditor idemque locator, ipse conductori tenetur in id quod interest, ideoque hujus refert, in eum finem cum emptore paciscí *d. l.* 25. §. 1.

27. Exceptio est, si conductor pro hoc contractu hypothecam saltem generalem habeat; hæc enim ei tribuit retentionem, donec ei satisfactum sit de eo, quod sua interfit *arg. l.* 1. *in pr. d. pignor. & hypoth. Conf. l.* 25. *C. h. t.* Sand. *l.* 3. *c.* 9. *def.* 7.

28. III. Finitur locatio, si conductor toto biennio non solvat mercedem, modo dominus jure suo velit uti, *l.* 56. *h. t.* quo casu obtinent eadem quæ de emphyteusi diximus ad *tit. ff. Si ag. vect.*

29. IV. Finitur locatio, si Dominus rem locatam propriis usibus necessariam esse probaverit; necessitas autem rigide accipienda videtur, ne temere adversus proprium factum nitatur *l.* 3. *C. Locati.*

30. V. Si dominus ædes *corrigere maluerit*, *d. l.* 3. si videlicet tanta reparatio sit, ut habitationem impediat; quod ob publicam utilitatem receptum, ne ædificia collabantur, quo nihil tristius urbibus *l.* 2. *C. de ædif. privat.*

31. VI. Si conductor in re conducta male versatus sit *d. l.* 3.

32. Ex hoc contractu est actio locati atque conducti. Illa datur locatori, sive dominus sit, seu fructuarius aut bonæ fidei possessor, sive conductor; nam & hic sub locare potest *l.* 6. *C. Locat.* neque primus locator actionem adversus hunc conductorem secundum habet *arg. l.* 38. §. 17. *d. V. O.*

33. Da-

33. Datur ad petendam mercedem cum usuris post moram *l.* 17. *C. eod.* & eo quod interest, si res deterior facta sit, culpa levi conductoris *l.* 9. § *pen. l.* 11. §. 2. *D. h. t.* quanquam superlative loquitur §. *pen. h.* & *l.* 25. §. *pen. h. t.* quæ diligentissimi patrisfam. officium a conductore postulant. Tu tene culpam levem, nec ultra l. 5. §. 2. *Commodat.*

34. Actio conducti datur conductori, ad hoc, ut re conducta uti liceat, vel id quod interest solvatur *l.* 15. *pr.* & §. 1. *h.* ut res reficiatur *d.* §. 1. aut si non fiat, pretium remittatur, quod tamen ob quodvis transversarium peti non potest *l.* 27. *pr. eod.* sed & pro domo, quæ vitium fecit, merces præstatur *l.* 28. §. 1. *eod. tit.*

35. Item, ut merces ob casus fortuitos, unde sterilitas remittatur, modo non sint casus *à vitio rei ipsius d. l.* 15. §. 2. aliter *Pont. C.* 3. *x. de Locato*; fertilitate vero insigni dein secutâ, remissio prior revocatur, licet donandi verbo fit usus locator *d. l.* 15. §. 4.

TIT. XXVI.

De Societate.

SOcietas est conventio de rebus lucroque & damno communiter habendis. Est etiam communio *sine* conventione, de qua inter quasi contractus videbimus.

2. De *rebus*, etenim res plerumque communicantur *l.* 1. §. 1. *h. t.* aliquando tamen dominium manet penes unum, & artis operæque societas sola contrahitur cum lucro atque damno, ut mox ad §. 1. Partiarii coloni hinc non sunt alieni *l.* 25. §. 6. *Locati.*

3. Res intelliguntur justæ & honestæ, non turpes, ut monopolia, maleficia *l.* 27. *in pr. h. t. l. un. C. de Monop.*

4. Duplex est societas, Generalis, aut singularis; Illa, omnium bonorum, κοινοπραξία Theophilo. Sin-

gularis, quæ certarum rerum, ut olei, vini, frumenti aliusque negotiationis, aut vectigalium *pr. h.*

5. Generalis iterum est, (liceat ita loqui) vel generalis *simpliciter*, vel universalis; hæc, quando nihil societati eximitur; sed etiam hereditates & legata & donationes postea obvenientes & quicquid ab alterutro quæsitum fuerit, communicatur *l.* 3. §. 1. *l.* 73. *h. t.*

6. Generalis *simpliciter*, quando ea sola & omnia, quæ ex quæstu veniunt, non reliqua enumerata communicantur *l.* 7. *& seqq. eod. tit.* qualis apud nos fere inter conjuges est.

7. Discernuntur ita; Quoties exprimitur, quod societas futura sit omnium bonorum, intelligitur universalis *d. l.* 3. §. 1. quando simpliciter initur societas, non expresso, utrum generalis sit, accipitur generalis, sed restricte ad quæstum ex omnibus bonis *d. l.* 7.

8. Initur quoque societas expresse per conventionem, vel tacitè, rebus in commune allatis, idque est, quod re aut verbis fieri dicitur *in pr. l.* 4. *h. t.*

9. Rebus, inquam, collatis; nec enim quodlibet factum communi voluntate initum parit societatem, ut si duo simul emerint; nam ea communio est *l.* 51. *h. junct. l.* 2. *C. eod.*

10. In societatem res collatæ statim fiunt communes, quasi traditione tacitâ *l.* 1 §. 1. *& l.* 2. *h. t.* dominio ipso: jura vero & actiones, quia tradi nequeunt, cessionibus communicantur *l.* 3. *in pr. eod.*

11. Fundamentum societatis est æqualitas, nisi aliter convenerit. Conventio est vel incerta, ut constituantur adhuc, vel certa, quando constituitur, quæ & quotæ partes futuræ sint *l.* 6. *& l.* 22. *h. t.* §. 1. *h.*

12. Incerta conventio redigitur ad arbitrium boni viri, qui rationem collationis habet, ita, ut qui plus pecuniæ operæve confert, plus etiam lucri percipiat *l.* 76. *& seqq. l.* 80. *h. t.*

13. Conventio certa de partibus lucri atque damni, ita ut placuit servanda est; veluti si duo inter se pacti sint,

sint, ut ad unum duæ partes lucri & damni, ad alterum tertia pertineat §. 1. *in fin. h.* ut unus lucri partem ferat, de damno non teneatur §. 2. *vers. & adeo hic.*

14. Tametsi aliâs, si partes in lucro sint expressæ, non in damno, in hoc eædem partes intelligantur & perinde viceversâ §. 3. *h.*

15. Cæterum, leonina societas quæ dicitur, ut unus ferat omne lucrum, alter omne damnum, penitus prohibita est *l.* 29. §. 2. *h. t.*

16. Nec vero aliter valet conventio de partium inæqualitate, quam si alter plus contulerit pecuniæ aut operæ alteriusve rei causâ *l.* 29. *in pr. h. t.*

17. Ex his sequitur, cum nihil de partibus dictum est, contrahentes, sine respectu ad collationem, æquales habere partes, arithmeticè, non geometrice, ut loquuntur *d.* §. 1. & *dd. ll.* Connan. *l.* 7. *comm. c.* 19. *n.* 5. Tulden. *ad h. t. n.* 5.

18. Potest quoque societas ita iniri, ut sortem unus conferat, & tamen alter lucrum participet *d.* §. 2. *in med. l.* 1. *C. h. t.* sors eo casu manet ejus qui contulit, nec enim uspiam quam lucrum commune fit *d.* §. 2. *l.* 52. §. 2. *eod.* nisi aliud expressum *arg. l.* 23. *d. R. I.* Auctores hinc inde vid. apud D. Voet. *ad h.* §. *n.* 2.

19. Is qui nihil sortis contulit, quod ad proventum lucri sui attinet, etiam de damno tenetur *l.* 25. § 4. *h. t.* eo consumpto, reliquum damnum in sortis dominum recidit *arg. l.* 9. *C. d. Pignor. act.*

20. Quando autem partes factæ sunt inæquales, distributio pro portione illa non est facienda in singulis negotiationum articulis; sed finitâ societate, lucra cum damnis conferenda; quod inde resultat id ex pacti lege partiendum *d.* §. 2. *in fin.*

21. Modi, quibus societas finitur, sunt, Renuntiatio, mors, finis negotii & jactura bonorum alteri è sociis eveniens §. 4. & *seq. h.*

22. Renuntiatio unius, invito quoque altero, sol-

vit ſocietatem, quod in hoc contractu ſpeciale eſt, propter odium Communionis, quæ mater diſcordiæ audit *d.* §. 4. *l.* 77. §. 20. *d. legat.* 2.

23. Qui fraudulenter renuntiaverit, is lucrum à ſe quæſitum communicare debet, ejus vero quod alter perceperit, non fit particeps *d.* §. 4. idemque juris eſt, ſi quis abſenti renuntiaverit, uſque dum ille reſcierit *l.* 17. §. 1. *h. t.*

24. Renuntiandi facultas tam valida eſt, ut ne pactum quidem, de ſocietate nunquam ſolvenda, eam impediat *l.* 14. & *l.* 70. *d. t.* de certo tempore valet pactum *d. l.* 14.

25. Eſt & tacita renuntiatio, quando ſinguli ſeparatim agere cœperunt *l.* 64. *h. t.*

26. II. Mors tam naturalis quam civilis, etiam unius è ſociis, totam & inter omnes ſocietatem ſolvit, *d.* §. 5. *h. l.* 63. §. *fin. h. t.* tametſi convenerit, ut ad heredes tranſeat *l.* 35. *l.* 59. *h. t.* excipitur vectigalium ſocietas *d. l.* 59.

27. Tale vero pactum, ut è pluribus uno morientе ſocio, inter reliquos ſocietas maneat, non impeditur §. 5. *in fin. h.*

28. III. Solvitur ſocietas, finito negotio, ſuper quo contracta eſt §. 6. *h.* vel tempore præfinito, ut dictum.

29. IV. Jactura bonorum, quæ contingit publicatione §. 7. & ceſſione, quâ debitor ſua bona creditoribus diſtrahenda permittit, §. 8. *h.* cum enim ſocietas rerum & ſubſtantiæ ſit, abſque illis conſiſtere quï poſſet? *l.* 65. §. 1. & 2. *h. t.*

30. Actio ex hoc contractu eſt utrimque directa, *pro ſocio*, daturque non ad diviſionem, ſed de præſtationibus perſonalibus, quæ non immediate *ex re*, *ſed è facto perſonali* orjuntur *d. l.* 1. velut, ſi unus in re communi damnum dederit *l.* 48. & *ſequ. h. t.* vel paſſus ſit, etiam fato *l.* 52. §. 4. *h.* vel impenſas fecerit, aut fructus perceperit *l.* 38. §. 1. *eod.*

31. Cul-

31. Culpam ſocii levem præſtant §. *ult. h.* ex ratione *l.* 5. §. 2. *Commod.* ita, ut ſi in communibus non fuerint negligentiores, quam in propriis rebus, defungi poſſint *l.* 72. *h. t.* quam ſi conferas cum *l.* 32. *depoſiti*, videbis in depoſito & in ſocietate fere eandem culpæ præſtationem verti, ſcilicet, bonam fidem *l.* 52. §. 1. *d. t.*

TIT. XXVII.

De Mandato.

MAndatum eſt Conventio, qua quis rogatus alienum negotium gratis adminiſtrandum ſuſcipit.

2. Verbo, *rogatus*, diſtinguitur mandatum à negotiorum geſtione. Quæ eſt, quando quis aliorum res curat, ſine mandato; & verbo *gratis* diſtinguitur à locatione factorum, vel à do ut facias, ſi merces certa non ſit, vel factum locari non ſit ſolitum §. *ult. h.*

3. Duplex mandatum eſt, Generale, quod eſt ad omnia bona; & Speciale, quod de certis rebus eſt datum *l.* 58. *& ſeqq. de Procurat.*

4. Speciale Mandatum rurſus vel judiciale vel extrajudiciale eſt; illud ad litem, hoc ad negotia dicitur, & de hoc agimus heic loci; de altero eſt locus in *tit. de iis, per quos agere poſſ.*

5. Utrumque & imprimis judiciale, vel eſt in rem ſuam, vel in rem alienam.

6. In rem ſuam, cum quis nomine quidem alieno ſed in propriam utilitatem agit, ut is cui vendita, donata aliove titulo proprietatis ceſſa fuit actio, *ceſſionarius* vulgo *l.* 33. §. 1. *cum l. ſeqq. de Procurat.*

7. Hic inſuper mandati eget, ad actionem directè inſtituendam; tituli proprietarii conferunt quidem emolumentum actionis, at non jus agendi, niſi utiliter *l. ult. in pr. d. tranſact. l.* 16. *d. pact.* plus hac de re ad *ff.*

8. Mandatum quoque dicitur expreſſum vel tacitum;

& hoc quidem colligitur ex claris & indubitatis circumstantiis, ut quando quis alienas res præsente domino gerit *l.* 6. §. 2. *l.* 18. *d. Mand.* nam alioqui tacens heic pro consentiente non habetur *l.* 8. §. 1. *d. Procurat.*

9. Est & alia mandati divisio quintuplex: 1. Solius mandantis gratia, cum tibi mando, *ut mea negotia cures.* 2. Mandantis & Mandatarii, *ut mea & tua negotia cures.* 3. aliena, ut *amici mei res cures.* 4. Mandantis & alienâ; *ut mea & amici.* 5. Mandatarii & alienâ, ut *tua & amici mei res geras.* exempla vid. *in* §. 1. 2. 3. 4. 5. *h.*

10. Tu dices; mandatum alienâ gratiâ non valet; nam ego non obligor, cum mea non interest §. 18. *I. de Inutil. stip.* Resp. ab initio quidem non, at ex post facto interest; quia si res amici mei non bene curentur, ego tenebor *arg. l.* 36. *d. R. I.*

11. Solius mandatarii gratiâ non oritur obligatio, quia consilium potius, quam mandatum est §. 6. *h. l.* 2. §. *ult. h. t.* nec commendatio obligat *l.* 12. §. 12. nec promissio amicabilis affectionis in curandis amici rebus *l.* 10. §. 7. dolus tamen usque quaque præstatur *d.* §. *ult.* & *d.* §. 7. *in fin. h. t.*

12. Contra bonos mores mandatum, ut de furto, de damno, injuria non obligat §. 7. *h. l.* 22. §. 6. *h. t.* velut, si adolescens pecuniam meretrici jubeat credi *l.* 12. §. 11. *h.*

13. Uterque tamen & mandans & mandatarius ad pœnam facti tenentur *d.* §. 7. *l.* 15. §. 1. *ad L. Corn. de Sicar.* quod si mandatarius potestati mandantis sit subjectus, in minus atrocibus excusatior est *l.* 157. *d. R. I. l.* 20. *d. O.* & *A.*

14. De excessu à mandatario in re turpi, datâ operâ, commisso, ultra limites mandati non potest teneri mandans; si per imprudentiam, non videtur excusandus *arg. l.* 7. §. *fin. d. Iurisdict. arg. d. l.* 15. *ad L. Cornel. de Sicar.* §. 8. *h.*

15. De excessu in re licita mandatarius non habet actio-

actionem, ne quidem negotiorum gestorum, licet in rem mandantis fuerit §. 8. *h. l.* 31. §. 4. *d. negot. gest.*

16. Potest tamen mandatum per æquipollens aut per substitutum impleri, si mandantis nihil interfit, per *l.* 8. §. 3. *l. ult.* §. 1. *h. t.* aut nisi prohibitum sit *l.* 1. §. 5. *vers. qui tamen d. exercit. act.*

17. Actio mandati est vel directa vel contraria. Directa datur mandanti adversus mandatarium ut reddat rationem negotii gesti. Contraria datur mandatario, ad repetendas impensas omnemque indemnitatem *l.* 12. §. 7. *h. t.* etsi negotio finem adhibere non potuerit *l.* 56. §. 4. *h.*

18. Si de salario convenerit, manet quidem mandatum & actio mandati *l.* 6. *in pr. h.* at salarium non actione mandati, sed extra ordinem vel ex stipulatione petendum est; si incertum, plane peti nequit *l.* 56. §. 3. *ff. Mand. l.* 1. *C. Eod.*

19. Tenetur mandatarius de leviſſima culpa *l.* 13. & *l.* 21. *C. mandat.* quæ est exceptio à regula *l.* 5. §. 2. *Commod.* ob exsuperantem bonam fidem, & sic cape *l.* 10. *pr. Mand.*

20. Modi, quibus finitur mandatum, sunt voluntas & mors. Voluntas sufficit alterutrius, sive revocatio vel renuntiatio sit. Utraque impunè potest fieri, Re adhuc integrâ, hoc est, ubi neutrius adhuc interest; cum res desiit integra esse, revocans aut renuntians tenetur in id quod interest §. 9. & 11. *h.*

21. Sunt tamen justæ causæ, propter quas, re quoque non integra, impune mandato renunciari potest, velut ob inimicitias vel proprias necessitates *l.* 17. §. 1. & *ll. seqq. de Procurat.* de procuratore ad litem hac parte alias agetur.

22. Mors alterius tollit mandatum, quia respectu personalis fiduciæ ac amicitiæ contractum est §. 10. *h. l.* 26. & *seqq. h. t.* ut ignorantia tamen probabilis mandatario utilem actionem præstet *d.* §. 10. *d. l.* 26. *in pr.*

pr. l. 33. *in fin. d. Acquir. poſſ. l.* 4. *in. pr. d. manum. vind. l.* 9. §. 1. *d. jur. dot.* imò & heredi mandantis ac mandatarii, ſi res non ferat moram *l.* 21. §. 2. *d. Negot. geſt.*

23. Sùnt etiam ſpecies mandati, quæ per ſe poſt mortem durant, uti quæ diſerte in id tempus concipiuntur *l.* 12. §. *ult. cum l. ſequ. h. t. l. ult. d. ſolution.* item mandata in rem ſuam *l.* 2. *C. de O. & A.* ſed Exempla in *l.* 59. §. 1. *d. Jud. N.* 134. *c.* 6. *l.* 17. §. 2. *d. Inſtit. act. junctâ l. pen. de Reb. cred.* quæ objiciuntur, non ſunt ſpecies mandati proprie dicti, vid. *prælect. h.* & Wiſſenbach *ad. tit. ff. mandati th.* 19.

TIT. XXVIII.

De Obligationibus, quæ quaſi ex contractu naſcuntur.

FUere contractus veri, è voluntate, verbis aut re, expreſsâ orti; ſequuntur.

2. Quaſi contractus; hi ſunt, facta honeſta, è quibus ſine voluntate partium naſcitur obligatio, propter æquitatem *pr. h. l.* 32. *d. reb. cred.*

3. Cauſa obligationis eſt æquitas *d. l.* 32. *in fin.* alii dicunt, tacitus conſenſus; ſed & veri contractus ſunt è tacito conſenſu *tit. præc. n.* 8. *& de ſociet. n.* 10. atque ex his ſpeciebus furioſi quoque & infantes obligantur, quibus tacitus conſenſus adſcribi nequit *arg. l.* 3. *d. R. I.*

4. Heic habentur quinque facta, Negotiorum geſtio, Tutelæ adminiſtratio, Rei communio, Hæreditatis aditio & Indebiti ſolutio. Poſſunt plures dari *arg. d. l.* 32. ſecundum varias cauſarum figuras *l.* 1. *in pr. d. O. & A.*

5. Negotiorum geſtio dicitur, cum quis aliena negotia ſine mandato gratis adminiſtrat; quod poſſunt facere omnes, qui ex facto ſuo obligantur, etiam feminæ *l.* 3. §. 1. *l.* 31. *d. negot. geſt.* non pupillus *arg. l.* 46.

46. *d. O. & A.* si gesserit tamen, tenetur quà locupletior factus *d. l.* 3. §. 4.

6. Negotiorum gestor, si, necessitate urgente, rem susceperit, non nisi de latâ culpa tenetur *l.* 3. §. 9. *d. Negot. gest.* aliter levissimam præstat §. 1. *in fin. h. arg. l.* 21. *C. Mand. juncta l.* 1. §. 35. *Depos. l.* 25. §. 16. *Famil. ercisc.* nec est contrarium in *l.* 6. §. *ult. d. negot. gest. l.* 32. *pr. eod. l.* 20. *C. d. tit.* Wissenb. *ad h. tit. th.* 6.

7. Actio negotiorum gestorum est directa vel contraria. Illa datur domino ad rationem rei gestæ exigendam; Contraria negotiorum gestori ad indemnitatem *d.* §. 1. *l.* 2. *d. tit.* etsi res non habuerit effectum *l.* 10. §. 1. *eod.*

8. Secundus quasi contractus est Tutelæ administratio; nam ipsum Tutelæ officium pertinet ad primum juris objectum §. 2. *h. supra de Tutel.*

9. Actio hinc est directa vel contraria; Illa datur pupillo contra tutorem, ut rationes reddat & reliqua præstet *l.* 82. *d. C. & D.*

10. Contraria Tutori competit ad repetendas impensas omnemque indemnitatem *d.* §. 2. *l. t. & ult. de contr. Tut. act.* licet impensæ male cesserint *l.* 3. *pr. & §.* 7. *eod.*

11. Modo præstiterit officium diligentis patrisfam. ultra id enim non tenetur *l.* 1. *in pr. d. Tut. & rat. l.* 33. *d. Administr. Tut.* in heredem nonnisi de lata defuncti culpâ datur actio *l.* 1. *C. de hered. Tut.* quæ est exceptio à regula *l.* 2. §. 2. *d. V. O.*

12. Neutra actio datur vel nascitur ante finitum Tutoris officium *l.* 4. *pr. l.* 9. §. 4. *d. t. de Tut. & rat.* Sed mores volunt, Tutorem prius quoque teneri ad rationes reddendas: non tamen ad reliqua præstanda, Sand. *l.* 2. *t.* 9. *def.* 12. De Cura datur utilis actio *Rub. ff. de Tut. & util. curat. cauf. act.*

13. III. Rei communio est, cum duo vel plures eandem rem habent communem sine conventione de so-

cieta-

cietate, ut coheredes vel collegatarii, quive rem eandem emerunt §. 3. *h.*

14. Hinc duplex actio nascitur, Communi dividundo & Familiæ erciscundæ.

15. Prima datur inter eos, qui discedere volunt à communione rerum singularum, licet socii sint; ut dix. *tit. de Soc. n.* 30. & 31. etiam de præstationibus personalibus, quæ sunt tempore divisionis *l.* 3. *in pr. Com. div.* aut quæ intercedunt, re perempta *l.* 11. *eod.*

16. Actio familiæ erciscundæ, datur inter coheredes aliquos aut omnes, qui discedere volunt á communione rerum hereditariarum, sive una sit hereditas sive plures *l.* 25. §. 3. π. *Famil. Erciſc.* tam ut res dividantur, quam ut præstationes personales (quid hæ sint *dix. tit. de soc. d. n.* 30.) ad æqualitatem redigantur *l.* 22. §. *pen. d. t. F. E.*

17. Dividuntur omnia, quæ ad hereditatem pertinent, de quibus *in l.* 19. *& seqq. de hæred. pet. l.* 9. 10. 12. 16. *h. t.* exceptis rebus prohibiti usus *l.* 4. §. 1. & 2. & nominibus sive actionibus *d. l.* 4. *in pr.*

18. Nam hæc ipso jure divisa sunt, ita ut singuli heredes pro partibus hæreditariis agant & conveniantur *l.* 6. & 7. *C eod. tit.* nec unus à Creditore eligi possit, nisi quatenus est possessor hypothecæ à defuncto creditori suo obligatæ *l.* 2. *C. d hæredit. act.* Quid officio judicis hac parte fiat, videbimus ad *tit. d. off. Jud.*

19. IV. Quasi contractus est Hæreditatis aditio § 5. *h.* nam heres cum adiit hereditatem contrahere videtur cum legatariis & fideicommissariis, in hoc, quod relicta præstare velit *d.* §. 3. *l.* 3. *in fin. cum l. sequ. Quib. ex cauſ. in poſſ. ea.* Est hæc actio personalis è testamento *suprà de legat. n.* 86.

20. Respectu Creditorum defuncti, Aditio non est causa, sed medium actionis, quam habent in hæredem, eandem videlicet, quam adversus defunctum habuissent; *l.* 2. §. 2. *d. V. O.* heres enim per omnia pro defuncto habetur eodemque jure utitur, *l.* 59. *d R. I.*

21. V.

21. V. Solutio indebiti plures habet theses; nascitur ex ea condictio indebiti, quæ datur ei, qui per errorem solvit id, quod naturaliter non debebat §. 6. *h.*

22. Fundamentum repetitionis est *error*, sub quo & dubitatio *l. ult. C. d. tit.*) maxime quidem facti, quem voce erroris simpliciter positâ intelligimus *l.* 9. §. 5. *vers. quod ex causâ & vers. nam initium d. jur. & fact. ignor.*

23. Imò nec juris errorem impedire condictionem indebiti, probatur ex *l.* 1. *C. de condict. ob caus. dat. l.* 1. *pr. Ut in poss. legat. l.* 7. *d. condict. caus. dat. non secut. arg. l.* 7. *d. jur. & fact. ignor. l.* 66. *d. cond. indeb. l.* 79. *d. leg.* 2.

24. Opp. Juris error indebitum condicenti non prodest, *l.* 10. *C. de jur. & fact. ignor.* Resp. Hoc ita, si de lucro agatur, ut in herede, qui Falcidiam deducere oblitus est *d. l.* 9. §. 5. *l.* 2. *& l. ult. d. tit. C. de jur. & f. ign.*

25. *Naturaliter* indebitum esse oportet *l.* 41. *in fin. l.* 66. *d. cond. ind.* meré civilis obligatio non impedit condictionem *arg. dd. ll.* Exempla vid. in *tit. de oblig. n.* 13. quod igitur naturâ debetur, solutum condici nequit, *l.* 13. *in pr. l.* 60. *pr. d. Condict. Indeb.*

26. Datur autem tibi condictio ejus quod non debebas, adversus accipientem, licet huic ab alio id ipsum debeatur *l.* 19. *d. t. d. cond. ind.* nisi tu nomine veri debitoris solveris, ut vulgo accipiunt *l.* 44. *eod.* vel, si acipiens fuerit dominus rei solutæ *l.* 33. *verb. sed suam rem eod.* idque vox *suum* in *d. l.* 44. facile admittit, per *l.* 27 §. 2. *d. aur. & arg. leg.*

27. Cessat condictio indebiti in tribus actionibus, quarum lis infitiando crescit in duplum, quæ sunt, Depositi miserabilis, Legati piis locis relicti & legis Aquiliæ; §. *ult. h.* cujus rei ratio redditur, quia solvendo transactum videtur de duplo; obscura satis, sed valeat inopia melioris.

TIT.

TIT. XXIX.

Per quas personas nobis obligatio acquiritur.

IN hoc titulo nihil est, quod non intelligi possit ex iis quæ dicta sunt ad *tit. per quas person. cuique acquir.*

2. Nam acquisitio obligationum eâdem ratione constat, quâ dominii acquisitio; per servos indistinctè, ut *in tit. d. stipul. serv.* habuimus, Per filios-fam. pro diversitate peculiorum.

3. Adde, filium-fam. adeo patri suo acquirere, ut ne quidem stipulari possit sibi debitum iri, cum sui juris fuerit, utique si in fraudem patris id fecerit *l. ult. d. stipul. serv.* cum qua confer *l.* 132. §. *ult. d. V. O.*

4. Quin & obligatio conditionalis acquiritur patri, licet, emancipato filio, extiterit conditio *l.* 78. *d. V. O.* in legatis secus est *l.* 18. *d. R. I.*

5. Ratio, quia in contractibus initium spectatur *d. l.* 78. *in. f.* & conditio existens retrotrahitur ad principium *l.* 11. §. 1. *Qui pot. in pign.* at legata vires capiunt, ex quo dies cedit *d. l.* 18. & *l.* 5. §. 2. *Quand. d. leg. ced.*

TIT. XXX.

Quibus modis tollitur obligatio.

MOdi, quibus tollitur obligatio, conveniunt quidem & delictis; sed multo magis contractibus, ideo his subjiciuntur, ante Caput de maleficiis.

2. Tollitur obligatio aut ipso jure, vel per exceptionem. Ipso jure, hoc est, immediata vi legis, sine ullo facto; exceptio non operatur, nisi cum in judicio fuerit opposita, quod est facti *l.* 27. §. 2. *d. pact.*

3. Modi, ipso jure tollendi obligationem, heic quatuor habentur; Solutio, Acceptilatio, Novatio & contrarius consensus.

4. I. Solutio est naturalis præstatio ejus quod debe-

tur

tur *pr. h. l.* 49. *l.* 52. *d. Solut.* sumpta vox generaliter omnem denotat liberationem *l.* 176. *d. V. S.*

5. Sed definitio de vera & propria datione ejus ipsius quod debetur accipienda, ut nec aliud pro alio, *pr. h.* neque per partes *invito* solvi possit *l.* 3. *Famil. erciſc.* nisi prætor ex officio partem liquidam accipere & de reliquo contendere jubeat; ad lites minuendas *l.* 21. *d. Reb. cred.*

6. Sed alius pro alio, licet invito, recte solvit *d. pr. l.* 23. *d. solut. l.* 39. *d. negot. geſt.* ubi & ratio; cui non obstat *l.* 69. *d. R. I.* aliter enim lex operatur ipso jure, aliter homo *d. l.* 39. Adde, quod dictum *l.* 69. procedit, ubi tertii non interest, quod secus heic; *v. l.* 28. *Mand.*

7. At solvens non habet actionem, si pro invito gesserit, per *l. ult. C. de negot. geſt.* nec ei præjudicat ullo modo, V. C. ut usuræ annuæque pensiones agnitæ videantur *arg. d. l. ult.*

8. II. Acceptilatio nihil est aliud, quam declaratio, qua creditor debitorem suum ita liberat ac si solvisset, unde solutio *imaginaria* respectu naturalis illius vocatur in §. 1. *h.*

9. Solutionis veræ confessi *apocha* dicitur, *quitance*; acceptilatio vernacule est, *quytſcheldinge*. *l.* 19. §. 1. *d. Acceptil.*

10. Olim verbis conceptis per mutuam interrogationem fiebat & erat actus legitimus *l.* 77. *d.* R. I. solasque verborum obligationes tollebat *d.* §. 1. & *l.* 1. *h.* dein productus est ejus usus ad quoslibet contractus, at prius in stipulationem transfusos, quæ stipulatio Aquiliana dicebatur, de qua *vide* §. 2. *h. t. l.* 8. *inf. d. tit.*

11. Sed hodie pactum & acceptilatio nihil differunt, nisi clausulæ transactionum aliorumve pactorum, quibus partes se mutuo liberant, huc referantur, uti & hunc usum maxime apud veteres habuere ad instar stipulationum *l.* 2. *l.* 15. *d. Tranſaction. l.* 4. *d. condict. cauſ. dat. non ſec.*

12. III. Novatio est prioris debiti in aliam obliga-

tionem civilem vel naturalem transfusio atque translatio *l.* 1. *d. Novat.*

13. In *naturalem* transfertur, quando v. c. pupillus expromittit *d. l.* 1. *in f.* qui licet ipse non teneatur, vetus tamen obligatio tollitur §. 3. *h.* quoad formam alioqui novatio semper fit verbis & civili modo *d. l.* 1. §. 1. *l.* 2. *l.* 5. *& pass. d. tit.*

14. Partitio est in voluntariam & necessariam *l.* 11. §. 1. *d. Novat.* voluntaria, quæ consensu partium fit; estque vel delegatio, vel novatio in specie dicta.

15. Delegatio est novi debitoris vel creditoris in locum prioris substitutio, per quam prior obligatio tollitur *d.* §. 3. *in pr. l.* 1. *l.* 17. *d. Novat.* quasi acceptilatione, quæ & subjici potest *l.* 4. *D. de Condict. caus. dat.* ubi novus ille debitor vocatur Expromissor, & *passim* alibi.

16. Sine delegatione fit novatio, Quando, manentibus eodem debitore & creditore, species obligationis mutatur; ut si debitor ex emto se quasi ex mutuo debitorem, mediante scilicet stipulatione, cum fœnore constituat *d.* §. 3. *l.* 6. *C. Si cert. pet.*

17. Et quidem si totum genus obligationis mutetur, sine dubio fit novatio, sed eâdem obligationis specie repetitâ, novatio non fit, nisi quid novi, ut conditio, dies aut fidejussio addatur vel subtrahatur *d.* §. 3. (subtractio tamen quantitatis non facit novationem, ut monet *Theoph.*

18. Nisi aliunde constet, partes habuisse novandi animum; tunc enim & novatio fit, etsi nil novi accedat *l.* 2. *l.* 8. *in pr. l.* 28. *l.* 30. *d. Novat.* idque disertius sanxit Justinianus in *l. ult. C. eod. d.* §. 3. *h.*

19. Effecta novationis sunt, quod pignora, hypothecæ, fidejussores tolluntur, quod mora cursusque usuræ sistitur *l.* 8. *l.* 15. *l.* 18. *d. tit.* & exceptio doli amittitur in specie *l.* 12. *h. t.*

20. Necessaria novatio fit per Litis contestationem, quæ & delegatio & quasi contractus dicitur opponiturque

turque voluntariæ *l.* 11. §. 1. *& l.* 29. *d. tit.* attamen novatio per eam cum effectu non absolvitur, nisi sententia secuta *l.* 3. §. 11. *d. pecul. l.* 16. §. 6. *d. pignor. l. ult. C. de usur. rei jud.* nec aliter obligatio prior tollitur *l.* 2. *C. de jud.*

21. Antè sententiam Novatio appellatur, quia novas adfert qualitates, dum obligationes tempore & morte perituras facit perpetuas & in heredes transitorias *l.* 139. *pr. d. R. I.* Alibi plura.

22. IV. Contrario consensu tolluntur obligationes consensuales, non pacto de non petendo, quod tantum parit exceptionem §. 3. *I. de except. l.* 27. §. 2. *d. pact.* sed conventione, quæ fit contraria obligationi contractæ, ut, emimus, non emimus: locavimus, nolumus locatum; vide porrò §. *ult. h.*

23. Videlicet, Re non secuta; nam si res jam tradita præsumque solutum sit, palam est, solo consensu non posse resolvi contractum, sed omnia retro agenda esse *d.* §. *ult.*

24. Præter hosce quatuor, dantur adhuc alii totidem modi, quibus ipso jure tollitur obligatio, *compensatio*, *confusio*, *Rei interitus*, & *oblatio ac obsignatio pecuniæ*; de quibus hic ob connexionem agendum.

25. Compensatio est debiti & crediti inter se contributio *l.* 1. *d. compens.* statim enim ac meus creditor mihi vicissim pecuniam debere cœpit, obligatio mea tollitur ipso jure vel minuitur ad concurrentem summam *l.* 4. *D. & C. eod.* est locus hac de re proprius *in ff.*

26. II. Confusio est debiti & crediti in eandem personam concursus, qui accidit, cum debitor fit heres creditoris, vel hic illius *l.* 75. *d. solut.* quo casu pignora quoque & fidejussores liberari necessum est *l.* 5. *l.* 38. *in fin. de fidejuss.*

27. III. *Oblatio & consignatio* pecuniæ aut alterius rei mobilis debitæ habet effectum solutionis *l.* 9. *C. de solution.* ut etiam liberet à periculo & ab usuris *l.* 19. *C. de usur.*

28. Oblatio, inquam, totius debiti tempore locoque opportuno præcedere debet *l.* 39. *d. solut. d. l.* 9. Si pars modo consignata fuerit, usuræ totius adhuc debentur *l.* 41. §. 1. *usur.* & hinc supplendi textus, qui de sola oblatione loquuntur *l.* 72. *d. solut. l.* 73. *f. d. V. O. &c.*

29. Sola tamen oblatio purgat moram *l.* 71. §. *ult. l.* 91. §. 3. *V. O.* liberat à pœnâ conventionali *l.* 23. §. *pen. d. Recept. qui arbitr.* & solvit antichresin *l.* 11. *C. de usur.* Denique sola oblatio sufficit in re immobili, facta scil. in judicio *Fab. l.* 8. *C. t.* 30. *def.* 40. & 53.

30. IV. Rei interitus sine culpa & sine mora debitoris liberat ipsum *arg. l.* 23. *in fin. d. R. I. l.* 22. *l.* 49. *in pr.* & §. *f. d V. O.* imo & post moram, si res æque apud creditorem peritura fuisset *l.* 14. §. 1. *Depos. l.* 15. §. *f. d. R. V.* non Aliter *d. l.* 15. & *l.* 47. §. *ult. de legat.* 1.

31. Fures & violenti possessores nunquam, etsi maxime fatali casu, liberantur *l. ult. d. condict. furt. l.* 1. §. 34. *l. pen. d. vi.* & *vi arm.*

LIB.

LIB. IV.

TIT. I.

De Obligationibus, quæ ex Delicto nascuntur.

DElicta, quæ secundum obligationis fontem constituunt, & Crimina idem significant *l.* 131. *in f. d. V. S.* nisi quod crimen aliquando tristius accipitur *l.* 2. §. 8. *C. de vet. jur. enucl.*

2. Sunt delicta vel publica vel privata. Publica de quibus olim cuilibet accusandi jus competebat; *l.* 1. *d. publ. jud.* habebimus in *tit. ult.* Privata, de quibus hi tantum agunt ad quos commissum pertinet; cujusmodi quatuor in *Instit.* tractantur, Furtum, Rapina, damnum & injuria. Plura sunt in *ff.*

3. De privatis agitur aut criminaliter aut civiliter; criminaliter, cum ad publicam animadversionem proceditur; Civiliter, ad commodum pecuniarium actori applicandum *l. ult. d. privat. del. l. f. d. Furt l. ult. d. injur.*

4. Sed hodie Criminale agendi genus tam in privatis quam in publicis delictis Respublica sibi vindicat, idque per Procuratores generales administratur. Privatis vix est, ut permittatur.

5. In his titulis de quatuor illis enumeratis agitur, quod ad civilem attinet modum.

6. Furtum definitur; contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia vel ipsius rei alienæ, vel etiam usus ejus possessionisve, quòd lege naturali prohibitum est admittere §. 1. *h.*

7. *Contrectatio* dicitur, quia verbis, infitiando, vel scripturâ non fit, sed apprehensione *l.* 52. §. 19. *l.* 67. *in pr. d. Furt.* ne quidem si in conclave fur intraverit

l. 21. §. 7. *eod.* sed delétio scripturæ lucri causa, furtum est *l.* 41. §. 1. *ad L. Aquil.*

8. *Lucri gratia*; nam qui solam contumeliæ vel libidinis aut lasciviæ causam habet, non est fur. *l.* 55. *Mandat. l.* 39. *d. Furt.* sed libido cum lucrandi animo juncta *l.* 82. §. 2. vel inimicitia cum lucro non mutat qualitatem furti *l.* 50. §. 1. *d. Furt.* nec pœnitentia delet vitium *l.* 65. *d. tit.*

9. Ita nec fur est, qui vitæ, forte & pecudis servandæ causâ rem alienam contrectat, sed restituendo quod accepit, defungitur *cap.* 3. *x. de Furt.* Grot. 2. *de jur. bell. & p. c.* 2. *n.* 6.

10. Nec qui fruges in agro comedit ad satietatem, modo nihil auferat nec falcem immittat, lucrum facit. *Deuteron.* 23. *v. pen. & ult.*

11. *Rei ipsius*: modicæ, ut gallinæ columbæve furtum fieri diximus *supr. D. A. R. D. n.* 45. non tamen ut criminaliter puniendus sit; Præsidis est perpendere delinquentes publice plectendi, an ad jus ordinarium remittendi sint *l.* 56. §. 1. *d. fur. baln. l.* 1. §. 1. *& ult. d. Extraord. cognit.* eaque est notissima praxis, æquitate & vigore publicæ disciplinæ sic postulante.

12. Denique rerum immobilium non potest furtum committi §. 7. *vers. abolita enim est, I. de usucap l.* 38. *h. t.*

13. Hominis liberi furtum memoratur *in* §. 9. *h.* quatenus ex Lege Quiritium liberi, sicut servi, in dominio patrum erant *l.* 1. §. 2. *d. R. V.* sed agitur in duplum ejus quod interest patris *d.* §. 9. non liberi corporis, quod inæstimabile est *l.* 1. §. 5. *d. his qui effuder. vel dejec.*

14. *Vel usus ejus*; Furtum usus committitur ab eo, qui re depositâ vel commodatâ suo commodo aliter quam convenit utitur, nisi constet animum lucrifaciendi adesse §. 6. & 7. *h.*

15. *Possessionisve*; furtum possessionis facit debitor, surripiens rem à se oppignoratam creditori §. 10. *h.* ubi

furtum

furtum rei suæ dicitur; non tamen *qua suæ*, sed quatenus alii jus in ea re comparatum est.

16. Non est additum definitioni, *invito domino*; tamen hoc intelligitur; nam volenti non fit furtum §. 8. *in pr. h.* vel saltem agi non potest furti *l.* 46. §. *pen. de Furt.* licet eripiens putet invito fieri *dd. ll.* aliud est, si dominus consenserit, non ut furi indulgeret, sed ut eum deprehenderet; exemplum vide in *d* §. 8.

17. *Lege naturali prohibitum*; Quomodo? Furtum supponit dominium, & hoc demum jure gentium posteà introductum est *l.* 5. *de just. & jur.* ergo jure naturæ violatio ejus prohiberi nequit. *Resp.* lex naturæ est dictamen rationis, gubernans & ea quæ jure positivo introducta sunt. Grot. *l.* 1. *de j. b. & p. c.* 1. §. 10.

18. Divisio furti est in manifestum & nec manifestum. Prius, quando fur cum re furtiva deprehensus est, antequam tulisset eam, quo destinaverat. Nec manifestum contra intelligitur §. 3. *h.* an visio sufficiat, vide *l.* 7. §. 1. & 2. *d. Furt.*

19. Ad nec manifestum pertinet quoque species antiquæ, Furti concepti, oblati, prohibiti, non exhibiti, de quibus in § 4. *h.*

20. Concepti tenebatur is, apud quem res testibus præsentibus erat reperta. Prohibiti, qui inquisitionem pati noluerat. *Non exhibiti*, qui exhibitionem negaverat, puta cum sciret esse furtivas res, vernacule *heelers*; *d.* §. 4.

21. Hi merito ut fures tenentur, perinde ac hi, quorum ope consilio furtum est factum §. 11. *h.* & sufficit ope sola, vel consilio *l.* 50. §. *pen. l.* 52. §. 19. *in fin. de Furt.*

22. Furti *oblati* agebatur adversus eum, qui rem furtivam tibi obtulisset, ut apud te potius, quam apud ipsum deprehenderetur, licet ipse fur non esset *d.* §. 4. at hoc quidem factum injuriæ similius quam furto videtur.

23. Pœna furti manifesti *quadruplum*, nec manifesti *duplum* est, §. 5. *h.* capitis pœna, quæ hodiè quando-

que furibus infligitur, supra exemplum juris divini & Romani est, nec satis congruit æquitati, nisi alia crimina concurrant.

24. Criminalis accusatio fert quidem jure civili pœnam corporis, sed ad necem minime, nec quidem ad membri amputationem adsurgit. *Auth. sed novo jure C. de Furt. N.* 144. *c.* 13.

25. Datur actio furti iis quorum interest, licet domini non sint, ut conductoribus, creditoribus, commodatariis, quoniam hi tenentur dominis; verum supposito, negligentiam eorum interveniisse, quod in casu furti præsumitur, & supposito, eos solvendo esse, alioqui nec interest eorum §. 13. *& seqq. h. l.* 12. *in pr. d. Furt.*

26. Depositarius nunquam furti agit, quia non nisi de lata negligentia tenetur, & hæc pro dolo habetur *l.* 32. *Depos.* unde actio non oritur §. 17. *h.*

27. His igitur casibus soli domini agunt *d.* §. 13. quibus & in re commodata semper electio datur, furti contra furem, an commodati adversus commodatarium agere velint §. 16. *h.* Quid si dominus ipse rem commodatam surripat? vide *l.* 59. *d. Furt.*

28. Datur actio furti *contra fures*, duplici exceptione. I. qui non contrectavit, sed opem consilium dedit, fur quidem non est, attamen furti tenetur §. 11. *h.* II. Filiusfam. aut servus surripiens rem Patri dominove fur quidem est, attamen furti non tenetur, ob vinculum potestatis §. 12. *h. l.* 4. *d. Judic.* idem inter conjuges, ob reverentiam matrimonii *l.* 1. *& sequ. d. act. rer. amot.*

29. Furti actio in duplum est merè pœnalis. Res ipsa petitur rei vindicatione, vel condictione furtivâ §. *ult. h.* Utraque datur non ei, cujus interest, sed domino *l.* 23. *pr. d. R. V. l.* 1. *de condict. furt.*

30. Differunt tamen vindicatio & condictio. Illa de ipso corpore contra quemlibet rei possessorem datur *l.* 12. §. *ult. d. condict. fur.* Hæc de re ipsa, vel si

perit,

periit, ejus æstimatione, non adversus omnes furti reos, sed in contrectatorem *l.* 6. vel ejus heredes in solidum. *l.* 9. *eod.* de scrupulis dix. *in Prælect. ad. h. t. subfin.*

31. De concursu harum actionum & an pœna moribus adhuc obtineat, *infrà ad tit. de Action.* videbimus.

TIT. II.

De vi bon. raptorum.

RApina est *violenta* rei mobilis ablatio, lucrifaciendi animo facta. Voce *violenta* differt a furto; in aliis convenit, ut etiam sit de rebus mobilibus tantum *l.* 1. *C. Unde vi*; immobilia dicuntur invadi §. 1. *in fin. h. t.*

2. Actio de vi bonorum raptorum semper est in quadruplum; cui simplum inest, & post annum in simplum duntaxat *pr. h.* hoc ideo, quia prætoria pœnalis est actio *d. pr. & pr. I. de perpet. & temp. act. l.* 2. §. 19. *h. t.* non quod furti actione, quæ perpetua est, sit mitior; è contra in eo durior hæc est, quod indistincte sit in quadruplum, secus ac furti *d. pr. inf. h.* denique, raptor etiam *furti* tenetur *l.* 1. *d. vi bon. rapt.*

2. Si quis rapuerit non animo lucrifaciendi, sed quia putet suam rem esse vel sibi deberi, ac insuper non credit nefas, rem ita injusto detentori eripere, hic non est raptor §. 1. *h. t.*

4. Attamen delinquit, rem non legitimo tramite repetens, adeoque rem vel jus suum amittit, aut si res ejus non sit, cum altero tanto eam restituit *d.* §. 1. *l.* 13. *Quod met. C.* idem in invasione rei immobilis *l.* 7. *C. Unde vi.*

5. Datur hæc actio iisdem, quibus actio furti, scilicet, iis quorum interest, adeoque non tantum his, quorum in bonis, sed etiam quorum *ex bonis* res est; & *ex bonis* dicuntur ea, quorum utilitas, custodia vel

periculum ad nos pertinet, ut sunt res locatæ, pignoratæ, commodatæ, &c. §. *ult. h. l.* 2. §. 22. *eod.*

6. In heredem nullo modo datur, ne quidem simplo tenus (quia sufficit in eum finem condictio furtiva) nec quatenus est locupletior heres *d. l.* 2. §. *ult.*

TIT. III.

De lege Aquilia.

DAmnum injuria datum mulctatur lege Aquilia, cujus tria sunt capita. Primo cautum est, ut qui servum pecudemve alterius nullo jure occidit, teneatur, quanti res plurimi fuit, ci annum retro *pr.* & §. 1. *h.*

2. *Servum pecudemve.* Pecus intellige, quod gregatim pascitur *d.* §. 1. servus, ut est in commercio, pecudibus æquiparatur *l.* 2. §. 2. *h.* alioqui lege Cornelia cædes servi (ut hominis) perinde ac liberi hominis capite punitur §. 11. *h.* & quidem præter & post hanc actionem *l.* 23. §. 9. *h.* simul cum *Aquiliæ* judicio Cornelia non movetur; sic cape *l.* 4. *d. publ. jud.*

3. *Nullo jure*, seu dolo sive culpa, etiam leviſſima §. 3. 4. & *seqq. h.* nam quia hic de pecuniâ tantum agitur sine corporis aut infamiæ pœnâ, ratio vult, ut is potius luat, cujus aliqua est culpa, quam cujus res & nulla culpa est.

4. Exemplum culpæ habes in medico, qui ægrum non desperatum deseruit §. 6. si non dolus ille fuit, aut culpa lata; quod si male secuerit, aut pharmacum dederit, hæc plerumque levis est culpa §. 7. *l.* 8. *in pr. l.* 9. *pr. h. t.*

5. Exemplum leviſſimæ est, *in* §. 8. insidens equo aut vehiculo obvium pecus aut hominem oppressisti invitus; si alius quisquam potuisset equos regere fortius aut peritius, tu teneris §. 13. *h.*

6. Casus fortuitus immunis est & pro tali habetur, quoties culpa non potest argui. Ego pertinet miles cui jacu-

jaculis se exercens in loco solito, spectatorem transeuntemve læsit; extra locum solitum, aut non militi secus imputaretur §. 4.

7. Qui dejecit aliquid ponderosi in loco devio, si quem oppresserit, is extra culpam est; si juxta viam publicam, proclamare debuit, alioqui tenetur §. 5. *h.*

8. Pila novaculæ tonsoris inflictâ gulam hominis, qui radebatur, præcidisti; loco solito si fecesis, liber es; si insolito, teneris. Historia est in *l.* 11. *in pr. d. tit.*

9. Cædes corporis tuendi causa, seu vita seu pudicitia tentetur, jure fit, *l.* 3. *d. just. & jur. si periculum aliter evitari non potuit*; hoc enim requirit moderamen inculpatæ tutelæ §. 2. *inf. h. l.* 45. §. 4. *h.*

10. Ob vim à bonis avertendam jure pecus, non æquè homo occiditur, nisi corporis periculum sit conjunctum *l.* 9. *ad L. Corn. de Sicar.* quod in fure nocturno præsumitur, quem percutere licet *l.* 4. §. 1. *h.*

11. Diximus, *Quanti res plurimi fuit*; ut non modo pretium, sed & omne quod interest solvatur, quatenus certum, aut, ut Dd. loquuntur, radicatum est, exemplum pete ex §. 10. *h. l.* 21. §. *ult. cum ll. seqq. eod.*

12. *Cis annum retro.* Hoc quia præsens rei pretium egredi potest, ideo genus hujus actionis pœnale habetur; etsi, cum antea res non fuit plurimi, exitus judicii sit rei persecutorius §. 9. *h.*

13. Caput II. Legis Aquiliæ, ut dictum, obsolevit & ignoratur §. 10. *h.* nisi quod de servo corrupto aliqui haud inepte suspicantur in eo fuisse cautum. Videbimus hoc *ad ff.*

14. Tertium caput est de omni reliquo damno, quod præter cædem servi vel pecudis datum fuerit, 1. si homo vel pecus vulneretur, 2. si aliud animal, quod gregatim non pascitur, sit occisum. 3. quælibet aliæ res sint *ruptæ*, hoc est, fractæ, ustæ, scissæ, collisæ, effusæ, vel quoque modo peremptæ aut deteriores factæ *l.* 8. §. 1. *h. t.* 15. Huc

15. Huc inter alia pertinet; Sutor puero parum bene facienti quod demonſtraverat, forma calcei cervicem percuſſit, ut oculus puero perfunderetur, magiſter ex hoc capite tenetur; hiſtoriam vide in *l.* 5. §. *ult. h. t. cum ll. ſeqq. Plura in hanc rem ad ff. h. t.*

16. Quæ de culpa dolove aceo quod intereſt *quantive reſplurimi*, dicta ſunt in capite primo, heic pro repetitis habentur, niſi quod hic computatio retrorſum ad dies triginta, non ad annum redigitur §. 14. & 15. *h.*

17. Actio legis Aquiliæ eſt vel directa, vel utilis, vel in factum; Directa quæ oritur ex ipſis verbis Legis & heic habet uſum, quando quis corpore ſuo & in corpus damnum dedit, velut, cum quis pecudem ſuâ manu jugulavit §. *ult. h.*

18. Utilis, quæ à verbis legis recedens, ex mente ejus & interpretatione deducitur, ut eum in corpus damnum quidem eſt datum, at non corpore, velut ſi pecus incluſum inedia enectum ſit *d.* §. *ult.*

19. Alio ſenſu utilis actio eſt, quatenus de cæde vulneribusque liberi hominis hoc judicio agitur *l.* 13. *pr. h. t.* ratione damni pecuniarii læſo aut interfecti heredibus illati; corporis, membri, doloris, deformitatis nulla fit æſtimatio, quia non poteſt *l. ult. Si quadrup. paup.* Statutis tamen gentium damna liberi corporis pretio fere æſtimantur.

20. In factum actio dicitur, quæ longius adhuc recedit à lege, adeo ut nomen inde non habeat, ſed à facto, id eſt, narratione rei geſtæ, quæ tamen ad uſus hujus legis pertinet; uti cum nec corpore nec corpori nocitum, ſed occaſio præbita eſt damno; veluti, pecudem alienam emiſiſti è paſcuo, vel ſervum compedibus ſolviſti & periit *d.* §. *ult.* adde *l.* 11. §. 5. *h. t.*

TIT.

TIT. IV.
De Injuriis.

INjuriæ triplex significatio est. 1. significat πᾶσαν ἀνομίαν, quicquid contra leges fit. 2. Damnum culpâ datum, ἀδίκημα, ut *tit. præced.* 3. delictum hujus loci; *quod in contumeliam alterius dolo malo admittitur pr. h. t.*

2. *Contumeliam.* Injuria levicula à Senecâ *lib. Sapient. injur. non aff. c.* 1. *contumelia* vocatur & injuriæ opponitur: non ita à nostris *l.* 27 §. 2. *d. Pact. l.* 7. §. 7. *l.* 17 §. *in fin. h. t.*

3. *Alterius*: Quicunque sit ille; nam & furiosi & infantes injuriam patiuntur *l.* 3. §. 1. & 2. non tamen servi per se §. 3. *h. l.* 15. §. 44. *h. t.*

4. *Dolo malo*, non quovis, sed, cum animo injuriæ faciendæ; nam si astrologus aut illicitæ divinationis magister, ex arte licet nefaria consultus, aliquem furem esse, qui non erat dixerit, injuriarum non tenetur; aliter puniendus *l.* 15. §. 13. *h. t.*

5. Magistratus potestate sua abutentes in contumeliam aliorum non sunt liberi ab hac actione, sed tantum, si quid Reip. causa secundum bonos mores fecerint *l.* 32. & *Jequ. h. t.* adde *l.* 13. *d. Peric.* & *com. rei vend.*

6. Veritas convitii non removet dolum malum, si maligne exprobretur, nisi reip. utilitas aliæve boni moris circumstantiæ concurrant *l.* 18. *d. Injur.* Sand. *l.* 5. *tit.* 8. *def.* 7.

7. Ex jocis nemo tenetur, modo ne asperæ sint facetiæ, quarum acris memoria *Tacit.* 15. *Ann. c.* 68. neque è factis per jocum admissis actio est *l.* 3. §. 3. *h.* quod si dictum factumve quis ediderit injuriosum, quod ipse jocum interpretatur, id probare debet; præsumitur enim ut est *l.* 5. *in pr. C. h. t.*

8. Error in personâ excusat, si respectu ejus, quem se læ-

se lædere putabat contumelia non fuisset; aliter minime *l.* 3. §. 4. *h. t.*

9. Qui graviter irritatus dixit aut fecit injuriam, non punitur, eo quod remaledixit aut retorsit *l.* 25. *d. procurat. l.* 14. §. 6. *d. bon. libert.* peccare tamen non negamus in legem Christi, idque huic thesi non adversatur; secus ac putat D. Wissembach. *ad h. tit. th.* 4.

10. Committitur injuria 1. *Re*, ut verberibus aliove facto. 2. *Verbis*, sive convitio. 3. literis, seu libello famoso §. 1. *h. l.* 1. §. *l.* 5. §. 9. *l.* 15. *& pass. h. t.* curet quis fieri, an ipse fecerit, nihil refert. §. *pen. h.*

11. Injuriæ filiisfam. & matribusfam. illatæ, patribus quoque jure potestatis atque maritis illatæ censentur, ita ut ipsis suo quoque nomine detur actio §. 2. *h. l.* 1. §. *ult. l.* 41. *h.* etiam sponsis *l.* 15. §. 24. *h. t.*

12. Idque licet auctor injuriæ nescierit, cujus esset uxor aut filius *l.* 18. §. *f.* non tamen si viduam aut matremfam. esse crediderit §. *pen. d. l.* 18.

13. Per servos injuria non inferebatur, nisi factum valde atrox esset & apertè ad contumeliam domini respiceret §. 2. *& seqq. h. t.* quale videtur stuprum ancillæ illatum, quo nomine dominus habet injuriarum actionem *l.* 6. *pr. ad Leg. Jul. de Adult.* junctâ *l.* XXV. *h.*

14. Pœna realis injuriæ ex lege Cornelia & verbalis ex jure Prætorio hæc est; Qui passus est injuriam, æstimat eam & hanc æstimationem Judex moderatur, secundum merita circumstantiarum §. 7. & 8. *h.*

15. Hæ sumuntur ab ipso facto, à loco tam rei gestæ, quam vulneris & à persona: A facto, id est, a genere modove injuriæ, quarum sunt infinitæ varietates; advertet judex, ne ineptiis & vitiligiis tribunalia perstrepant. Huc etiam pertinet locus vulneris §. 9. *l.* 7. *in fin. & l.* 9. *fere per tot.*

16. II. A loco injuriæ commissæ, velut si in foro, in tem-

in templo vel domi cujuſque propriæ fiat *d.* §. 9. In ſecreto facta obtrectatio vel exprobratio non parit actionem *Tulden. ad h. t. C. n.* 9. convitium dicitur in conventu *l.* 16. §. 4. & ad infamandi cauſam pertinere debet *d. l.* 15. §. 4. *inf.* & §. 25.

17. *A perſonis* eſt præcipua diverſitas, tam eorum qui faciunt quam qui patiuntur, velut, ſi magiſtratus vel ſenator ab humili perſonâ contumeliam acceperit; ſi doctor, ſi Verbi divini miniſter, eorum matresfam. ſi fœminæ prægnantes &c. *d. §. ult. h. t. l.* 4. *C. eod.* Exod. 22. v. 28.

18. *Moribus* gentium, æſtimatio perſonæ læſæ obſolevit; mulctæ ſingulis fere injuriarum ſpeciebus impoſitæ ſam, quæ ob id genus circumſtantias augentur in duplum, triplum & ultra: quandoque Pœna quoque libelli famoſi jure civili capitalis eſt *l. un. C. d. libell. fam.* moribus extraordinaria eſt pro circumſtantiis perſonarum & rerum.

19. De omni injuria poteſt agi vel civiliter, vel criminaliter; §. 10. *h. De omni*, inquam, reali, perſonali, quocunque modo illata ſit; ne putes de levibus quoque & leviſſimis criminale judicium dictari; quo nihil indignius jure publico. vid. *quæ dix. tit. de Furt. n.* 6.

20. Altera civilis aut criminalis actio alteram excludit, cum utraque eidem detur *l.* 6. *in fin. l.* 7. §. 1. *l. f. h. t. l. un. C. Quand. civ. act. crim.* hoc moribus contra eſt *Sand. l.* 5. *tit.* 8. *def.* 11. Ratio, quia criminalis accuſatio nunc publici juris eſt, eodemque modo ſe habet, quo publica judicia, in quibus actio civilis & criminalis mutuo ſe non conſumunt *d. l. un. C.*

21. De verbali injuria ſpecialis hodie eſt actio ad palinodiam, ſive revocationem ſolenniter faciendam, quæ datur injuriam paſſo, ideoque civilis eſt, non criminalis.

22. Qui ſponte revocet ante litem conteſtatam, vel qui probat veritatem dicti, hac parte liberatur, Sand. *d. tit.*

d. tit. 8. *def.* 7. & 8. Imo parum abest, quin prorsus ab usu παλινῳδίας recesserit, exemplo juris Romani; quo ignorata fuit. Durum videtur, dicta temere objecta sic luere, nisi valde atroces sint circumstantiæ.

23. Tollitur omnis actio injuriæ, dissimulatione, remissione, anno, morte §. *ult. h.*

24. I. *Dissimulatione*, si quis contumeliam incontinenti ad animum non revocet, verum contemnat dissolute aut generosè; ille deinceps non potest μνησικακεῖν *male meminisse d.* §. *ult. l.* 11. §. 1. *h. t.*

25. II. *Remissione*, vel expressa, cum quis aperte ignoscit; vel tacitâ, per amicam conversationem animique signa reconciliati *d.* §. *ult.*

26. Pro tali non habetur communicatio cœnæ vel recitatio orationis dominicæ cum injuriæ autore facta; quia remissio inimicitiæ & vindictæ discrepat à persecutione honoris sui, vel multæ competentis. Sand. *l.* 5. *t.* 8. *D.* 12.

27. III. Anno tollitur injuria verbalis, utpote Prætoria *l.* 5. *C. d. Injur.* Realis est perpetua, quia ex lege Cornelia descendit, *pr. I. de perpet. & temp. act.* Sand. 3. 8. 3. & annus ille est utilis, currens à die scientiæ, ut semper in Edicto Prætoris; nisi convitium in os sit objectum, nec enim tum rei gestæ tempus atque scientiæ differunt *d. l.* 5.

28. IV. Morte alterutrius finitur injuria, quoniam mere personalis est, modo si ante litem contestatam evenerit, *secus ult. h. l.* 28. *de Injur.* §. 1. *in fin. I. de perpet. & temp. act.*

29. Sed de injuria defuncto post mortem illatâ heredibus actio datur, & quidem singulis in solidum *l.* 1. §. 4. & 6. *d. Injur.* Sand. *d. tit.* 8. *def.* 2.

30. Injuria in lite objecta non tribuit actionem, nisi illa ad finem perductâ, per *l.* 10. *C. h. t. arg. l.* 1. *C. de ord. cognit.* Sand. *d. tit.* 8. *def.* 10.

TIT.

TIT. V.

De Obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur.

QUasi delicta sunt Facta delictis adfinia, cujusmodi quatuor in hoc tit. recensentur.

2. I. Si judex litem suam fecerit, *imperite* judicando mulctatur pro arbitrio judicis majoris *pr. h. Dolo* si id fecerit, vere delinquit teneturque in veram litis æstimationem *l.* 15. §. 1. *d. Jud.* cum infamia *l. ult. C. de pœn. jud. qui male judic.*

3. At medici imperitia verum delictum est §. 7. *Tit. præced.* quoniam ejus privata & voluntaria professio est, ad quam ex arte præstandam perfecte tenetur & se devinxit, iudicandi munus est publicum & invitis imponi potest *l.* 1. *d. vac. & excus.*

4. II. Habitator seu dominus sive conductor, è cujus cœnaculo aliquid dejectum vel effusum est, quod transeuntibus nocuit, si non constet, quis fecerit (is enim obligaretur) quasi delinquit, eo quod ejusmodi sordidis hominibus usus sit §. 1. *h. l.* 6. §. *pen. d. his qui effud. vel dejec.*

5. Pœna est in duplum damni dati, vel, si liber homo sit interfectus, id 50. aureos; si læsus, impensæ & id quod interest præstantur §. 1. *h. l.* 1. *pr.* & §. 1. *eod.*

6. Contra plures habitatores actio datur in solidum, ut uno tamen solvente, reliqui liberentur, quod secus est in veris delictis *l.* 11. §. *ult. d. Leg. Aquil.* Qui vero seorsim habitant, separatim quoque tenentur *l.* 5. *in pr.*

7. III. Qui aliquid positum vel suspensum habuit in publico loco, quod transeuntibus nocere queat, tenetur in decem aureos, actione populari, quæ datur cuilibet è populo *d.* §. 1. *l.* 5. §. 6. & *ult. d. tit.* hæc res hodiè Magistratibus curæ est, nec manet usus hujus actionis

8. IV. Nautæ, caupones, Stabularii, quorum famuli res viatorum & hospitum, quas recepere, furripuerunt, tenentur actione in factum in duplum (ipsi famuli sunt veri fures) *l. 7. in pr. & §. 1. Naut. caup. stabul.*

9. Si res ab aliis, quorum opera non utuntur, hospitibus & viatoribus surreptæ sint, in simplum tenentur actione de recepto *l. 1. §. 6. & seqq. d. tit.* quia tum nihil nautis &c. imputari potest, nec enim repellere possunt iter agentes *l. un. §. ult. Furt. adverſ. naut. caup.* civiliter scil. & ordinario; nam si proprius advertere velint animum, est in eorum arbitrio, quem velint recipere, quem nolint. *l. 1. §. 2. Naut. caup. stab.*

10. Cessant hæ actiones, si nautæ &c. prædixerint, ut quisque sibi vigilaret suaque custodiret *l. 7. pr. eod.* non cessant eorum respectu, qui gratis navigarunt *l. 6. pr. h.*

TIT. VI.

De Actionibus.

SEquitur tertium Juris objectum; Actio, quæ est, *Jus persequendi in judicio, quod sibi debetur pr. h.* verbo *debendi* late accepto, ut etiam ea quæ in dominio sunt, quibus alioqui opponitur, comprehendat *l. 178. §. ult. d. V. S.*

2. Jus significat hic remedium sive exercitium juris; nam actio, ut jus quæsitum considerata, pertinet ad res & secundum juris objectum *Tit. I. de reb. corpor. & incorp.*

3. Actio est duplex; In rem vel in personam. In rem, quæ datur ei, qui habet *jus in Re*, adversus quemvis possessorem, ad rem vindicandam vel jus adserendum. In personam, quæ datur adversus eum qui nobis obligatus est ad dandum vel ad faciendum §. 1. *h.*

4. Quid sit jus in Re & quæ species ejus, diximus in

in *tit. de A. R. D. n.* 52. & *seqq.* Utilis est hæc notio alioqui non Romana, ut dari possit æquabile principium actionis in Rem, quæ maximè quidem oritur ex dominio *in fin.* §. 1. *h. t.*

5. Sed datur etiam II. ex jure dominio proximo, velut emphyteusi & superficie, unde est *utilis in Rem actio. vid. tit. d. A. R. D. n.* 26. & 34. *l.* 1. §. 1. *Si ag. vectig. pet.* III. ex jure hereditario, *hereditatis petitio.* IV. ex servitute *Confessoria.* V. ex pignore *hypothecaria*, quanquam de tribus prioribus in *hoc tit.* non agitur.

6. De possessione vel ejus jure nulla in rem actio datur, nec ideo jus in Re est, ut videbimus in *tit. de Interd.* neque ex jure dotis, quâ dos universa petatur; quia nonnisi actio personalis de ea competit §. 29. *h. t.* In rem actio quæ ex jure dotis oritur est Rei vindicatio singularis, de rebus singulis, quæ sunt in dominio dotali *l.* 9. *C. de jur. dot.* plura ad *tit. ff. de jur. dot. n.* 9.

7. Porro in rem actiones dicuntur *vindicationes* & contendunt ad restituendum, nunquam ad dandum; quia dare est dominium transferre & qui in rem agit, jam est dominus §. 14. & 15. *h.*

8. In personam actiones vocantur *condictiones* & contendunt dari vel fieri oportere; Ideoque dominus nunquam condicit rem suam, exceptâ furtiva *d.* §. 14. & 15.

9. Strictius tamen vindicationes dicuntur, actiones in rem singulares, ex vero dominio; de quibus in *tit. ff. de R. V.* condictiones ejusmodi in personam actiones, quæ alio nomine carent, de quibus in *lib.* 12. *tit.* 4. & *seqq. f.*

10. In rem actiones dividuntur in civiles vel Prætorias. Civiles sunt omnes, quæ ex illis quinque juribus in re nascuntur, excepto pignore, cujus actio in rem, est prætoria §. 6.

11. Heic è civilibus una ponitur *confessoria*, quâ

quis contendit sibi vel prædio suo competere servitutem. Datur & actio personalis, ex stipulatu, vel è testamento, quando servitus tantum promissa vel legata est; confessoria intelligitur, cum plane acquisita est & impeditur *l.* 2. *Si servit. vind.*

12. Confessoriæ actioni opponitur negatoria, quâ dominus adserit prædii sui libertatem & negat alii competere servitutem *d.* §. 2. & *l.* 2. hanc non oriri è servitute, cum sit ei contraria, res ipsa loquitur.

13. Exempla confessoriæ, si quis agat, sibi esse jus eundi, agendi, vehendi per fundum alienum, utendi fruendi rebus alienis *d. l.* 2. & *tit. si usufr. pet.* negatoria iisdem exemplis constat, verbis oppositis & negantibus, *ut in textu d.* §. 2.

14. Hoc quoque Cæsar ut proprium in actione negatoria observat, quod *hoc uno casu* qui possidet rem corporalem, agat in rem; sic enim malo verba *d.* §. 2. *in fin.* accipere cum Theophilo, quam fatiscere quærendo omni juris oceano, ubi sit unus ille casus, aut ostendere acumen in refutandis aliorum casibus putativis.

15. Actiones in rem prætoriæ quæ dicuntur, proprie non sunt in Rem, sed magis in rem scriptæ; quæ sunt actiones origine sua personales, sed in hoc imitantes naturam actionum in rem, quod dantur adversus quemlibet possessorem; quales sunt hæ Prætoriæ, quæ non oriuntur ex jure aliquo in Re constituto, attamen contra quemvis possessorem competunt: sola hypothecaria verè in rem est: non Publiciana, Rescissoria, Pauliana, de quibus hic ordine agitur.

16. I. Publiciana datur ei, qui rem à non domino, bona fide justoque titulo comparatam amisit ante usucapionem eamque repetit à tertio possessore, perinde ac si usucepisset §. 4. *b.*

17. Domino rei non convenit hæc actio quà tali *l.* 1. §. 1. *d. public. act.* si vero probationi dominii diffidens tantum velit urgere possessionem bonamque fidem, nulla ratio præcludit ei hanc viam.

18. Con-

18. Contra dominum hæc actio nullo modo datur *l. pen. eod.* ne quidem adversus alium, qui cum titulo possidet *l.* 9. §. 4. *eod.* cum enim tu qui Publicianam moves, nihilo plus juris habeas, potior est causa possidentis; est aliud, si rem ab eodem auctore nacti estis, nam tunc melior is est, cui res priori tradita fuit *d. l.* 9. §. 4. non est eadem species in *l.* 31. §. *fin. d. Action. empt.*

19. II. Rescissoria datur his, qui per absentiam aliorum vel suam rem vel jus suum amiserunt, ut rescissâ adversarii usucapione, res ipsis restituatur §. 5. *h.*

20. Est duplex; una competit absentibus Reip: causâ contra præsentes, qui absentium res usuceperunt, aut juribus eorum præscripserunt *d.* §. 5. *l.* 1. §. 1. π. *Ex. quib. caus. maj.* Reip. causa extenditur ad quamlibet justam, puta, studiorum *l.* 28. forte & mercaturæ, si licet per *l.* 36. *eod.*

21. Altera datur præsentibus contra absentes quoslibet indefensos, qui res præsentium interim acquisiverunt, dum præsentes cum illis agere non poterant *d. L.* 1. §. 1.

22. III. Est Actio Pauliana, per quam creditores personales, à quolibet possessore repetunt ea, quæ à debitoribus in fraudem ipsorum sunt alienata §. 6. *h.*

23. Datur creditoribus, quando in possessionem bonorum debitoris sunt missi, de alienatione factâ ante vel post missionem *d.* §. 6. *l.* 12. §. 1. *d. his quæ in fraud. cred.* quamvis post eam habeant quoque hypothecariam ex pignore prætorio, quod per missionem adepti sunt *l.* 1. & 2. *C. de præt. pign.*

24. Datur etiam contra fraudis ignaros, si rem ex causâ lucrativâ, secus minime; sint nacti *l.* 6. §. 11. *d. his quæ in fraud. cred.*

25. Etiam adversus creditores, qui vel post missionem vel antea per collusionem, suum acceperunt *l.* 6. §. 7. *& seqq.* non si aliter sibi in tempore vigilaverint *l.* 25. *in fin.*

26. IV. Sequitur actio Serviana vera & quasi talis; per veram dominus fundi persequitur res coloni sui pro mercede specialiter pignori obligatas; per quasi Servianam, quæ est *hypothecaria*, quilibet creditores persequuntur res sibi pignoratas, petuntque uti possessor iis cedat, vel debitum solvat. Utraque adversus quemlibet possessorem datur §. 7. *h.*

27. Et hæc actio datur tam de pignore propriè dicto, cujus possessio transit in creditorem, quam de hypotheca, cujus possessio manet apud debitorem *d.* §. 7. plura de his ad ff.

28. Sequuntur actiones prætoriæ personales tam rei persecutoriæ, quam pœnales. Rei persecutoriæ sunt, constitutæ pecuniæ, ex jurejurando & de peculio.

29. I. Est constitutæ pecuniæ, quæ datur adversus eum, qui nudo pacto recepit, se soluturum esse, quod ipse vel alius debet §. 9. *h.* nam quia se refert ad aliud debitum, idcirco Prætor huic pacto vim agendi tribuit, cum alioqui ex nudo pacto non detur actio *l.* 7. *pr. & §. 1. d pact.*

30. Quatenus pro alio fit, nostris moribus nihil differt à fidejussione, cum & hæc jam per pactum fieri possit; pro nobis ipsis frequentissimi usus est & apud acta fere perficitur, habetque tum paratam executionem, ut *omni die usu venit.*

31. Actio in factum ex jurejurando datur ei, qui, deferente adversario, juravit sibi deberi §. 11. *h.* de beatur nec ne, jam non quæritur; sufficit juratum esse *d.* §. 11. de jurejurando in ff. agitur.

32. Et actionem de peculio, de quâ in §. 10. habebimus *tit. sequ.*

33. Actiones prætorias pœnales quasdam habuimus pridem; furti manifesti, bonorum raptorum, injuriæ verbalis, de dejectis & effusis, de positis & suspensis, nautæ caupones &c. adduntur exempla quædam in §. 12. quæ in ff. explicantur.

34. Sunt & præjudiciales actiones, quibus quæritur

tur de statu hominis, sitne aliquis liber, civis aut filiusfam. nec ne; plures enim quam hæ tres species non dantur. Cæsar eas refert ad in rem actiones §. 13. *b.* etsi proprie nec in rem nec in personam sint. *Theoph. hic.*

35. Dicuntur autem præjudiciales, quia præjudicium faciunt aliis gravioribus causis: nam hoc decisio, filius sit nec ne, sponte sequitur, esse heredem patris aut non esse.

36. Hodiè rarò fit, ut hæc quæsita dividantur à præcipuis quæstionibus; plerumque ut rationes decidendi in eodem judicio ventilantur.

37. Sequitur alia & II. actionum divisio; Rei persecutoriæ, pœnales, mixtæ §. 16. *b.*

38. Rei persecutoriæ sunt, quibus persequimur id quod ex patrimonio nobis abest *l.* 35. *d. O. & A.* vel, si mavis id quod *interest nostra*, voce largius sumpta, ut non modo lucrum & damnum circa res, sed etiam res ipsas comprehendat, adeoque idem quod *in d. l.* 35.

39. Stricte alioqui, id quod interest nihil aliud est, quam ratio damni illati & lucri cessantis *d. l.* 35. cui adde *l.* 78. *d. R. J.* deque eo sunt hæ regulæ, I. in casibus certis, ubi de speciebus vel quantitatibus definitis agitur, non potest excedere duplum *l. un. C. de sent. quæ pro eo quod inter. prof.*

40. II. Lucrum oportet circa rem ipsam consistat in eaque sit radicatum, ut DD. loquuntur, non foris adveniens aut fortuitum *l.* 21. §. 3. *d. action. empt.* detrimenta tamen omnia præstantur, si dolus intervenerit, aliter, quanti minoris *l.* 13. *pr. d. t. de act. empt. l.* 19. §. 1. *locati. l.* 30. *pr. Eod.*

41. III. Lucri & damni ratio ex judicio communi, non affectione peculiari initur; nam hæc in phantasia hominum consistit, cujus æstimatio nulla est *l.* 33. *d. L. Aquil.*

42. Sunt autem rei persecutoriæ actiones cunctæ in

rem & ex contractibus omnes; excipe depositum miserabile §. 17. *h.* quædam etiam ex delicto, quas vide in *l. 4. in fin. cum l. sequ. de alien. jud mut. c. l. 3. §. pen. Si mens. falsf. mod. l 9. §. 1. Quod. falsf. tut. auct. l. 1. §. ult. & l. 3. in pr. d. eo per quem fact. erit. l, 21. §. pen. Rer. Amot.* Rubricæ indicant nomina actionum.

43. Definitio superior indicat, qualitatem rei persecutoriæ aut pœnalis actionis, respectu actoris æstimari, non à parte rei; tametsi, cum reus id quod interest solvit, ubi nihil ad eum pervenit, ut sæpe fit, hæc suo modo pœna vocari queat *arg. l.* 1. §. 4 *juncta l.* 3. *in pr. d eo per quem fact. er.* noli tamen ideo partiri actiones rei persecutorias, & pœnales, quod vel sint respectu actoris, vel à parte rei; nihil opus est, nec juris ratio fert.

44. Actiones pœnales sunt, quibus persequimur pœnam legibus constitutam (pœna conventionalis fungitur vice ejus quod interest §. *ult. d. V. O.*) ut est, furti, injuriarum, de positis ac suspensis &c. §. 18. *h.*

45 Mixtæ sunt, quæ partim pœnam legalem, partim id quod interest persequuntur, quales sunt de vi bonorum raptorum, de turba legis *Aquiliæ*. de dejectis & effusis, Nautæ, caupones &c. §. 19. *h.*

46. Alio sensu mixtæ actiones vocantur in rem partim & in personam, ut sunt judicia divisoria familiæ erciscundæ, communi dividundo, finium regundorum §. 20. *h.* denique hereditatis petitio *l.* 7. *C. de Hered. petit.*

47. Sunt mixtæ non ratione originis, quasi partim ex dominio vel jure in Re, partim ex obligatione dentur; nam talis mixtura non habet facultatem: sed ratione subjectæ materiæ, quia partim de rebus, partim de præstationibus personalibus, ut sunt lucra & damna à personis commissa, exercentur *l.* 25. §. 18. *d. hered. pet. l.* 22. §. 4 *famil. erciſc.* adde *l.* 1. *ff. Fin. Regund. dix. & 4. Digress. cap.* 6.

48. Ter-

48. *Tertia* divisio actionum; in simplum, in duplum, in triplum, & in quadruplum §. 21.

49. In simplum sunt omnes rei persecutoriæ; in duplum sunt, vel ab initio tales, vel fiunt ex postfacto; prioris generis, furti nec manifesti, de dejectis & effusis, nautæ caupones, &c. posterioris, tres illæ, quarum lis inficiando crescit in duplum § 23. & 26. *v.* habuimus ad *tit. de obl. è quas. contr. sub fin.*

50. In triplum est una actio, qua tenetur, qui plus sciens petiit in libello, quam ei debetur, ut majores sportulæ exigerentur, §. 23. *b.* (Sportulæ sunt salaria judicii.)

51. In quadruplum, Furti manifesti, bonorum raptorum, & condictitia, quâ tenentur executores litium, qui justo majores sportulas exegerunt &c. §. 25. *b.*

52. Est & actio quod metus causâ in quadruplum, non primitus, sed ob contumaciam §. 27 latius ad. ff.

53. Sed tota hæc divisio actionum in foris hodiernis cessat, nisi quatenus nominatim Statuta de duplo, triplo, vel quadruplo loquantur.

54. *Quarta* divisio, actiones sunt vel bonæ fidei, vel stricti juris, vel arbitrariæ. §. 28. *b.*

55. Bonæ fidei dicuntur, In quibus judex habet liberam potestatem æstimandi, quantum alter alteri ex bono & æquo, etiam ultra quam dictum est, dare præstare debeat, fere ut Donel. *ad d.* §. 28.

56. Stricti juris sunt, in quibus judex non potest egredi terminos conventionis à partibus expressos, nec, ut olim, formulam à Prætore præscriptam. Senec. 1. *de benef. c.* 7. *dix. in Prælect. b.*

57. Enimvero in utrisque requiritur bona fides, in omni contractu, inquam *l.* 9. §. 1. *in f. mandat.* etiam in strictis §. 23. I. *de Inutil. stipulat.* sed opposita species habet hoc nomen per excellentiam; quia plures & pleniores ibi sunt effectus bonæ fidei, quam in strictis: ne putes bonam fidem truncatam in jure tradi, cum Amesio *l.* 5. *de Consc. c.* 42. *n.* 22.

58. Nota simul & causa bonæ fidei actionum à strictis diversarum est hæc; Actiones reciprocæ sunt bonæ fidei, quæ ab una parte valent sunt stricti juris; etenim contractus, qui mutuas habent præstationes, fidem mutuam fortius obstringunt, quam μονόπλευροι, *unius lateris.*

59. Patet hoc inductione; Sunt Bonæ fidei omnes consensuales contractus; omnes, qui re contrahuntur, excepto mutuo; omnes, quasi contractus, exceptâ condictione indebiti *d.* §. 28.

60. Actio è testamento mixti juris est, nam præcipuos effectus bonæ fidei possidet, velut in usuris & fructibus 4. 87. §. 1. *d. legat.* 2. numero tamen strictarum habetur *l.* 3. *d. eo quod cert. loc. junctâ l.* 7. *eod.*

61. Præscriptis verbis duæ sunt actiones bonæ fidei, de permutatione & æstimatoria *d.* §. 28. reliquæ stricti juris habentur *arg. d.* §. nam hæc regula constans est; quæ actiones in hoc §. & *sequ.* non reperiuntur, eæ stricti juris habentur. *Cujac.* 11. *obs.* 38.

62. In *sequ.* §. 29. est actio ex stipulatu de dote, quæ datur mulieri, soluto matrimonio, ad repetendam dotem, & est bonæ fidei, licet actio ex stipulatu alioqui sit exemplum stricti juris; quoniam hæc est surrogata in locum rei uxoriæ actionis, quæ olim erat bonæ fidei *l.* 21. *in f. Sol. Matrim.* reliqua hujus actionis singularia sunt alterius loci.

63. Discrepantia actionum bonæ fidei & juris stricti efficaciter in effectu compensationis patet. Quid ea sit, dictum in *tit. Quib. mod. toll. obl. sub fin.* olim in solis b. f. contractibus obtinebat, non in strictis, quia venit ex alio principio, nec inter patres de ea convenit; ob æquitatem dein recepta est in strictis, per exceptionem doli mali §. 30. *h.* donec in utrisque locus ei factus est ipso jure *l.* 4. *D.* & *C. d. Compens.* Tractabitur hæc res in *d. tit. ff.* Plures differentias vide in *Prælect. hic* & occurrent nobis *alibi.*

64. Se-

64. Sequitur tertia ſpecies, Arbitrariæ actiones, quæ ita dicuntur ab arbitrio ſive juſſu judicis, jubentis rem petitam reſtitui, cui ſi reus pareat, bene eſt; ſin minus, gravius condemnatur §. 30. *h. l.* 14. §. 3. *in fin. cum.* §. *ſequ. Quod met. cauſ.*

65. Hujus naturæ actiones recenſentur in §. 31. & ſummatim ſunt omnes in rem actiones, (excepta hereditatis petitione, quæ eſt b. fidei §. 28. *in fin.*) item de dolo, quod metus causâ & ad exhibendum. Actiones noxales & de eo quod certo loco peculiari ſenſu arbitrariæ vocantur; de noxalibus *infra tit. de nox. act.* de altera *in tit. De eo quod certo loc.* agetur.

66. *Hodie* talis juſſus ſive arbitrium judicis præcedens non interponitur, ſed recta fit condemnatio ad reſtituendum, quam ſequitur executio. Res eo redit; ut nunc arbitrariæ actiones à ſtrictis nihil differant.

67. Quinta & ultima diviſio; actiones aliæ ſolidum perſequuntur, aliæ minus quam ſolidum §. 30. *h.* qui has novit, illas per ſe intelligit.

68. In minus quam ſolidum ſunt actio de peculio & de dote, nam & hæc impenſis minuitur; de quibus in ff. & beneficio, quod vulgo *competentiæ*, neſcio unde, vocant, ne maritus ultra quam facere poſſit, condemnetur §. 35. hoc eſt, ne ad *egeſtatem redigatur l.* 19. *in f. de rejud.* quod datur etiam parenti, patrono, ſocio, donatori & ei qui bonis ceſſit §. 38. & 40. *h.*

69. Sententiam §. 33. 34. & 35. non ponimus heic loci, quia pertinent ad *tit. ff. de Edendo*, ibi occurrent. Summam rei tamen auditoribus enarrabimus.

70. Sunt aliæ quædam differentiæ actionum, quas Cæſar omiſit, quarum prima eſt, quod ſint directæ vel contrariæ. II. eſt in directas & utiles, quarum exempla jam pridem habuimus.

71. De priori diviſione eſt hæc regula; In quibus contractibus par utriuſque onus & præſtatio eſt, ibi actio utrinque eſt directa, ut in emtione, locatione, ſocietate, finium regundorum, communi dividundo, &c.

72. Ubi

72. Ubi dispar onus & præstatio est, ibi is qui magis est obligatus convenitur directè, qui minus, contrariâ; sicut fit in commodato, deposito, pignore, mandato, negotiorum gestione &c.

73. Ex. gr. venditoris & locatoris ad rem, emptoris ad pretium & conductoris ad mercedem obligationes æquipollent, sicut res & pretium, usus rei & merces.

74. Contrà, qui commodatum, qui mandatum, negocium gerendum suscepit, tenetur ad exactissimam curam, alter solummodo ad impensas reddendas. In ipso deposito, licet ibi tantum sit lata culpa, tamen qui tenetur ad rem totam, plus oneris sustinet, quam qui de impensis forte factis an non, ac ita in cœteris.

75. Alio sensu actiones directæ opponuntur utilibus *l.* 37. *in pr. d. O. & A. l.* 47. *d. negot. gest. l.* 27. *in fin. d. Procur. & passim.* In summa, directæ sunt, quæ ex verbis legum aut propria negotii naturâ fluunt; utiles, quæ per interpretationem utilitatis causâ, ad affines casus producuntur. Exempla *in dd. ll.* & toto jure creberrima sunt; habuimus & unum *in* §. *ult. de L. Aquil.* adde aliud è *l.* 3. *d. Condict. indeb. l.* 14. §. 1. *d. Serv. cor.*

76. Denique, actiones sunt vel petitoriæ, vel possessoriæ.

77. Petitoriæ dantur ex jure in re vel ad rem, quod dicitur, aguntque vel ex dominio ad restitutionem, vel ad dominium & dationem §. 14. & 15. *h.*

78. Possessoriæ sunt, quibus agitur ex jure possessionis, ad detentionem rei adipiscendam, retinendam, vel recuperandam. Videbimus in *tit. d. Interdictis.*

79. Sæpe fit, *ut plures actiones de eadem re, ex* eadem causa competant, eidem personæ; qui *concursus* est vel electivus, vel cumulativus.

80. Electivus, quando una actione electâ, altera consumitur; cumulativus, quando una post alteram moveri potest.

81. Regula summa hæc est, ne idem bis exigatur *l.* 57. *d. R. J.*

82. A-

82. Alia hinc orta est hæc; altera actio alteram consumit, nisi forte in altera sit, quod non fuit in priori; nam hactenus cumulantur. *l.* 41. §. 1. *d. O. & A.*

83. Hinc pœnales & rei persecutoriæ cumulantur, quia tendunt in diversa, velut actio furti & condictio furtiva *l.* 7. §. 1. *d. Condict. furt.*

84. Hinc duæ rei persecutoriæ se mutuo consumunt, ut condictio furtiva & rei vindicatio, sub eadem limitatione §. *ult. supr. de obligat. ex del. l.* 28. *fin. d. Act. Empt.* adde *l.* 38. § 1. *ff. Prosoc. &c.*

85. Duæ pœnales similiter *l.* 53. *d. O. & A.* nam pœna delicti æstimatio, nec æquum est, *unum delictum variis æstimationibus coerceri*, ait *l.* 41. *in fin. de Pœn.*

86. Idque, licet pœnæ toto genere diversæ sint; nec enim qui privato judicio pœnam dupli vel quadrupli exegit, idem criminaliter experiri potest; etenim alterutra pœna totius delicti æstimatio est *l.* 56. §. *ult. d. Furt. juncta l. ult. eod. & l. f. d. privat. del.*

87. Respectu pœnæ pecuniariæ, locum habet dicta limitatio, *nisi plus sit in altera*; exemplum habes in concursu furti actionis & bonorum raptorum *l.* 1. *d. vi bon. rapt.*

88. Sub eadem restrictione capies regulam in *l.* 130. *d. R. I. & §. ult. Si quadr. paup.* Nunquam *actiones de eadem re concurrentes alia aliam consumit*; hoc est, nemo prohibetur alia actione petere, quod aliâ non est petitum; *præsertim pœnales*, ait textus, quia cumulatio in illis frequentior est.

89. Credo, si hæc pauca distincte applices variis textibus, te cunctos fere nodos solvere posse, quorum specimen vide in *disp.* 48. *Wissenb. ad Inst.*

90. Modo separes ab hac Thesi, quæ male huic quæsito miscentur; I. An plures actiones uno libello cumulare liceat. II. An una actione rejectâ, liceat aliam instituere. Quæ res *tit. ff. de Edend. & de Except. rei judic.* pertinent.

91. III.

91. III. An non è diversis factis circa idem negotium plures oriantur actiones, ut si equum primo furatus, dein occideris, quod dubio caret *l. 2. in pr. & §. 1. d. priv. del. junct. l. 27. π. ad L. Aquil.*

92. IV. An diversis personis ex eodem facto diversæ actiones dentur, quod perinde certum *l. 1. §. ult. d. Injur.* hinc publica judicia non consumuntur à privatis, quæ super delictis dantur *l. un C. Quand. civ. act. crimin.*

TIT. VII.

Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.

EX Contractu alterius alium non teneri, novimus ex §. 4. & 19. *supr. de Inutil. stipul.* excepto, ut ibidem, patre dominoque, & certis casibus aliis, ob utilitatem commercii, de quibus in *hoc tit.* dantur actiones Quod jussu, Exercitoria, Institoria, Tributoria, de peculio & de in rem verso.

2. I. Quod jussu datur è contractu servi aut filiifam. adversus patrem vel dominum, quorum jussu contractus est initus, in solidum §. 1. *h.*

3. Jussus à mandato differt, nam continet necessitatem parendi, cum hoc sit liberum; mandare est manum dare, jubere est jus habere, idque alias usum habet; sed heic etiam is qui mandat, & qui ratum habet, jussisse dicitur *l. 1. π. Quod jussu.*

4. II. *Exercitoria*, datur contra exercitorem navis è contractu magistri, de negotiis, quibus erat præpositus, §. 2.

5. III. Institoria est è contractu institoris, adversus eos, qui præposuerunt eum negotiationi *d. §. 2.*

6. Institor autem est, qui negotiationi in terra, magister, qui in nave præpositus est, Exercitor, ad quem quotidianus navis reditus pertinet *d. §. 2. l. 1. §. 1. & 15. d. Exercit. act.*

7. Con-

7. Constant hæ actiones iisdem regulis, quæ vel sunt de actionibus ipsis, vel de personis. De actionibus ipsis tres sunt.

8. I. Quod utraque datur adversus plures præponentes in solidum (quod hodiè non servatur) *l.* 1. §. *ult.* & *l. sequ. d. Exerc. act.* domini per se exercentes pro partibus suis tenentur *l.* 4. *d. tit.*

9. II. Neutra datur præponentibus adversus eos, qui cum præpositis contraxerunt, nisi cum præpositi solvendo non sunt *l.* 1. *in fin. junct. l.* 2. *d. Inst. act.* cujus l. ratio convenit utrique actioni.

10 III. Præpositi ex suo facto immediate quoque conveniri possunt, non tamen finito officio, si, ut præpositi, contraxerunt *l. ult. d. Instit. act. arg. l.* 19. *in pr. d. reb. cred.* Sand. *l.* 3. *t.* 7. *d.* 7.

11. De personis sunt etiam tres regulæ; I. Utrobique non modo servi & filiifam. sed & sui juris homines præponi possunt & per eos præponentes obligantur *d.* §. 2. *l.* 1. §. 4. *de Exerc. act.*

12. II. Mas an femina, liber an servus, pubes sit an impubes qui præponitur, nihil refert. omnes obligant præponentes *l.* 7. §. 1. & §. *ult. cum l. sequ. d. Instit. act.*

13. III. At pupillus præpositor sine tutore non tenetur, ut nec quisquam alius obligationis incapax, nisi qua locupletior *l.* 9. *cum l. sequ.* & nisi præponenti successerit *l.* 17. §. 2. *eod.*

14. *Quarta* Actio Tributoria, datur creditoribus servi & filiifam. adversus patrem vel dominum, quibus scientibus negotiati sunt, ad corrigendam divisionem iniquam mercium peculiarium à patre dominove factam §. 3. *h.*

15. Non est hæc actio ad petendam divisionem ipsam, sed de corrigendum dolum in dividendo commissum *l.* 7. §. 2. *l. ult. d. trib. act.* etsi non de dolo, id est, ad pœnam doli, sed de rei persecutionem sit *l.* 8. *eod.*

16. V. Actio de peculio datur adversus patrem vel dominum è contractu servi aut filiifam. ut solvatur iis

de

de peculio, quatenus in eo est, deducto prius, quod patri vel domino debetur §. 4. *h.*

17. Intelligitur peculium profectitium, quia filius hoc, voluntate patris, administrat, non castrense verum vel quasi, *l.* 18. *inf. de cast. pec.* nec quidem adventitium, quia pater hoc solus administrat, ejusque usumfr. habet *l.* 1. *C. de bon. mat. l.* 6. *l. f. C. de bon. quæ lib.*

18. VI. Actio de In rem verso datur adversus eosdem è contractibus eorundem, quatenus in rem patris dominive fit versum *d.* §. 4. Utiliter, non voluptariè *l.* 3. §. 4. *d. In rem vers.*

19. Sufficit autem fuisse rem in tali statu, licet ipso eventu creditum in id non cesserit, *l.* 3. §. 7. *l.* 17. *pr. h.* nisi pater filio jam satisfecerit. Sic cape *l.* 10. §. 6. *eod.*

20 Actionem de peculio, deque in rem verso diversas esse, res loquitur; sæpe conjunguntur, ut altera defectum alterius suppleat; ut si tantum non sit in peculio, quantum debetur, reliquum actione de in rem verso petatur. Hac ratione Cæsar, *eadem ait esse actiones in d.* §. 4.

21. Apparet, actiones quod jussu, exercitoriam, meliores esse quam de peculio & de In rem verso, cum hæ sint in minus quam solidum, & probari velint, quantum in peculio aut in rem versum esse queat; in illis contra se res habet.

22. Tributoria præstat actioni de peculio, quatenus in illâ domini conditio non est melior: rursus, actio de peculio præstat, quoniam ibi de toto peculio agitur, in tributoria de certis mercibus tantum §. 5. *h. t.*

23. De mutua pecunia filiofam. data non datur actio, quia Macedoniano SCto prohibitum est hoc mutuum §. 7. *h. l.* 1. & *t. tit. de Macedon.*

24. Idque in odium fœneratorum *d. l.* 1. & *l.* 40. *d. condict. indeb* & in gratiam parentum *d.* §. 7. *in fin* & *d. l.* 1. Ideo filius huic SCto renuntiare non potest *arg.* 29. *V. cuique alia C. de Pact.*

25. Sunt

25. Sunt tamen casus, quibus cessat, tam respectu filiif. quam patris, item ratione contractus & creditoris.

26. I. Respectu fillifam. 1. in bonis castrensibus l. 3. *in pr. d. Sc. Maced.* 2. Si patremf. se mentitus aut publice pro tali sit habitus *t. 3. in pr. D. & l. 1. C. eod.*

27. II. Respectu patris, 1 Si sciverit, multo magis si jusserit, aut ratum habuerit *l. 12. & 16. eod.* 2. si pecunia in rem ejus versa fuerit *l. 7. §. 12. eod. t.*

28. III. Ratione contractus cessat; 1. si pecunia in res utiles sit credita, velut in studia, nisi modum excesserit creditor *d. l. 7. §. 12.* 2. Cessat in aliis rebus mutuo datis, extra pecuniam, nisi in fraudem Sti sint datæ *d. l. 7. §. 3.* 3. Si relegato, vel aliter absente patre, filiusfam. dotem pro filia dederit *d. l. 7. §. 2.*

29. IV. Respectu creditoris cessat; 1. Si minor annis 25. dederit mutuum *l. 11. in fin. de Minor.* 2. Si creditor nesciverit esse filiumfam. *l. pen. eod. tit.*

30. Cæterum, actiones *hoc titulo* expositæ non sunt species actionum distinctæ, sed tantum adjectitiæ qualitates aliarum, ut empti exercitoria, locati, quod jussu & sic porro: oblique ita tendebant, omnesque erant prætoriæ *§. ult. h.*

31. Potest tamen, si velit, creditor directâ & civili condictione ex his causis experiri, quasi pater vel dominus ipsi contraxissent, quod à Jctis compendii causâ introductum videtur *d. §. ult.*

TIT. VIII.

De Noxalibus actionibus.

NOxales actiones dabantur adversus dominos, ex delictis servorum, ad hoc, ut aut heri damnum sarcirent, aut servum noxæ dederent *pr. §. 1. 2. & 3. h.* quæ res hodiè pariter cum servis exolevit.

2. Erant, ut superiores, tantum adjectitiæ qualitates actionum, quæ sunt è delictis privatis, tam prætoris

riis quam civilibus, ut Furti noxalis; injuriarum noxalis, damni noxalis &c. §. 4. *h. t.*

3. Perinde erant in personam, sed in rem scriptæ, quia caput sequebantur, hoc est, dabantur in præsentem servi dominum, licet ejus non fuisset, cum delinqueret §. 5. *h.*

4. Ex delicto filiifam. apud veteres eadem actio in patrem competebat, quia patriæ potestatis jus idem cum herili erat, sed dein placuit filiosfam. è suis debitis ipsos conveniri §. *ult. h.* & si non habeant in ære, luant in pelle, sicut vulgò loquuntur. l. 1. §. *ult. d. Pæn.*

TIT. IX.

Si quadrupes pauperiem fecisse dicetur.

DAmnum à quadrupede datum vocatur *pauperies*, quod si contra naturam generis sui datum sit, dominus tenetur ad damnum sarciendum, vel dedendum quadrupedem; infitiando dominium, lis crescit in solidum *l.* 1. §. 15. *h. t. pr. h. t.*

2. Quod si quadrupes irritatus fuerit ab eo, cui nocuit, habet is quod sibi imputet; si ab alio, tenetur ex lege Aquiliâ *l.* 1. §. 6. *Si quadr. paup.*

3. Cessat actio, si quadrupes ante litem contestatam decedat *d. l.* 1. §. 15.

4. Si bestia fera, vel animal non quadrupes sit, utilis actio datur *l. pen. d. t.*

5. Hodiè non solet agi noxaliter, sed in factum ex lege Aquilia, si qua domini culpa potest argui. In Frisia tamen est aliquid hujusmodi. *Stat. Fris. l.* 2. *tit.* 3. *art.* 4.

6. Qui canem, verrem, aprum juxta viam publicam habet, damno transeuntibus dato, in duplum tenetur; si liber homo periit, in 200. aureos; si nocitum, pro judicis arbitrio §. 1. *h. l.* 42. *d. Ædil. Ed.*

TIT.

TIT. X.

De iis, per quos agere poſſumus.

OLim quiſque ſuam cauſam in judicio per ſe, non per alium agere debebat; excepto, ubi non poterat actor in jure ſtare, velut, ſi populus, ſi ſervus, ſi pupillus ageret *h. pr.*

2. Sed hodie cuilibet liberum eſt, dare Procuratorem, qui pro ſe experiatur, aut defendat *d. pr.* & §. 1. *h.*

3. Procuratores ad negotia, vel ad lites eſſe diximus *in tit. Mand.* & quidem ad negotia qui dantur, ſunt mandatarii, de quibus in *d. tit.* actum. Ad litem maxime vocantur Procuratores.

4. Qui alienam cauſam ſine mandato tuentur, hi ſunt defenſores.

5. Tutores & Curatores etiam pro pupillis atque minoribus ſuis agunt eoſque defendunt §. *ult.* ſed integrum locum de his rebus Pandectis reſervamus.

TIT. XI.

De Satiſdationibus.

SAtisdatio eſt cautio, qua quis adverſarium de his, quæ ad cauſam agendam pertinent, datis fidejuſſoribus, reddit ſecurum.

2. Cautio eſt genus, *l.* 188. §. 1. *d. V. S.* fitque vel fidejuſſoribus, inquam, vel pignoribus, vel promiſſione, eaque ſimplici vel jurata: quæ per fidejuſſores fit, ſatisdatio vocatur *l.* 1. *inf.* & *t. ff. Qui ſatiſd. cog.*

3. Tres numero ſatisdationes in hoc tit. traduntur, Judicio ſiſti, Judicatum ſolvi, Rem ratam haberi. De quibus ſingulis ſunt *tituli in ff.* ubi, quod heic deeſt, *ſupplebitur.*

4. Judicio ſiſti cavet reus in omnibus judiciis ſuo nomine conventus, per fidejuſſores locupletes, hoc eſt

fatdites & conventu faciles *l.* 2. *in pr. Qui satisd. cog.* cavet, inquam, se in judicio adfuturum & ad finem litis permansurum §. 1. *h.*

5. Personæ illustres & pauperes loco satisdationis jurejurando funguntur *l.* 17. *C. de Dignit. Nov.* 112. *c.* 2. possessores immobilium repromissione nuda *l.* 15. *d. t. Qui satisd. cog.*

6. Hæc cautio vix est in usu hodierno, nisi in casu arresti relaxandi. Sand. *l.* 1. *t.* 17. *def.* 2.

7. Judicatum solvi cavet reus, qui dedit procuratorem tam in judicio, quam extra; si extra judicium, accedit hypothecaria cautio, per quam cavet reus, se recitandæ sententiæ adfuturum §. 4. *h. t. l. un. C. de Satisdat.*

8. Qui se defensioni causæ alienæ offert, sine hac cautione quoque non admittitur §. 5. *h.* atque hoc casu hodieque usurpatur, ut & si reus de fugâ suspectus sit, vix aliter. *Sand. ibid.*

9. Cautio de rato præstatur ab actoris procuratore, de cujus mandato dubitatur, scil. dominum, quicquid ipse fecerit, id ratum esse habiturum §. 3. *h.* conjunctæ personæ cum hac cautione admittuntur, etsi nullum habeant mandatum *l.* 35. *in pr. junct. l.* 40. §. *f. d. procurat. d.* §. 2. *h. l.* 1. *C. de Procurat.*

10. Omnes hæ cautiones exigunt fidejussores, ut vox satisdationis indicat *n.* 2 *h. supr. d. divis. stipul. n.* 11. *l.* 7. *d. præt. stipul.*

TIT. XII.

De perpetuis & temporalibus actionibus.

IN hoc tit. Traduntur duæ Juris regulæ I. Quæ actiones perpetuæ & quæ sint temporales. II. Quæ heredibus, aut in heredes, & quæ non dentur.

2. Perpetuæ actiones sunt, quæ durant annos 30. quibus elapsis, nulla actio moveri potest *l.* 3. *C. de præscr.* 30. *ann.* præter hypothecariam; quæ contra debitorem ejusve

ejusve heredem durat annos 40. *l.* 7. §. 1. *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* rebusque Ecclesiæ annis 40. præscribitur *N.* 109. *c.* 6.

3. Sunt autem perpetuæ omnes actiones rei persecutoriæ, tam prætoriæ, quam civiles *pr. h. l.* 35. *d. O. & A.*

4. Excipiuntur; 1. Actio Quanti minoris, quæ *duobus mensibus* finitur *l.* 18. *d. Ædil. Ed.* 2. Redhibitoria *sex mensibus l.* 38. *in pr. eod.* 3. actio de peculio, post emancipationem filiifam. *anno l.* 1. *Quand. de pecul. act. ann.*

5. Actio de dolo terminatur *biennio l. ult. C. de dol. mal.* Actio in rem mobilem *triennio pr. I. de usucap.* Restitutiones in integrum *quadriennio l. ult. C. de temp. in int. restit.* Querela inofficiosi *quinquennio l.* 8. §. *ult. d. Test. inoff.*

6. Actio in rem immobilem decem vel 20. annis *d. pr. d. Usucap.* denique judiciis criminalibus præscribitur annis *viginti l.* 12. *ad L. Cornel. de Falsi.*

7. Pœnalium actionum civiles, sive ex legibus oriundæ sunt etiam perpetuæ *d. pr. h.* Prætoriæ sunt annales *d. pr.* quia prætoris officium Romæ erat annuum *d. pr.*

8. Tu dices, hæc ratio facit, ut omnes actiones prætoriæ sint annales, etiam rei persecutoriæ; Resp. sic est; sed in his alia ratio validior est, quæ facit eas perpetuas, scil. æquitas repetendi, quod ex patrimonio nobis abest.

9. Ejusmodi quoque ratio fecit, ut actio furti manifesti, licet pœnalis prætoria, sit perpetua, quia nec manifesti actio ex L. XII. Tab. erat perpetua; proinde manifesti non poterat esse temporaria *d. pr.*

10. II Excipitur actio de dejectis & effusis *l.* 5. §. 5. *d. his qui effud. vel dejec.* III. contra nautas, caupones, stabularios *l.* 7. §. *f. Naut. caup. stabul.* IV. Servi corrupti *l.* 1. *in pr. d. serv. cor.*

11. Annus à prætore simpliciter positus intelligitur

Utilis l. 1. juncta l. 6. d. alien. jud. mut. l. 1. juncta l. 6. d. Calumniat. l. 38. cum l. 19. §. f. d. Ædil. Ed. l. 1. pr. & §. 39. d Vi arm. l. 1. pr. Si quis Test. lib. l. 2. §. 13. d. vi Bon. Rapt. l. 1. pr. d. Incend. Ruin. Naufr.

12. Huic opponitur Annus continuus, qui est, spatium dierum trecentorum sexaginta quinque, sine interruptione decursum; utilis, cui eximuntur dies, quibus agi non potest, tam ob ignorantiam vel absentiam partium, quam quod ob ferias copia Prætoris non fit *l. 1. d. diverf. præscript.*

13. De transitu actionum ad heredes Quæstio bimembris est, prima, quæ actiones dentur heredibus; altera, quæ dentur adversus heredes.

14. De primâ est hæc regula; Heredibus dantur quælibet actiones, etiam quæ ex delicto sunt *l. 4. π. Si fam. furt. fec. dic.* exceptis, quæ tendunt ad vindictam personalem; qualis est actio injuriarum §. *ult. I. de Injur.* aliæque paucæ, quas indicant *l. ult. C. de revoc. donat. l. 24. d. in jus voc.*

15. Adversus heredes dantur omnes rei persecutoriæ actiones §. 1. *h.* exceptis paucis, quæ ex delicto dantur, quas vid. in *tit. de Action. n.* 42. pœnales nunquam.

16. Ratio exceptionis, quia delicta sunt mere personalia, in quibus heres defunctum non repræsentat: nec est aliter in condictione furtiva *l. 9. d. condict. furt.* quia licet illa detur *de* furto, non tamen est ex furto, *arg. l. 36. d. O. & A. junctâ l. 1. de his qui infam. not. l. 10. §. 2. d. Compensat.*

17. E contractibus tamen, etsi de dolo in illis agatur, actio in heredes transit. *l. 12. d. O. & A. l. 157. §. ult. d. R. I.* excipe depositum miserabile, quatenus est in duplum *l. 1. §. 1. juncta l. 7. §. 1. Depos.* & ad hunc solum casum referendam putamus exceptionem in *d. §. 1. h. t.*

18. Cæterum, lite contestatâ, omnis actio continuatur in heredem, etiam pœnalis *d. §. 1. supr. Quib. mod. toll. oblig. n. 27. & 29.*

19. Est

19. Est adhuc alia regula in §. *ult. h. t.* Quod cuncta judicia sunt absolutoria, si reus ante sententiam actori satisfecerit; non modo non damnandus, inquam, sed etiam absolvendus, ut reus habeat exceptionem rei judicatæ *l.* 1. *d. re judic.*

TIT. XIII.
De Exceptionibus.

ACtionem petitionemque sequitur responsio rei & sic litis contestatio; nam hæc absolvitur narratione actoris & contradictione rei *l.* 14. §. 1. *C. de Judic.* sive narratione negotii ab utroque facta *l. un. C. de litis cont.* narratione & responsione *l.* 1. *in pr. C. de jurejur. cal.*

2. Responsio est duplex; una, quod actio non teneat ipso jure; altera, quod reus actione summo jure competente, non sit damnandus ob æquitatem, quæ responsio vocatur Exceptio *pr. & t. tit. h.*

3. Definitur hæc igitur; *Actionis alicui jure competentis ob æquitatem exclusio. pr. h. l.* 2. *eod.* Responsiones, quibus actionem dicimus ipso jure nullam esse, non sunt exceptiones *arg. d. l.* 2. *in pr.* quanquam abusive ejus generis defensio, vocatur exceptio in *l. pen. d. public. act. l.* 24. *d. Except. R. J.* & vulgo receptum sit, eas vocare exceptiones §. 7. *h.*

4. Divisio prima est in Civiles & prætorias. Civiles sunt, quæ ex legibus oriuntur, ut exceptio Sc̃ti Vellejani, Macedoniani, non numeratæ pecuniæ, præscriptionum longi & longissimi temporis, Querelæ inofficiosi, &c.

5. Prætoriæ sunt, quæ ex edicto descendunt, ut exceptio Quod metus causâ, de dolo, pacti; jurisjurandi &c.

6. Altera & utilior divisio exceptionum est, In peremptorias & dilatorias. Peremptoriæ sunt, quæ causam perimunt & semper agentibus obstant; Dilatoriæ

quæ causam modo differunt & ad tempus obstant §. 9. & 10. *in pr. h.*

7. Peremptoriæ dicuntur etiam *perpetuæ*, quia semel oppositæ perpetuum effectum habent. Dilatoriæ contrà temporales sunt *d.* §. 9. & 10. sed antequam in judicio opponantur, omnes exceptiones sunt perpetuæ; licet actiones, quibus respondent, sint temporales, præter exceptionem non numeratæ pecuniæ, quæ biennalis est *l.* 5. §. *ult. d. dol. & met. excep.* ubi & *ratio.*

8. Exempla peremptoriarum sunt, quod metus causa, de dolo, pacti de non petendo, jurisjurandi, rei judicatæ, non numeratæ pecuniæ §. 1. & *seqq. h. t.*

9. Hanc ultimam habuimus *in tit. de lit. oblig.* Exceptiones doli, quod metus causâ, pacti, jurisjurandi, dantur eis, qui dolo decepti, vel metu coacti sunt, vel pacti, ne creditor peteret, vel jurati se non debere; & intelliguntur è titulis ejusdem nominis, quos habebimus in *ff.*

10. Omnibus id commune est, quod hi, quibus competunt, ipso jure sunt obligati, sed ob æquitatem his remediis intentionem actoris refutant *d.* §. 1. & *seqq.*

11. Exceptio rei judicatæ datur ei, qui sententia judicis absolutus est, etsi revera fuerit obligatus, casu, quo denuo conveniatur §. 5. adde *l.* 3. *l.* 14. *in pr. d. Except. rei jud. Videbis ad ff.*

12. Dilatoriæ pertinent vel ad causam, vel ad judicium, vel ad personas judicium constituentes.

13. Ad causam, ut exceptio, quod quis ante diem petit §. *pen. h.*

14. Ad judicium, ut exceptio fori declinatoria, feriarum, litis pendentis &c.

15. Ad personas, ut exceptio suspecti judicis, non esse personam standi in judicio, procuratoris falsi &c. §. 10. & *h. t.*

16. Postremo, exceptiones sunt vel reales, vel personæ-

ſonales. Illæ, quæ rem ferunt, heredibuſque & fidejuſſoribus proſunt §. *ult. de replicat.* tales ſunt peremptoriæ omnes *l.* 7. *h. t.*

17. Perſonales, quæ non egrediuntur perſonas eorum, quibus primum dantur, nec adeo proſunt heredibus, aut fidejuſſoribus *d.* §. *ult.* talis eſt, exceptio pacti de non petendo à Titio vel à Cajo; quod quis non teneatur ultra quam facere poſſit; exceptio moratoria, quam Princeps quandoque debitoribus indulget *l.* 2. *l.* 4. *C. de precib. Imp. ff.*

18. Exceptiones peremptoriæ & dilatoriæ, quæ cauſam feriunt, opponi poſſunt quavis parte judicii *l.* 2. *C. de ſent. non reſcind. l.* 8. *C. de Except. l.* 10. *C. de Fidejuſſ.* reliquæ dilatoriæ litis conteſtationem præcedere debent *l.* 13. *& ſeqq. C. de Procurat. cap.* 1. *x. de litis conteſt. in* 6. poſt ſententiam utique nullæ poſſunt opponi exceptiones, niſi Macedoniani & Vellejani *l.* 11. *ad Sc. Macedon.* nec non doli mali, quâ damnatus in ſolidum petit ſibi actiones cedi *l.* 41. §. 1. *d. fidejuſſ.*

TIT. XIV.

De Replicationibus.

REplicatio eſt Actoris reſponſio, quâ rei exceptionem refutat, quod exemplo pacti declaratur *in pr.* Pactus es, ne peterem, datur tibi exceptio pacti. Rurſum, pactus ſum, ut peterem; prius pactum non tollitur ipſo jure, ſed nihilominus parit exceptionem; & poſterius quoque parit exceptionem ſive replicationem, quâ prius pactum eliditur; & hoc eſt quod dicitur, pacta eſſe facti non juris *l.* 27. §. 2. *d. Pact.*

2. Hoc ſenſu Replicatio eſt, exceptionis quaſi exceptio *l.* 22. §. 1. *d. Except.* ſed exceptio exceptionis, quâ quis contendat, ſe non cogi ad exceptionem adverſarii reſpondere, non habet rationem nec ullum in Jure, quod ſciam, datur exemplum. Exceptio eſt actionis excluſio, non exceptionis. Eſt hoc inventum, ut puto, cauſidicorum mali moris & rixoſum.

3. Replicationem actoris sequitur duplicatio rei; hanc triplicatio actoris, postrema fere quadruplicatio est; nam quintuplicatio & sextuplicatio sunt rarioris usus §. 3. *h. l.* 2. §. 3. *d. Except.*

4. Quid est autem, quod Reus Triplicare dicitur *in l.* 7. §. 1. *d. Curat. fur.* cum id actoris esse partium liqueat ē §. 2. *h. t.* Intelligitur in *d. l.* 7. §. 1. duplicatio, quæ appellatur triplicatio, quoniam est tertia, quæ in judicio fit, refutatio; nam 1. est exceptio 2. replicatio. 3. duplicatio.

5. Non male consulunt civitates, quæ vetant ultra duplicationem procedi, omniaque facta jubent in libello & responsione comprehendi: quod & juris ratio imperat; cum per eas litis contestatio fiat, quæ totum causæ statum judici repræsentare debet. Tulden. & Perez. *ad d. tit. C. de lit. contest.*

TIT. XV.

De Interdictis.

SUpereſt locus de poſſeſſoriis Judiciis, quorum à petitoriis diſcrimen, quoad originem, colligi poteſt ex iis quæ ad *tit. de A. R. D. ſub fin.* & *tit. de action. in fin.* diximus. Acria ſunt hæc certamina propter ingens commodum poſſeſſionis, in eo conſiſtens, quod res maneat penes poſſidentem, quamdiu alter non probavit rem eſſe ſuam §. 4. *in med. h. t.* & quod hæ rixæ in commiſſionibus facti exercentur; unde ſæpe Φόνοι, τραύματα, πληγαὶ, *verbera, vulnera, cædes*, Theoph. *ad pr. h.*

2. Dantur ex interdictis, quæ olim erant formulæ, quibus prætor in cauſa veræ vel quaſi poſſeſſionis aliquid fieri jubebat aut prohibebat *pr. h.* cui ſi paritum non eſſet, vel manu exequebatur, vel judicium dabat *l.* 1. §. 2. *Si ventr. nom. mul. l.* 3. *in pr. Ne vis fiat ei l.* 21. *Quod vi aut clam.*

3. Jure novo ſine interdicto actiones poſſeſſoriæ recta intro-

introducuntur, ut judicia petitoria; nisi quod in his plena & exacta causæ cognitio, in possessoriis summaria tantum & semiplena adhibetur, quoniam in his periculum fere est in mora, ut dictum *in l. 8. C. Unde vi. l. un. C. si de moment. poss.*

4. Hinc possessoriæ actiones vocantur extraordinariæ *in Rubr. d. Interdictis, sive extraordinariis actionibus quæ pro illis competunt*; etsi alio sensu, cunctæ actiones hodiè sint *extraordinariæ*: quia non dantur judices pedanei, sed magistratus ipsi judicant; cujusmodi judicia olim extraordinaria dicebantur §. *ult. h. l. 2. C. de judic. pedan.*

5. Non esse in rem, sed in personam has actiones patet è *l. 1. §. 3. h. t. dix lib. 4. Digress. cap.* 10. dicuntur tamen in rem conceptæ *d. l. 1. §. 3.* quia ad possessionem rei ipsam, non ad personales præstationes spectant.

6. Divisio prima non est magni usus; Interdicta sunt vel prohibitoria, vel restitutoria, vel exhibitoria. Exempla habes expositain §. 1. *h.*

7. Altera notabilior est; adipiscendæ, vel retinendæ, vel recuperandæ possessionis, quæ & primam ferè divisionem complectitur; nam retinendæ possessionis sunt prohibitoria; Adipiscendæ, restitutoria, & exhibitoria: Recuperandæ etiam restitutoria *d. §. 1.*

8. Adipiscendæ interdicta recensentur heic duo, Quorum bonorum & Salvianum §. 3. Quorum bonorum datur heredi, ad consequendam possessionem rerum hereditariarum, ab his, qui pro herede, vel pro possessore possident *d. §. 3.*

9. Dicimus *heredi*; proprie datur bonorum possessori, hoc est, successori prætorio; *d. §. 3. pr.* sed extenditur, utiliter saltem, ad heredes, qui jure civili sunt *l. 1. C. Quor. bon.*

10. Respondet hereditatis petitioni, quæ similiter est civilis, aut possessoria *tit. ff. de possessor. hered. pet.* daturque iisdem adversus eosdem & de rebus eisdem, nisi quod Interdictum de corporibus tantum datur, non de ju-

de juribus, ut petitio *l.* 1. §. 2. *Quor. bon. junct. l.* 19. & 20. *d. hered. petit.*

11. *Pro herede* autem poſſidere dicitur, qui putat, vel ſaltem contendit, ſe eſſe heredem; pro poſſeſſore, qui ſcit ſe non eſſe, nec etiam dicit, ſe eſſe heredem, ne quidem mendacio §. 11. & *l.* 12. *d. Hered. pet.* unde ſupplendus §. 4. *h.*

12. *Quod legatorum* huic affine eſt, nam datur heredi, ad repetendam rem legatam ſponte à legatario occupatam, unde Falcidia detrahatur *l.* 1. §. 2. *Quod legat.*

13. Salvianum Interdictum, datur domino fundi, de rebus coloni, quas is pro mercede pignori obligavit §. 3. *in fin. h.*

14. Reſpondet actioni Servianæ, quam *ſuprà* habuimus, *tit. de Act. n.* 26. ſalvâ generali differentia, quam diximus *n.* 3. & *ſeqq. h.*

15. Retinendæ poſſeſſionis Interdicta ſunt, Uti poſſidetis, & Utrubi. Uti poſſidetis datur ei, qui contendit, ſe poſſidere rem immobilem, in qua turbatur ab alio

16. Id habet duplicem uſum, 1. quando unus evidenter poſſidet, verum ab alio turbatur. 2. quando uterque ſe poſſidere contendit; §. 4. *h. l.* 1. §. 3. *D. Uti poſſidet.*

17. Qui tempore litis conteſtatæ poſſedit nec vi nec clam, nec precario, is ſuperior eſt; olim vincebat in *uti poſſidetis*, qui tempore interdicti, in *utrubi*, qui majore parte anni poſſediſſet §. 4. *h. t.*

18. Quo jure poſſeſſor rem detineat in hoc judicio, ut in omni poſſeſſorio non quæritur, nam etſi vitio, ſe poſſideat, vincit tamen, ſi modo illud vitium contra adverſarium non commiſerit *l. ult. d. Acquir. poſſeſſ.*

19. Extenditur hoc interdictum utiliter ad jura & ſervitutes, de quibus non ſunt propria interdicta *l.* 8. §. 5. *Si ſervit. vind. l. ult. d. ſervit.* Item ad ſuperficiem,

ciem, sive domum alieno solo positam *l.* 1. *d. Superfic.*

20. Datur & fructuariis *l. ult. Uti possid.* colonis nusquam datur; hi tantum sunt in possessione nomine dominorum, quibus adeo, turbatis illis, dabitur interdictum §. 5. *h. arg. l.* 3. §. 8. *Uti possid.*

21. Vulgo tamen aliter visum *arg. l.* 27. *in fin. d. donat.* quam in foro sequuntur, æquitatis obtentu *Sand.* 1. *Tit.* 4. *def.* 2.

22. Heredibus eorum qui turbati fuere, quà heredibus, non datur, quia jus possessionis non transit ad heredes, nisi denuo ab illis sit acquisitum *l.* 23. *pr. d. acquir. poss.*

23. Utrubi interdictum de rebus mobilibus datur, alioqui per omnia simile est priori *d.* §. 4.

24. In §. 5. habes, quomodo possessio retineatur, animo scilicet solo, etiam per alios, qui nostro nomine sint in possessione. Acquiritur autem non nisi corpore atque animo simul *l.* 3. §. 1. *l.* 8. *de acquir.* Amittitur etiam animo solo *l.* 3. §. 6. *eod.* etsi plerumque corpus & animus, etiam in acquirenda possessione concurrant *l.* 8. *eod. juncta. l.* 153. *d. R. I.*

25. Recuperandæ possessionis hic unum memoratur Interdictum, *Unde vi*, quod datur ei, qui dejectus est de possessione fundi vel ædium, ad hoc, ut restituatur possessio, cum fructibus & omni causâ §. 6. *h. l.* 1. §. 40. *d. vi. l.* 5. *C. unde vi.*

26. Competit etiam heredi *l.* 1. §. 44. nam etsi possessio ad heredem non transeat, jus tamen recuperandi possessionem quominus transeat, nihil obstat, quod tenendum ad ea, quæ *D. Wissenbachius ad h. t. ff. profert.*

27. Datur etiam fructuario *l.* 3. §. *pen.* non colono *l.* 1. §. 22. *ibid.* sed & qui dejicientem ipsemet antea dejecit, scilicet, si ex intervallo iterum sit dejectus, non si continuo, postquam ipse dejecerat; quia tum repulsus, non vi dejectus videtur *l.* 3. §. 9. *l.* 17. *h. t.*

28. Da-

28. Datur adversus eum, qui dejecit, etsi non possideat *l.* 1. §. 42. ut, si possessionem non restituat, id quod interest solvat *l.* 15. *eod.* etiam in eum, qui jussit *l.* 1. §. 12. & in heredes, quatenus pervenit. *l.* 1. §. *f.*

29. Adversus tertium possessorem, qui vim non fecit, non datur *l.* 7. *d. t. D. vi.* tantum abest, ut hæc actio in rem sit.

30. Verum est annale, sicut omnia fere interdicta sunt *l.* 1. *in pr. d. t. de vi.* sed actio in factum in id quod interest heic & aliàs perpetuo competit *l.* 3. §. 12. *eod.*

31. Ultima divisio interdictorum est, quod vel simplicia, vel duplicia sint. Simplicia, in quibus uterque loco rei & actoris est §. 7. *h.*

32. Duplicia sunt Uti possidetis & Utrubi, neque vero semper, sed quando uterque se possidere contendit *suprà n.* 16. tum altero prius querente se turbari, alter idem questus contrariam sumit conclusionem; in foro appellatur *reduplicatio*, Gallis *redoublement*, & adjudicatio, *recreance.*

33. Eodem exemplo in Interdictis adipiscendæ & recuperandæ possessionis reconventio ad eundem finem institui potest, nec raro usu venit.

34. Si concurrat petitorium & possessorium judicium, hoc prius terminandum est, adeo ut petitorio quoque inchoato, regredi liceat ad possessorium tam jure civili *l.* 18. §. 1. *d. vi.* quam canonico *cap. significaverunt* 36. *x. de Testib.* Appellari in possessoriis jure civili prohibitum est *l. un. C. Si à moment. poss.*

TIT.

TIT. XVI.

De pœnâ temere litigantium.

SI homines ſunt rixoſi, jus Romanum non eſt; quia laudat eos, qui malunt reſua carere, quam ſæpius de eo litigare *l.* 4. §. 1. *de Alien. jud. mut. c.*

2. Eſt autem temerarius litigator, qui ſine probabili cauſa litigat; poteſt fieri, ut utrimque ſit probabilis; juſta utrimque eſſe non poteſt. Grot. 2. *dejur. b. & p. c.* 23. *n.* 13.

3. Temeritas illa tribus modis coercetur, Jurejurando, pœna pecuniariâ & infamia.

4. I. Jusjurandum huic uſui, appellatur Calumniæ, quod præſtant Reus, actor & Advocati.

5. Litigantes ipſi jurant apud litis conteſtationem, ſe non animo vexandi, ſed fiducia bonæ cauſæ movere litem, & Advocatus, idem ſe credere de jure clientis ſui §. 1. *h. l.* 2. & *Auth. ſeq. C. de jurej. propt. cal.* N. 49. *cap.* 3.

6. In foro non præſtatur, niſi cum partes ſibi mutuas interrogationes, ad quas probatio fiet, proponunt: eas tam ponentes quam reſpondentes hoc juramento comitantur, de quo vid. Sand. *l.* 1. *t.* 9. *def.* 1. & 2. Advocati ſemel jurant, cum togam ſumunt.

7. II. Modus, qui eſt, pœna pecuniaria, tres gradus habet; 1. in omnibus judiciis pœnalibus, qui vincitur, per ſententiam mulctatur §. 1. *h. t. verſ. ſtatim.*

8. II. In judiciis, ubi lis inficiando creſcit in duplum, de quibus §. *ult. I. de quæſt. contr.* §. 1. *h. verſ. adverſus.*

9 III. Victus victori damnatur in impenſas litis, ſi cauſa, inquam, probabili careat, *d.* §. 1. *in f. l.* 72. *in pr. d. Jud. l.* 13. §. 6. *C. eod.* alioqui judices tenentur *d.* §. 6.

10. Quid ſi ab actore non fuerint petitæ? Tamen adjudicandas eſſe plerique docent, neque textus illi abnuunt:

nuunt: sed nec male judices, qui omissas in libello, pariter in sententia omittunt, ut sanè in foro servatur; nam si judex plus det quam petitum est, non judex sed adversarius fit.

12. III Temere litigantes aliquando fiunt infames, ut damnati è delictis tam publicis quam privatis, quæ in *pr. hujus libri* habuimus, excepta lege Aquiliâ; item è quatuor contractibus, mandato, depositi, societate, Tutela §. 1. & 2. *h. t.*

12. Integer de infamia locus pertinet ad *tit. ff. de his qui not. infam.* & quæ de in jus vocatione scripta sunt in §. *ult. h. t.* pertinent ad tit. ζυώνυμον ff. quo hæc & alia reservamus. *Tu interim lege, fis, textum.*

TIT. XVII.
De Offic. Judicis.

JUdicis officium est, ita judicare, quemadmodum legibus & moribus est proditum *pr. h.*

2. Nam sententia expresse contra jus lata est ipso jure nulla *l.* 1. §. 2. *Quæ sent. fin. apell. rescind.* iniqua sententia ratione facti vel juris ambigui, per appellationem rescindenda est *t. t.* D. *de Appellat.*

3. Et quidem de facto sequi debet judex acta & probata *l.* 6. §. 1. *d. Off. præs.* prout religio suggerit *l.* 79. §. 1. *d. judic.* non tamen, ut è sua scientia contra fidem probatorum decernat. Nisi judex sit ἀνυπεύθυνος, qualis solus Princeps; reliquis tutius est eo casu abstinere judicando.

4. Dividitur vulgo Judicis officium in Nobile & Mercenarium; hoc, quod actioni inservit, illud, quod Judex ultro adhibet, quo facit *tit. C. ut quæ desunt advocatis judex suppleat.* Termini sunt inepti, res non caret usu.

5. Sæpe opponuntur jus actionis & officium judicis in *l.* 7. *d. Negot. gest. l.* 8 *d. eo quod cert. loc.*

6. Jure actionis sive obligationis venit hoc, quod pa-

palam inest conventioni & quod in actione exprimitur. Ex officio Judicis, quod natura negotii implicite fert, & per consequentiam exigit *dd. ll.*

7. Hoc maxime locum habet in bonæ fidei judiciis *d. l.* 7. exemplum in *l. ult. d. Action. empt.* potest tamen & in strictis obtinere *d. l.* 8. exemplum elegans habes in §. 9. *I. de Legat.*

8. Atque hoc implicitum adjudicandi munus intelligitur, quando κατ' ἐξοχὴν judicis officium appellamus, eoque potissimum spectant exempla, quæ in *hoc tit.* recensentur, in quibus primo quidem innuitur, quid judex secundum propriam actionis naturam decernere debeat; sed imprimis hoc agit Cæsar, ut doceat, quid eum insuper jubere præstari oporteat.

9. Ita in actione noxali, de qua § 1. directe quidem reus damnandus est, ut damnum sarciat, idque est in obligatione, sed officio judicis continetur, ut reum noxæ deditione liberum esse præcipiat; nam hæc est in præstatione *l. 6. §. 1. d. Re judic.*

10. In actionibus in Rem directe faciendum est judici, ut reum absolvat, vel condemnet ad restituendum §. 2. *h.* sed fructus percepti, qui non sunt pars rei singularis, non veniunt in rei vindicationem, sed officio judicis adjudicantur *l. 35. §. 1. d. R. V.* secus ac in hereditatis petitione, quia lucrum è fructibus profectum auget hereditatem, ejusque pars est *l.* 20 §. 3. *de hered. pet. l. 1. C. eod.*

11. Præterea, quanquam res continuo post sententiam restituenda sit, potest tamen Judex aliquid laxamenti indulgere damnato ex causa, modo caveat, & hoc est *officii*, *d.* §. 2.

12. Eadem fere de actione ad exhibendum, quæ datur ei, cujus interest, rem videre & explorare, traduntur in §. 3. de ipsis actionibus in Rem & ad exhibendum locus proprius occurret in *Pandectis.*

13. De actione familiæ erciscundæ & communi dividundo habuimus ad *tit. de obligat. ex quas. contr.* pro-

priè & præcipuè tendunt ad æqualem rerum divisionem, idque secundum præcedentem, si qua sit, conventionem, aut præscriptum Testatoris, qui partes facere potest inæquales, salva legitima vel Falcidiâ *l.* 10. *C. de Famil. erciſc.* idque tam in oneribus quam in commodis *l.* 20. §. 5. *D. eod.*

14. Quod si res æqualem divisionem non recipiant, tum causa ad *officium* redigitur, ut fiant *adjudicationes*, per quas rerum inæqualitas per pecuniam ad æqualitatem reducatur §. 4. & 5. *h. l* 52. §. 2. & 54. *Fam. erciſc.*

15. Præstationes quoque personales inter coheredes sociosque sunt adæquandæ, velut ex utilitate perceptâ, ex dolo aut culpa damnove per alterum dato *d. l.* 4. & 5. *l.* 16. §. 4. & *seqq. l.* 17. *d. tit.*

16. Actio finium regundorum est, quâ confines agrorum contendunt ut veteres fines declarentur, aut novi judicis arbitrio constituantur. Ex quibus verbis officium judicis intelligi potest, *vid.* §. 9. plur. ad *ff. h. t.*

17. Adjudicationes, quæ in hoc & prioribus judiciis fiunt, statim ac immediatè transferunt dominium §. *ult. h.* aut si res aliena sit, usucapiendi conditionem *l.* 17. *d. Usucap.* cum alioqui per sententiam dominium non transferatur, siquidem actio rei judicatæ tantum in personam est; per *l.* 6. §. *fin. d. Re judic.*

TIT. XVIII.

De Publicis Judiciis.

DElicta esse privata vel publica diximus in *tit.* 1. *libr. hujus à pr.* de privatis dudum absolvimus, & quid publica sint *ibidem* positum est. Sunt, inquam, publica judicia, quæ de criminibus publicis instituuntur.

2. Duæ sunt notæ publici criminis: 1. quod ex lege aliqua publici judicii puniatur *l.* 1. *in pr. d. pub. jud.* & ejusmodi sunt leges, quæ specialiter de gravioribus criminibus latæ sunt, ut leges Juliæ, Majestatis, adulterii,

terii, peculatus, Repetundarum, de vi, de ambitu, de annona; lex Cornelia de Sicariis, & de Falsis; lex Pompeja de parricidiis; lex Fabia de Plagiariis, &c. *d. l.* 1.

3. Altera nota est; quod publico judicio quilibet admittitur ad accusandum §. 1. *h.* sed hunc morem non esse hujus seculi admonuimus *tit.* 1. *h. libri n.* 5.

4. Posset tamen divisio in publica & privata crimina sic intelligi, ut publica sint, quæ directè vulnerant Rempubl. privata, quæ lædunt privatos in corpore, honore, bonisve.

5. Hoc sensu crimina Majestatis, peculatus, repetundarum, residuorum & ambitus publica, cætera privata forent; sed heic Justinianum sequimur.

6. Is publica judicia distinguit in capitalia & non capitalia. Capitalia, quæ mortem vel naturalem, vel civilem; non capitalia, quæ mulctam aut corporis cruciatum vel infamiam irrogant §. 2 *h. l.* 2. *d. Publ. jud.* strictius, capitalia de ultimo supplicio accipiuntur *l.* 19. *C. de transact.*

7. Ex capitalibus; arcto sensu, primum est crimen læsæ Majestatis, cujus sit reus, qui violat summam potestatem Reipubl. cui subjectus est §. 3. *h.* quod ut fiat exponitur in *l.* 1. *& seqq. ad L. Jul. Majest.* ubi & contra ministros summæ potestatis admittitur, qua tales *l.* 1. §. 1. *d. t.*

8. Est vel perduellio: vel Majestatis in specie crimen. Perduellio dicitur, quæ hostili animo committitur, *l.* 5. *C. ad L. Jul. Majest.*

9. Majestatis in specie reus est, qui citra hostilem affectum lucri aliave causa temere jura Majestatis læsit, *l. ult. D. eod. tit.*

10. Pœna perduellionis est mors & publicatio bonorum atque memoriæ post mortem damnatio *d. l.* 5. ubi & bona liberorum publicantur, relicta filiabus Quarta; denique liberi perduellium fiunt intestabiles. Prædura lex, neque publica utilitate satis excusata!

11. Majestatis in specie pœna mors est, cum publicatione bonorum. *d. l. ult. N.* 134. *in fin.*

12. In Principes & civitates superiorem agnoscentes, & tamen Regalia habentes, committitur hoc crimen analogicè & impropriè. Ejusmodi sunt immediata membra Imperii Germanici; forte & Societates Indicæ nostrates apud Indias, hèic minimè.

13. Alterum capitale crimen, Adulterium nihil est aliud, quam corruptio mulieris, alii nuptæ; nam vir habens rem cum virgine viduave stuprum magis quam adulterium committit *l.* 6. §. 1. *ad L. Jul. de adult.* §. 4. *h. t.* Levit. 20. vs. 10. Deuter. 22. vs. 22.

14. At in Statutis gentium hodiernis violatio fidei conjugalis, etiam à parte mariti, cum soluta se miscentis, pro adulterio fere habetur, cujus ratio peti potest ex *c.* 1. *ad Corinth.* 6. *v.* 16. *&c.* 7. *v.* 3. *&* 4. *Matth.* 19. *v.* 5.

15. Mulier duobus nubens seque miscens etiam adultera est *l.* 17. *& Auth. hodie C. de repud. ex Nov.* 117. *c.* 11. sed in viro polygamia non est adulterium, sed stuprum, per *l.* 18. *C. ad L. Jul. de Adult. l.* 2. *C. de Incest. nupt.* Theologi & Statuta gravius binubos quam adulteros exequuntur.

16. Committitur & in sponsam alterius adulterium *l.* 13 §. 3. etsi sponsus eam jure viri accusare nequeat *l.* 11. §. 7. etiam in nuptam alterius, quæ corpus suum prostituit *l.* 13. §. 2. nisi, viro deserto, vagetur *l.* 22. *C. eod.*

17. Pœna adulterii ex lege Julia fuit relegatio *l.* 7. *d. Quæstion. l.* 11. *in pr. ad L. Jul. adult. arg. l.* 18. *de Testib.* jure novo est ultimum supplicium *l.* 30. §. 4 *l.* 30. *C. ad L. Jul. de Adult.* exemplo juris divini *cap.* 20. *Levit. Deuteron.* 23. mulieres dein capitis pœnæ exemit Justinianus, an Theodora. *N.* 134. *c.* 10.

18. Hancce pœnam mortis Justinianus adscripsit Legi Juliæ in *d.* §. 4. quoniam pœna scil. adulterii hujus legis nomine celebris erat, placuit novam quoque pœnam eadem appellatione celebrari. 19. Mas-

19. Masculinis & bestialibus stupris eadem pœna mortis infligitur *d.* § 4. & *l.* 31. *C. ad l. Jul. de adult.* idque moribus servatur, cum adulterium ferme pecunia mulctetur.

20. Incestus, id est, coitus in gradu prohibito, per stuprum vel per matrimonium admissus pœna adulterii adficitur *l.* 38. *in pr. ad L. Jul. de adult.* nec in eo praxis tam remissa est ac in adulterio, nisi ultra secundum gradum à latere sit, quem incestum juris civilis vocant, quo casu levior pœna est *d. l.* 38. §. 2.

21. *Tertium* capitale delictum est homicidium, quod olim aquæ & ignis interdictione, hodiè gladio punitur, seu ferro, sive veneno perpetretur, etiamsi homo necdum natus, verum in utero extinctus sit *l.* 38. §. 5. *in fin. d. pœn.*

22. Qui cum telo ambulant in alterius necem, aut venena publice vendunt, eadem pœnâ plectuntur §. 5. *pr. h. & inf. l.* 1. *ad L. Cornel. de Sicar.* Sed qui occidit absque animo occidendi, extra ordinem mitius punitur *l.* 1. §. 3. *d. t.* perinde, qui non toleranda injuria lacessitus fuit, ut qui adulterum apud uxorem deprehendent *l.* 1. §. *ult. ad L. Corn. de Sicar. l.* 4. *C. ad L. Jul. de adult. l.* 5. *ad L. Pomp. de Parr. arg. l.* 14. §. 6. *d. bon. libert.*

23. Qui animum occidendi habens in persona erraverit, & Titium, putans Mævium, percusserit, non eximitur ordinariæ legis Corneliæ pœnæ *arg. l.* 18. §. 3 *d. Injur.*

24. IV. Parricidium est homicidium ejus, qui in recta linea nobis est conjunctus, aliorum cognatorum cædes ad legem Corneliam pertinet §. 6. *in pr. & inf. h.* etiam pater filiumfam. occidens, pro simplici homicida habetur, mater à parricidio non excusatur *l.* 1. *ad L. Pompej. de parric.*

25. Punitur hoc crimen novo, id est, raro genere pœnæ, ex more majorum repetito *l.* 9. *d. t.* Insuitur enim damnatus culeo cum cane, gallo gallinaceo, vi-

pera & simia, cumque his in mare vel flumen demergitur §. 6. *h.* hodie matres, quæ fœtus interemerunt, culeo insutæ, at solæ, mergunter. Alii parricidæ cruci fragio fere confiçiuntur.

26. V. Raptus virginis aut viduæ honestæ, ut & stuprum violentum, in autore atque ministris capite punitur, quin & in ipso raptu occidi possunt *V. un. C. de Rapt. virg.* at nec distinguitur, voluntarius an violentus sit raptus; quod hodie tam rigide non servatur. Volentes rapi non videntur, utique tum non est capitis crimen *cap. pen. & ult. x. de raptor.*

27. Sequuntur Crimina, quæ aliquando capite, quandoque lenius puniuntur. Ejusmodi I. est plagium, hoc est, suppressio hominis, de quo in §. 10. *h. l. ult. d. Leg. Fab. de plagiar.* ubi discrimen plagii a furto hominis, scilicet ab animo lucrifaciendi, vel secus.

28. Tale etiam II. est peculatus crimen, quod definitur, Furtum rei publicæ vel sacræ *l.* 9. §. *ult. ad l. Jul. pecul.* capite punitur, sacrilegium semper; peculatus proprie dictus, quando magistratus ipsi eorumque ministri id deliquerunt; alioqui deportatio est §. 9. *h. t. & l.* 6. *in pr. ad l. Jul. pecul. l. un. C. de crim. pecul.*

29. Tenentur etiam in quadruplum, si priores pœnæ non exerceantur *l.* 6. *in fin. l. pen. ad l. Jul. pecul.* eaque intra annum adversus heredem extenditur *l. ult. eod.*

30. III. Falsum est imitatio vel suppressio veri in fraudem alterius facta; si nec *imitatio*, nec suppressio veri fiat, non est falsum, ut si quis in ratione vel in calculo mentiatur *l.* 2. *ad. l. Corn Falſ.*

31. Pœna Falsi aliquando capitalis, sed plerumque deportatio, aut lenior est §. 7. *in fin. h. l.* 1. §. *ult. d. tit.*

32 Capitalis est in servis *d.* §. 7. item ob falsum testimonium in necem Rei capitalis *l.* 1. *ad. L. Cornel de sic. Deut.* 19. *vs.* 16. in subjecto partu *l. C. de Falſ.* cujus accusatio datur parentibus, aut eis, ad quos res pertinet, solis *l.* 30. §. 1. *ff. d. Falſ.* adde *l.* 27. §. *ult. D. eod.*

D. eod. ubi de ficta dignitate vel militia *l.* 1. *C. de Immun. nem. conced.* ubi de tabulariis civitatum.

33. Qui monetam falsam cudunt, aut probam corrumpunt, olim liberi ad bestias, servi in crucem agebantur *d.* 8. *d. fals.* hodiè cusores cum ministris suis comburuntur *l.* 2. *C. de fals. mon.* impuberes soli *l.* 1. *eod.* & quos pœnituit ante facinus consummatum, excusantur *l.* 19. *ad l. Corn. fals.*

34. Lenius deportatione puniuntur, exilio temporario, vel ordinis ademptione *l.* 13. §. 1. eodem fere modo, qui judicem corrumpunt, duobusve rem unam in solidum vendunt *l.* 21. qui pondera mensurasve falsarunt *l.* 32. §. 1. *d. t. de Fals.* ubi & pœna dupli.

35. Reliquæ falsi species ordinaria deportationis pœna plectuntur, nisi quod pœna pro cujusque facti circumstantiis variat *l.* 32. *in pr. eod.* Species diversæ toto *tit. D.* & *C.* diffusæ sunt, quas inde petas licet.

36. IV. Repetundarum crimen admittitur ab eo, qui in publicâ functione constitutus præter fas pecuniam accepit; ita ut quælibet sordes & corruptiones huc pertineant *l.* 1. 3. & 4. *ad l. Jul. repet.*

37. Pœna est extraordinaria, plerumque exilium, aliquando capitalis, si in atroci causa pecuniam acceperint *l.* 7. §. *ult. ad l. Jul. repet.* etiam in quadruplum multa, quæ ad heredem quoque transit *l. ult. ad L. pœnul. l.* 2. *C. ad l. Jul. repet.* intra annum scilicet *l.* 2. *eod.*

38. Crimina nunquam capitalia sunt, Residui, Ambitus, Annonæ, Stuprum, denique & Vis, nisi quod hæc aliquando & capitalis est, ut videbimus ad ff.

39. Est autem vis duplex, publica vel privata.

40. Publica, quæ fit armis, aut quolibet atrociori modo §. 8. *h. l.* 1. 3. 5. 10. 11. & *ult. ad l. Jul. de vi pub.*

41. Privata vis est, quæ fit sine armis *d.* §. 6. vel potius, quæ minus est atrox *l.* 2. 3. 5. & 6. *ad L. Jul. de vi priv.*

42. Publica vis punitur deportatione, privata publicatione tertiæ partis bonorum *d.* §. 8.

43. Re-

43. Residuorum tenetur, qui pecuniæ sibi commissæ partem in suos usus convertit, & multatur in amplius tertia parte, quam accepit *l. §. 5 ad l. Jul. pecul.*

44. II. Ambitus tenetur, qui corruptis suffragiis honores ambiit; pœna est centum aureorum, cum infamiâ *l. un. §. 1. de L. Jul. amb.* damnatus famam recuperat, si alium ejusdem criminis convicerit §. 2 *d. l.*

45. III. Crimen annonæ committitur ab eo, qui malis artibus id agit, ut annona fiat carior; pœna est 10. aureorum *l. 2. §. ult. ad L. Jul. de Annon.* accedente infamia; quæ semper inest publicis judiciis *l. 7. d. publ. Jud.*

46. Mirari licet, quare tam levis huic crimini pœna sit imposita, cum res tanti sit momenti in Republ. & Romæ fuerit maximi. Hodiè gravius punitur & ex lege Caroli V. magna & diuturna fraus capitis supplicio *t. 113. const. crim. 5.*

47. IV. Stuprum, quod est corruptio virginis viduæve honestæ, punitur in honestis publicatione dimidiæ partis bonorum, in humilibus coërcitione corporis cum relegatione §. 4. *h.*

48. Moribus vix hodiè plectitur, nisi pecuniarie idque leviter & raro; loco pœnæ est hæc alternativa, *ducat aut dotet* corruptam. Sand. *l. 1. tit. 8. def. 5.*

49. Imo fieri potest, ut hæ ad capitalem pœnam intendant, sicut est scriptum *in l. 1. §. ult. d. Extraord. crimin.*

EXPLICATÆ SUNT INSTITUTIONES JUSTINIANI AUGUSTI.

POSITIONUM JURIS.

PARS II.

Fundamentalia Pandectarum in Institutionibus intacta exhibens.

INstitutiones sequuntur Pandectæ, ita dictæ, παρὰ τὸ πᾶν δέχεσθαι, quod totum jus contineant, idque in eo digestum sit, unde Digesta latine.

2. Compositæ sunt Pandectæ è duobus librorum millibus, triginta septem autoribus, quorum nomina singulis excerptis sunt præscripta, ut auctoribus sua laus maneret, non ut conditores operis habeantur; nam Id totum Imperator suum fecit, & sua solius omnia vult censeri. *Const. tanta* §. 1. & 10. *C. de Vet. jur. enucl.*

3. Articuli isti excerpti vocantur *Leges*, etsi minus aliquando commodè, cum sæpe verbo uno alterove sine sensu constent: alii malunt dicere *capita*, nescio an commodius; nos usum sequimur, quem nec Budæus elegantiæ alioqui pervicax aspernatur, *comm. ad L. 1. d. Just. & J. c. 2.*

4. In citandis legibus, Pandectas designamus digammate ff. quod est corruptum è græco π, Id enim ubi celerius scribitur, lineam transversam fere habet per medias rectas. Accursiani & Bartolistæ cum viderent π ita negligentius pictum ignari Græcarum literarum putarunt esse ff.

5. Nos cum legem citamus, nec addimus notam libri, Digesta intelligimus. Codicis textus adjecta C. literâ distinguimus, ut fit; versus Institutionum per literam I. aut nullo addito signo.

6. Dividuntur Pandectæ in partes VII. libros L. titulos 434. Doctores antiqui dividunt in tres partes, in Digestum Vetus, infortiatum & novum. Vetus pertinet usque ad *tit.* 3. *lib.* 24. Alterum usque ad *tit.* 1. *lib.* 39. Inde patet novum. Sed hæc partitio exiguum habet usum.

7. Ordo capitum in Pandectis is est, quem boni consulere possis, arbitrarius non tamen nullus, ut ostendit Cujac. *in paratitl.* & Jac. Gotofred. *in fer. Pandect.* ille quidem solidius & civilius ad meum gustum.

8. Alter dedit quidem operam, ut doceret, methodum esse ex Edicto perpetuo; verum ita, ut non minus scire cupias, cur ita in Edicto fuerit.

9. Igitur ambagibus missis, rem ipsam putemus. At titulum priorem de *Justitiâ & Jure* præteribimus; quia consilium nobis est, fundamenta duntaxat earum rerum tradere, de quibus in parte prima elementorum non fuit actum, ut monuimus in *proœm. n.* 6.

10. Nam quia mos pridem viget in scholis, Institutiones non semestri lectione transmittere, sicut olim Cæsar voluit, sed plena manu tractare, censeo & expertus sum, grave esse eadem in Pandectis, ordine licet diverso, inculcari; gratius & aptius visum, ea capita Pandectarum exponere, quæ in Institutionibus non occurrunt, atque in locis parallelis remittere lectores ad *partem primam.*

[11. In

11. In hac ratione crebris collegiorum experimentis ad Treutlerum, Weſenbecium, Zœſium, Struvium, Pacium, Schotanum, Corvinum, acquievimus: diu etiam ſine ullo auctore paratitla tradidimus auditoribus; exemplo A. Matthæi & Wiſſenbachii virorum clariſſimorum; qui ſic nobis præcipiebant.

12. Pro captu autem primo juventutis omnino faciendum eſt, auctorem ut habeant, quem exponi audiant ac ita ediſcant. In ſingulis ſcriptoribus illis eſt quod ad rationem collegiorum, ut nunc habentur, deſideres: eaque cauſa noſtris præceptoribus fuit, ut nullum ſequerentur.

13. Mea ſic ratio eſt; Integram Artem juris primo ſecundum Inſtitutiones, per definitiones diviſioneſque eſſe ediſcendam. Idem per Pandectas eſſe continuandum, duntaxat in iis capitibus, de quibus in Inſtitutionibus nihil fuit traditum.

14. Proinde, qui Pandectas ingreditur, huic commodum erit, reperire loca in itinere vaſto, ubi reſpirare liceat & jucundâ repetitione eorum, quæ pridem tenebat, diſcutere tædium, quod iter quinquaginta librorum inexpertis parit.

15. Idcirco in collegio ff. titulis parallelis auditores remittimus ad *partem primam* aut examinando ea recolimus. Subinde & ſpicilegium addimus, ſicubi omiſſa fuerint, quæ non debebant.

TIT. I.
De Juſtitia & Jure.

DEfuncti ſumus hoc titulo in parte prima, quod ſatis ſit; niſi quis exegeſin latiorem definitionis requirat.

2. Dicitur Juſtitia *voluntas*; non tropicè pro habitu voluntatis, quid enim nobis cum lite illa, ſitne virtus in appetitu an voluntate, ut quaſi contra nos diſputat Picolomin. *Phil. mor. gr. 4. c. 12.* ſed voluntas nihil eſt

aliud quam *propositum*, usu populari : Philosophi, cum facultatem mentis appellant voluntatem, metonymiâ utuntur. *Constans & perpetua*, στάθμη καὶ διενεκής, ut Theoph. vel ὅτ Aristot. βέβαιος & ἀμετακίνητος. *Constans* voluntas est propositum grave deliberato & stabili judicio subnixum habituque confirmatum. *Perpetua*, id est, ad extremum vitæ continuata.

3. Ubi vero talis voluntas? debet esse talis etsi nusquam extet in individuo. Vel dic, affectu semper est in homine justo, etsi non effectu, Justus aberrans ἀδικεῖ μὲν, ἄδικος δ' οὐκ ἐστὶ, agit quidem injuste, non tamen injustus est. *l. 5. ad Nicom. c. 7.* dix. *lib. 1. Digress. cap. 7.*

4 *Jus suum.* Jus cuique competens est duplex, Facultas & Aptitudo. Facultas est jus quod plene & perfecte ad nos pertinet, ut ea quæ sunt in dominio vel in credito. Aptitudo, est jus quod probabili ratione nobis competit, at non necessario, præmia, honores, eleemosynæ, Grot. *lib. 1. de jur. bell. & pac. c. 1. n. 8.* Aptitudinem Cicero vocat dignitatem *2. de Invent. & 3. ad Herenn. d. pr.* dix. *d. cap. 7. Jub. fin.*

5. *Cuique tribuendi* : si hæc verba referas ad omnia, quæ ad alium pertinent, non tantum ad pecuniam & ad ea quæ in bonis sunt, sed quicquid ullo modo plene aut probabiliter alicui competit, ad bona, corpus, honorem spectans, parum abest quin omnibus virtutibus hæc definitio conveniat; neque tum opus sit distinctione Justitiæ universalis & particularis. dix. *in Prælect. ad Inst. h. t. n. 3.*

6. Divisimus parte 1. *h. t.* cum Grotio Justitiam in expletricem & adtributricem; exposuimus quoque veterem Scholasticam. Præstantia divisionis Grotianæ (quæ tamen à veteribus est petita, ut probavimus *d. lib. 1. Digress. cap. 8.*) inter alia colligi potest ex eo, quod de pœnis delictorum quæri solet; est enim perplexa quæstio, si de justitia commutativa & distributiva, proportionibusque Arithmetica & Geometrica quæ-

quæratur. Res expedita erit, quando expletricem & adtributricem usurpamus Justitiam.

7. Nam ad expletricem haud dubie referendæ sunt pœnæ, quia nemo punire potest, nisi qui jus plenum & perfectum habet puniendi, nec puniendus quisquam, nisi qui plene id meritus, idque suâ quasi voluntate, gnarus crimina subjacere pœnæ. Unde Aristoteles delicta contractus involuntarios vocat. 5. ad Nic. 4. proinde ut in contractu æqualitas circa mutuas præstationes servatur, ita pœnalis justitiæ fundamentum est æqualitas inter pœnam & culpam. Grot. *l.* 2. *c.* 26 §. 2 ergo ubi culpa est æqualis, pœnam quoque æqualem esse oportet.

8. Hoc tamen non impedit, quominus genera pœnæ pro diversitate personarum temperari possint; cum enim pœnarum aliæ plus aliis tormenti & turpitudinis habeant, iniquum foret, omnem meritorum, natalium, sexus, ætatis differentiam tolli; quo respectu pœnæ in thesi dispares, in hypothesi diversis applicatæ personis pares censeri possunt, quæ est juris ratio in *l.* 2. *d. term. mot. l.* 3. §. 2. *d. stellion. l.* 28 §. *ult. d. Pœn.*

9. Sed in hac moderatione summa opus est prudentiâ, ne plus personis tribuatur quàm ratio recta & salus populi permittat; ideoque jure dubites, an totum genus pœnæ ex personali respectu mutari debeat, ut capitalis adversus viliores fiat non capitalis adversus honestiores, quod jus nostrum permittit *l.* 3. §. *pen. ad L. Corn. d Sic.*

10. Dicitur Jus à Justitia appellatum, non modo logice, quia jus e justitiæ fonte manavit, sed & etymologicè, quatenus justitia prior hac Arte fuit, cui auctores nomen indiderunt à Justitiâ petitum; non adeo, quod jus â justitiâ ordine grammatico derivetur, sed quod Justitia occasionem nominis huic arti præbuerit. Justitia nomen habuit à *Justo*, quod est ipsum bonum & æquum; id enim prius est Justitia;

Hæc iterum ſuggeſſit nomen Arti; quæ ex ipſa erat hauſta atque compoſita; de cæteris ad hunc tit. pertinentibus agimus in *Prælect. ad h. tit. Inſt. & in lib.* I. *Digeſſ.*

TIT. II.

De Origine Juris, & omnium Magiſtratuum & ſucceſſione Prudentium.

HUjus tituli tres ſunt partes, quas Rubrica indicat. Prima de origine juris. Hæc eſt vel philoſophica, de qua tit. præc. vel Hiſtorica, quæ hoc capite exponitur. Nos Primo agemus de origine Magiſtratuum. II. De origine Juris III. De Succeſſione prudentium.

2. De parte I. ſic breviſſimè Tacitus; *Urbem Romam à principio Reges habuere, Libertatem & Conſulatum L. Brutus inſtituit. Dictaturæ ad tempus ſumebantur; neque Decem-viralis poteſtas ultra biennium, neque Tribunorum militum conſulare jus diu valuit. Non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio, & Pompeji Craſſique potentia cito in Cæſarem, Lepidi atque Antonii arma in Auguſtum ceſſere, qui cuncta diſcordiis Civilibus feſſa nomine Principis ſub Imperium accepit. l.* 1. *annal. in pr.*

3. *Urbem Romam à principio.* Id incidit in annum ante Xρ 753. calculo Petaviano.

4. *Reges habuere.* Regimen urbis tribus intervallis diſtinguitur, Regno, Libertate, Imperio. Regnum duravit annos 244. ſub Regibus VII. quorum hiſtoriam vide apud Livium *lib.* I.

5. *Libertatem & Conſulatum*, hoc eſt, populare Imperium optimatium autoritate temperatum. Conſules erant duo, à quibus erat provocatio. *l.* 2. §. 16. *h. t.*

6. *Lu. Brutus inſtituit.* Hiſtoriam habes apud Livium *lib.* I. *ſub fin.* omni parte memorabilem.

7. *Dictaturæ.* Primus dictator fuit T. Lartius, anno poſt

post regifugium nono, vel, ut Dionys. XII. *Sigon. ad an. V. C.* 255.

8. *Ad tempus sumebantur*; nunquam ultra VI. menses, ob periculum tyrannidis; erat enim summa potestas, expers provocationis domi militiæque *h. l.* 2. §. 18.

9. *Neque decemviralis potestas ultra biennium*: Pertæsa Consulum plebs anno *V. C.* 302. Decemviros creavit; à quibus æquum jus conderetur, at hi tyrannidem in sequentem annum continuarunt, & dejecti sunt *h. l.* 2. §. 24 ubi habes historiam.

10. *Neque tribunorum militum consulare jus diu valuit*; cum plebs alterum consulem ex se vellet, patres utrumque de suo corpore, medium placuit consilium, ut Tribuni militum essent, cum potestate consulum, numero fere sex. Primi tales fuerunt anno *V. C.* 310. postremi anno 386. nec tamen ordine continuo, sæpe interim & Consules erant *l.* 2. §. 25. *h.*

11. *Non Cinnæ*. Incidit dominatio Cinnæ, cui Marius consors, in annum 666. & cis triennium ejus morte finita est. Factio ejus à Sylla fracta sequenti anno.

12. *Non Syllæ longa dominatio*. Sulla dictator perpetuo creatus est anno *V. C.* 671. abdicavit dictaturam anno 674. Uterque tyrannidem exercuit, initio Sylla bono, Cinna malo.

13. *Pompeji Crassique potentia*. Pompejus Magnus post Sullam plurimum potuit in Republ. & secundum eum Crassus Dives. Quin hi duo cum Cæsare triumviratum de Republ. civili tamen conspiratione magis quam vi tyrannicâ inierunt, anno 693.

14. *Cito in Cæsarem*. Crasso à Parthis occiso, amicitia Cæsaris & Pompeji in bellum erupit anno *V. C.* 704. quo superior fuit Cæsar.

15. *Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere*. Cæsare à conjuratis interfecto, anno 709. Octavius, qui postea Augustus, illius e sororis filia nepos, cum

M. Le-

M. Lepido & M. Antonio conspiravit & Triumviratum constituit, qua Remp. oppresserunt. At Lepidus ab Augusto copiis exutus est in Sicilia, anno *V. C.* 717. Antonius ad Actium victus *anno* 722.

16. *Ita per partes evenit, ut necesse esset Reipubl. per unum consuli*, est in *l.* 2. §. 11. *h. t.* perinde ac Tacitus; *Cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub Imperium accepit.*

17. Principatus sive Imperii tria intervalla sunt I. ab Augusto usque ad Constantinum M. à quo sedes imperii Byzantium sive Constantinopolin translata fuit, anno Christi 330. II. Intervallum est à Constantino usque ad Carolum M. qui Imperium occidentis cœpit anno Christi 800. atque exinde, si placet, tertium putabis intervallum.

18. Fuerunt & alii Magistratus olim, qui non ad summam Remp. sed ad jus dicendum pertinebant.

19. Anno a Regibus ejectis 16. Plebs Senatui extorsit, ut Tribb. Plebis crearentur. Cic. *Orat. pro Cornel.* Sigon. *ibid. l.* 2. §. 20. *b.*

20. Censores populo censendo, ordinandis Tribubus, classibus & Senatui primum creati ann. 310. *l.* 2. §. 17. Sig. *ib.*

21. Ann. 387. creati ædiles curules, de quibus §. 21. & 26. item Prætores §. 27. & 28. Sigon. *ibid.*

22. Propagato in provincias imperio, creati sunt magistratus, qui etiam his præessent & qui fungerentur pro consulibus, pro Prætoribus. §. 22.

23. Denique in civitate, ait Pomp. decem *Trib. pleb.* duo *Coss.* 18. *Prætores sex ædiles jura reddebant.* §. 34. *l.* 2. *h.*

24. Sequitur pars altera tituli, quæ est *de Origine juris.* Ejus Historia distinguitur iisdem spatiis, quibus Imperium.

25. Sub Regibus nullum fuit jus certum, quod quidem civitati æqualiter regendæ sufficeret *d. l.* 2. §. 1 nam aliquas fuisse leges constat *arg. l.* 2. *d. Mort. infer. Dionys. Halic. l.* 10. *in pr.*

26 Om-

26. Omnia *manu* à Regibus gubernabantur *d.* §. 1. *in fin. l. 2. h.* hoc est, arbitraria potestate, ut omnium gentium nationumque initia fuere. *Justin. in pr. l.* 1.

27. Anno *V. C.* 303. XII. Tabulæ sunt conditæ, fons omnis publici privatique juris, ait *Liv. l.* 3. *c.* 34. Easdem Tacitus appellat, finem æqui juris *l.* 3. *Annal. c.* 27. Fuere fons & finis juris diverso respectu, ut exposui *l.* 1. *Digest. c.* 1. *sub fin.*

28. Quia breves & strictæ erant XII. Tabulæ, non multo post interpretatio Prudentium accessit *d. l.* 2. §. 5. quorum responsa sic placuere populo, ut usu fori recepta κατ' ἐξοχὴν Jus civile dicerentur §. 8. *in pr. d. l.* 2. oppositè ad jus Prætorium.

29. Eodem tempore legis actiones sunt repertæ, per quas cives in foro legum remediis uterentur, eæque certis verborum formis à JCtis comprehensæ sunt §. 6. & 7.

30. Dein legis actiones proprio sensu vocati sunt actus voluntariæ jurisdictionis, ut manumissio, emancipatio, adoptio *l.* 2. & 3. *de Off. Proconf. & leg.*

31. Ab his diversi sunt actus legitimi, ut Tutoris datio, hereditatis aditio, acceptilatio in *l.* 77. *d. Reg. I.* nam actus legitimos, ut tutoris dationem, potest obire legatus proconf. *l. pen. d. off. proc. & Leg.* non potest legis actiones *d. l.* 3. add. *l.* 2. *Digest. c.* 12.

32. Dein post XII. tabulas multæ aliæ leges sunt conditæ de rebus specialibus, in comitiis centuriatis, ad quæ omnes cives conveniebant §. 4. *I. de jur. nat.* de quibus parum aut nihil in jure nostro habemus.

33. Postea plebis contra Patres studium novas constitutiones invexit, quæ plebiscita sunt dictæ, iisque legum vis tributa, primo Rogatione Valeria, dein Publilia, postremo Hortensia anno *V. C.* 467. *d. l.* 2. §. 8. Sigon. *in fast.*

34. Senatus-Consulta in liberâ Republ. vim legum non habuere, quia Senatus summa potestate carens, auctoritatem duntaxat habebat *Liv. l.* 1. *c.* 7. *Val. Max.*

l. 2. *C.* 2. §. 7. Sed occupatâ per Cæsares Republ. acceperunt, arbitrio tamen Principum *l.* 9. *d. ll.* idque cœptum sub Augusto, perfectum sub Tiberio. Tac. 1. *annal. cap.* 15. *in fin.* Sueton. *in Claud. c.* 25. dix. *L.* 1. *Digress. c.* 3.

35. Sed prætorum Edicta jus XII. Tab. in multis capitibus jam olim aut suppleverunt aut mitigaverunt §. 10 *d. l.* 2. olim quidem erant leges annuæ, quia singuli Prætores etiam erant annui, & nova Edicta condebant, donec lege Cornelia ex Edictis perpetuis jus dicere jussi sunt, teste Asconio *adorat. pro Cornel.* denique Salvius Julianus jussu Hadriani omnia Edicta in compendium redegit, quod *perpetuum Edictum* vocatur *l.* 2. §. 18. *C. de vet. jur. enucl.*

36. Tempore libertatis igitur ortæ sunt hæ species juris, Lex, plebiscitum, SCtum, Responsa Prudentium, Edicta Magistratuum; sic tamen ut SCta sub principibus demum robur suum acceperint, *ut dictum.*

37. Jam tum multitudine legum jurisprudentia laborabat; ideoque Cæsar Julius, teste Suetonio *in vit.* ejus *cap.* 44. de compendio & uno corpore Juris cogitavit. Augusto id cordi non fuit, qui JCtis potestatem dedit, ut Judices eorum sententias sequi cogerentur §. 8. *I. de jur. nat. l.* 2. §. 47. *h.*

38. Exinde ivit in immensum disciplina legum; siquidem ista duo librorum millia, unde Pandectæ sunt collectæ, sub Cæsaribus vulgata sunt, ut ex inscriptionibus & JCtorum ætatibus constat. Solus Hadrianus duntaxat jus prætorium contraxit, uti jam diximus. Fuerunt autem hoc intervallo florentissima ingenia.

39. Altero Imperii intervallo Constitutiones Principum, quæ jam quoque innumeræ factæ erant, in tres codices redactæ sunt, Gregorianum, Hermogenianum, Theodosianum, quorum ultimus hodieque extat & habet nomen à Theodosio Cæsare Juniore.

40. Justinianus dein Justini Cæsaris ex sorore nepos serio

ferio animum ad corpus Juris digerendum adjecit, usus opera Triboniani, aliorumque virorum amplissimorum §. 3. *proœm. Inst.*

41. Primo, è tribus illis codicibus unum componi jussit, altero imperii sui anno, qui fuit χριςογονίας 528. & sequenti anno emisit, duodecim libris, ut δωδεκάδελτον ἕτερον, æmulatione. XII. tabul. *const. de nov. cod. fac.* Harmen. *l.* 1. *t.* 1.

42. Quarto Imperii anno componi jussit Pandectas ediditque biennio post; eodem anno compositæ sunt Institutiones, atque promulgatæ aliquot diebus ante pandectas, ut liquet è subscript. *proœm. Inst. & subscr. l.* 2. *de v. I. enucl.*

43. Anno 534. Codicem suum emendatum & auctum variis constitutionibus & 50. decisionibus, unde *Repetitæ prælectionis* dicitur, publicavit *tit. C. de Emend. Cod. Just. & secund. ej. edit.* eoque nunc utimur, cum vetus ille perierit.

44. Pandectæ constant excerptis è commentariis, ut dixi, JCtorum, maxime eorum, qui sub Antoninis floruere, ad usque Constantinum M. Codex è constitutionibus Principum, qui ab Hadriano ad Justinianum vixere, conflatus est.

45. Jus Pandectarum vetus & antiquum dicitur *in* §. 2. & 5. *proœm, Inst.* quia constitutiones Principum, licet tempore non omnes, genere tamen doctrinæ, sententiis JConsultorum sunt recentiores *d.* §. 2. & 4.

46. Nec tamen consilium fuit, in Pandectis referre jus obsoletum; potius quasi theoria in illis traditur, in Codice magis pragmatica, cum plerique leges ibi certis factis accommodatæ sint, ut è *textibus* passim liquet. Non pauca tamen Codicis mutant jura Pandectarum.

47. Nempe Codex partim descriptus est è Codice antiquo, partim à Justiniano auctus. Priora non possunt derogare Pandectis, cum hæ sint posterioris editionis; nova derogare possunt. Imo tamen & de prioribus reperiuntur, quæ jus Pandectarum mutant.

Exemplo sint *tituli Cod. de bonis maternis*, *de bonis quæ liberis*, aliaque; confer *l.* 12. *C. de sentent.* cum *l.* 48. *d. re judic.* item *l.* 1. §. 11. & 19. *d. Collat.* cum *l. ult. C. Eod.* In his & similibus obreptum est Justiniano in compilandis Pandectis, quod dicere fas sit.

48. Postremo edidit Imperator volumen Novellarum numero 168. quarum dies non est expressus. Nec adeò videntur uno volumine à Justiniano publicatæ.

49. Post Justinianum Leo Cæsar Philosophus edidit Novellas *μάλα Φιλοσοφικῶς* scriptas, sed quibus non utimur adversus Justinianum. Cujac. 17. *obs.* 31.

50. Idem libros *βασιλικῶν* composuit, quibus selecta juris Latini in Græcum sermonem transfunduntur usumque in interpretando frequentem habent, qua de re vid. *præfat. noviss. edit. βασιλ.*

51. In occidentalibus provinciis, juris Romani studium penitus extinctum est cum Imperio, quod desitum est in Occidente annno Christi 476. quando Heruli & deinceps Gothi rerum in Italia potiti sunt, suasque leges simul invexerunt; quibus dein accesserе leges Saxonicæ, Salicæ, Ripaticæ, Longobardicæ &c.

52. Latinum jus ab eo tempore suppressum fuit, usque ad annum 1134. quo exemplum Pandectarum à Pisanis in expugnatione urbis Amalphitanæ repertum Pisas ac inde Florentiam delatum est, quæ sunt Pandectæ Florentinæ. *Vigl. in præfat. ad Theoph.*

53. Ab eo tempore jus Romanum quasi postliminio reductum est in Occidentem, inque Scholis atque judiciis frequentari cœpit.

54. Ægre tulerunt hoc Pontifices Romani, qui reverentiam Cæsareæ potestatis hac ratione propagari videbant; ideo cum aliter non possent, suum jus Canonum ab eodem tempore elaborarunt; nec eo minus sub pœna excommunicationis jus civile doceri vetuerunt, uti factum ab Honorio III. anno 1219. rursus à Gregorio IX. ambitione pravâ, ut observat Mezerayus, Gal-

Galliæ historiographus Catholicus, in compend. *post regnum Philipp. Pulchri cap. de reb. Ecclesiast.*

55. Tertia pars Tit. de successione Prudentium his summariis absolvitur. Primus Professor juris fuit Tib. Coruncanus *l.* 2. §. 35. *h.*

56. Fundamenta juris civilis scripto primum tradiderunt P. Mucius, Brutus & Manilius §. 39. *l.* 2. ubi hunc sensum habere videntur verba, *fundarunt jus civile.*

57. Primus in generale artis systema jus civ. redegit Q. Mucius §. 41. *l.* 2. hoc enim velle videntur verba, *jus civile primus constituit.*

58. Sectas primi condiderunt Antistius Labeo & Attejus Capito (ille Trebatii, hic Ophilii auditor) quos duo pacis decora Tac. 3. *ann.* 75. vocat. instituta eorum vide, in *l.* 2. §. 47. *h.*

59. Capitoni successit Massurius Sabinus, unde hæc secta Sabiniani, ut & Cassiani à Cassio Longino, quem alter excepit Sabinus. Hunc Javolenus Priscus, Valens & Julianus.

60. Labeonem secutus est Nerva Pater & Filius, item Proculus, unde hi Proculejani, ut & Pegasiani à Pegaso; quem Celsus Pater & Filius, denique Neratius Priscus exceperunt.

61. Cum Constantino M. juris scientia transiit in Græciam, quæ exinde egregios dedit interpp. quorum aliqua scripta hodieque supersunt, Harmenopulum, Theodoretum, Theophilum, aliosque & Scholiastas βασιλικῶν. De quibus vid. *Suarez in notit.* βασιλ.

62. In occidente primus instauratæ Jurisprudentiæ Professor fuit Irnerius, à quo sunt excepta authentica in Codice. Mortuus est Bononiæ circa annum 1190.

63. Ejus discipuli Azo, ibidem, Placentinus in Gallia summas scripserunt. Accursius Princeps Glossatorum floruit circa annum 1227. Pater practicæ laudatur Durandus & edidit speculum anno 1261.

64. Anno 1328. summa cum laude docere cæpit

Bartolus de Saxo ferrato, cujus famam excepit Baldus de Ubaldis mortuus Ticini anno 1420. Hos plures secuti sunt usque Jasonem, qui anno 1519. & Decium, qui anno 1535. decesserunt.

65. Primus cum juris scientia literas humaniores junxit Alciatus, Papiæ ortus anno 1548. quem in Gallia imitatus est Corasius, qui duobus millibus auditorum Tholosæ operam dabat. Idem institutum, in Germania Zasius, dein Cujacius, Duarenus, Hotomannus, Donellus aliique prestterunt. Vide Forster *histor. Jur. sub fin.*

TIT. III.

De Legibus, Sctis, & longa consuetudine.

DE Sctis & consuetudine pleraque in Inst. occupata sunt.

2. Lex generaliter sumpta, est commune præceptum summæ potestatis, omnes ei subditos ad parendum obstringens.

3. Dicitur in *l.* 1. *in f. h.* communis Reipubl. *Sponsio.* sive, ut Demosthenes citatus *in l.* 2. *pr.* συνθήκη κοινὴ πόλεως, ὁμολογία κοινὴ πόλεως, commune fœdus & conventio civitatis.

4. Ex quo intelligitur, quicquid legibus in civitate sancitum est, in id omnes & singulos cives consensisse videri, quia sciunt aliter Rempubl. haberi non posse, nisi leges æqualiter custodiantur. Hæc res & in politicis & in Jure nostro multum habet usum.

5. In definitione modo posita, genus, *commune præceptum* est ex *l.* 1. *h.* & arguit non de singulorum sed universis rebus, de plerumque non de raro contingentibus leges ferendas *l.* 3. *& seqq. h. t.* quod tamen non accipe, de negotiis integris raro accidentibus; de talibus enim passim agunt leges; sed ita puta; Quælibet lex de re aliqua sanciens non debet ordinari secundum id quod raro, sed quod ut plurimum evenit,

ut

ut in summâ sit utilis, etsi contra singulos in casibus certis faciat.

6. Hinc etiam per XII. Tab. vetita fuerunt privilegia, id est, leges de privis, seu singulis hominibus latæ, nisi per maximum populi comitium ferrentur. *Cic. 3. d. LL*

7. Sic privilegium est, cum delinquenti Princeps pœnam remittit, quod potest quidem semper ex jure vitæ necisque, sed rarissime debet, nisi forte in mere civilibus, ubi locus esse potest facilitati *legis* 31. *d. pœn.*

8. Sunt etiam privilegia, de quibus XII. Tabb. non senserunt, quæ certis hominum ordinibus personali intuitu conceduntur, ut mulieribus, studiosis, militibus, & iis, qui non ultra quàm facere possint, condemnantur l. 16. & seq d. re jud.

9. Hæc nunquàm, ne heredibus quidem prosunt *l. 42. d. admin. Tut. l.* 68. *l.* 196. *d. R. I.* sed quærem & causam spectant, ut in credito funebri *l. pen. d. relig.* induciis judicati *l. ult. C. d. usur. rei jud* similibusque, talia ad hæredes transeunt *dd. ll.* 68. & 196. neque vero privilegia esse videntur illa omnia, cum publica sint omnibusque pateant.

10. Sequitur in definitione legis, *summæ potestatis:* quæ est facultas moralis regendi civitatem, cujus actus alterius humanæ voluntatis arbitrio infirmari non possint. Grot. *lib. 1. d. j. b. & p. c.* 3. *n.* 7. *& seq.* dix. *lib. 1. de jur. Civit. c.* 15.

11. Civitates, quæ tali facultate carent, municipalia jura sive statuta habere dicuntur, de quibus alibi. Hic nota, interpretationem legum civilium & statutorum differre parum aut nihil, ut explicat Treutl. *vol. 1. disp. 1 t.* 10. *lit E.*

12. Porro, lex etiam *honestati convenire debet*, id est, nihil detrahere virtuti & bonis moribus, quod ut definitioni non insertum per se intelligitur; sed manifestam oportet esse turpitudinem, quod si accidat,

vim ſuam perdit *arg. l.* 15. *d. cond. inſt.* ſed cujus legis obſcura eſt ratio & ignota, hæc nihilo minus obligat *l.* 20. & 21. *h. t.*

13. Quin & iniqua lex perdit quidem vim ſuam, quatenus conſcientiam ejus præſcriptum ſequentis non poteſt reddere ſecuram (in quam lex omnino nullam vim habet directam, Ameſ. *lib.* 5. *d. conſc. c.* 25. *n.* 4.) ita tamen valet, ut ſubditi illam pati cogantur; nec alius quam ipſe Princeps eam ex æquitate corrigere poteſt *l.* 8. *C. de LL.* cum quâ non pugnat *l.* 8. *C. d. Judic.*

14. Tritum eſt dictum, ceſſante ratione legis ceſſat ipſa lex; intellige, ſi ratio ceſſet in univerſum, non ſi in caſibus certis. Ex. gr. Lex eſt, Impubes ne faciat teſtamentum, quia nullum eſt ejus animi judicium §. 1. *I. Quib. non eſt permiſſ. fac. teſt.* Datur impubes, cui eſt prudentia ante pilos, quæritur, an poſſit teſtari; non poteſt.

15 Aliud; lex eſt, ne bona minorum alienentur abſque neceſſitate *l.* 22. *C. de Admin. tut.* idque commodo illorum ita conſtitutum eſt, ne rebus ſuis temere ſpolientur. Datur caſus, quo ſit utile rem alienare citra neceſſitatem, quæritur, an id liceat judici? Non licet. Sand. *l.* 2. *tit.* 19. *def.* 15.

16. Poſtrema verba ſunt de poteſtate legis, quæ continetur 4. virtutibus enumeratis *in l.* 7. *h. t.* imperare facienda, vetare contraria, permittere licita (quod diſtat à tolerando, nam & illicita tolerantur) punire non parentes, quod ultimum legis officium ſanctio vocatur §. 10. *I. d. R. D.*

17. Non ſunt igitur Leges textus ſuaſorii & conſulentes; ut eſt *l.* 34. *h. l.* 24. *d. Rei vind.* §. 3. *I. d. pupil. ſubſt. Nov.* 22. *c. ult. pr.*

18. Simul autem ac lex innotuit, cives obſtringit, niſi tempus ſit adjectum, ex quo ſit valitura, ut *N.* 117. *c.* 1. Noviſſimè poſt duos menſes ignorantiæ prætextus omnino excluditur; ita enim capimus *N.* 66. *c.* 1.

19. Etiam

19. Etiam respectu futuri lex fertur, ad præterita non pertinet *l. 22. D. & l. 7. C. d. LL.* nisi lex differte casus præteritos comprehendat *l. ult C. d. Pact pign. l. un. C. de Contract. Jud. in fin. Nov. 115. c. 1. in fin.*

20. Lex & consuetudo inter alia requisita debet esse *generalis*, ut dictum *Part. I. tit. 2. n: 35.* Quid igitur leges & consuetudines locorum particularium, nullam ne potestatem habent? (intelligimus autem per loca particularia, civitates & regiones ejusmodi, quæ sunt membra subjecta majoris imperii, nec habent regalia neque jus condendi legem.) De his ita jus & ratio fert, ut si lex totius Reipubl. de aliquâ re lata sit & vigeat, eam servari oporteat: si lex nulla sit, tum mos regionis, in quâ negotium fuit gestum attendatur, quoniam in id consensisse verisimile est contrahentes per *l. 34. d. R. I. l. 3. d. usur. l. 7. D. Evict.*

21. Quod si nulla sit lex vel consuetudo certa, recurri solet ad mores vicinorum *arg. l. 32. pr. h. t. cap. 16. x. de consuetud.* D. Scotan. in. *exam. ad tit. C. quæ sit longa. consuet. Quæst. quid si discrep. & quæst. quis est effectus?*

22. Hodiè per Europam, frequens & difficilis est quæstio, si negotium alibi inchoatum, alibi exitum habeat; utrius loci jura sæpe diversa & pugnantia servanda sint. De Rebuspubl. diversis loquimur; in eadem Republ. ut apud Romanos, uno olim Imperio, hæc res usum non habet.

23. Prima & summa regula est; nulla lex valet extra suum territorium, & omnis lex obligat eos, qui in territorio legislatoris reperiuntur *arg. l. ult. d. Jurisd.* etiam peregrinos per *l. 7. §. 10. in fin. d. Interdict. & releg.*

24. Hinc forma celebrandi actus inter vivos aut mortis causâ, juxta ritum loci, in quo actus celebratur, etiam ab exteris, instituì debet, ac ita perfectus aut non, valet aut non valet, ubique locorum. Gail. *l. 2. obs. 123.* Sand. *l. 5. tit. 1. def. 14.*

25. Perinde in his, quæ ad jus agendi & ad ordinem judiciorum pertinent, ſpectatur lex & mos loci, in quo judicium acceptum eſt, licet alibi res geſta, vel etiam ſententia lata ſit, quando alibi executio peritur. Sand. *l.* 1. *t.* 12. *def.* 5.

26. Idem in effectis contractuum ſpectatur; in dubio ſequimur jus loci, in quo partes contraxerunt, aut quem ſaltem reſpexerunt *l.* 21. *d. O. & A.* quod tamen non nomitur ex poteſtate Legiſlatoris, ſed à conſenſu præſumpto partium. Sand. *d. loc.*

27. Niſi bonis immobilibus certæ leges ſtatuto ſint impoſitæ; nam ejusmodi qualitates rebus impreſſæ neque legibus alibi latis neque contractibus aboleri poſſunt; idem in ſucceſſionibus ab inteſtato obtinet. Sand. *l.* 4. *tit.* 8. *def.* 7.

28. Mobilia verò, quibus accènſentur obligationes, cum non habeant ſtabilem ſitum, ſed à deſtinatione domini pendeant, ſequuntur locum rei geſtæ vel domicilii, quod habet paterfamilias. Sand. *ibid.*

29. Qualitates perſonales certis perſonis à legibus aut à judiciis impreſſæ ſunt *ἀναφαίρετοι*, quaſi oſſibus inhærentes, ideoque paſſim eundem habet effectum.

30. Hinc qui in loco domicilii prodigus, major aut minor annis, patriæ, maritali, vel Tutoriæ poteſtati ſubjicitur, ubique locorum pro tali habetur, iiſdemque juris effectibus gaudet atque ſubjectus eſt Gail. & *Sand. dd. loc.* Rodenburg *tract. de jure quod oritur è Statut. diverſ.* qui eleganter recenſet e a quæ Argentræus & Burgundus prolixe ſuper hoc quæſito commentati ſunt, vid. *quæ dix. cap. ult. initior. jur. vernac.*

TIT.

TIT. IV.

De Constitutionibus Principum.

SPecies constitutionum Principalium tres sunt, Epistola, decretum, edictum. *l.* 1. §. 1. *h.* habentque Juris autoritatem ex Lege Regiâ. *l.* 1. *pr. h.*

2. Epistolæ supplicantibus aut Magistratibus jura præscribebant, sub quibus Rescripta continentur, quibus Codex Justiniani refertus est.

3. De his est regula, quod non valeant, si tollant jus tertii (nam dilatio peti potest) si damnosa fisco, vel juri sint contraria. *l.* 2. *l.* 3. *l.* 4. *l.* 7. *C. de prec. Imp. off.*

4. Lite quoque pendente, supplicare non licet, nisi ob denegatam à Magistratibus Justitiam *l* 2. *C. ut. lit. pend.*

5. Mandatis autem Principis non creditur, nisi per literas publice prolatas, quibus adjecta sit conditio, si preces veritate nitantur *l.* 1. *C. de Mand. Princ. l. f. C. de diverf. Rescr.* ideoque non dantur executioni; nisi causa cognitâ *l.* 4. *l. ult. C. si contr. jus vel util. publ.*

6. Hæc de judicialibus mandatis, non de politicis imperiis accipienda, quæ Magistratus & cives exequi, non interpretari debent.

7. Beneficia Rescriptis concessa pleniſſime interpretanda esse tradit *l.* 3. *h. t.* quod ita capiendum, ne tamen exemptiones jure communi nimium extendantur. Exempla videin *l.* 43. *d. S. V. & P. l.* 1. *d. Jur. an. aur.*

8. Decreta sunt sententiæ cum plena causæ cognitione à Principe latæ, cujusmodi vivum exemplum habes in *l.* 3. *d. his quæ in teſtam. del.*

9. Opponuntur iis interlocutiones, quæ de plano fiunt *d. l.* 1. §. 1. hoc est, non conscenso tribunali; quæ jus quidem faciunt inter eas partes; *d.* §. 1. sed vim legum generalem non habent, ut docet *l.* 3. *C. de Legibus.* juncta *l.* 2. & *l. ult. Eod.*

10. De-

10. Denique Edicta sunt, quæ Principes motu proprio ἐξ ἰδιείης φύσεως, ait Theoph. in publicam utilitatem promulgant, vulgo *plackaten*. Exemplum est in *l. 5. C. de Cur. Fur.*

11. Sanctiones pragmaticæ sunt ex numero Rescriptorum & diriguntur ad provincias & civitates *l. ult. §. 1. C. d. diverſ. Reſcr.*

TIT. V.
De Statu Hominum.

VUlgò tria objecta ferri diximus in *fin. tit. I. de Jur. nat. G. & C.* Jus ita non loquitur, sed Interpretes ex usu scholæ.

2. In omnibus practicis disciplinis objectum est duplex, usus & tractationis. Usus objectum est id quod ars informat & perficit, ut in Ethicis mens humana. *Doctrinæ*, est idem cum subjecto sive artis materiâ, ut in Ethicis vitia ac virtutes.

3. In Jurisprudentia objectum usus est persona, sive homo, quatenus ei jus tribuendum, utpote cujus gratia jus omne constitutum est *l. 2. h. t.* Vel, si mavis, actiones humanæ, quas hæc Ars regit & ordinat ad scopum justitiæ, objectum usus constituunt.

4. Doctrinæ objectum est id, quod per definitiones & divisiones in omni corpore juris tractatur, idque non est aliud quam *suum cujusque*, sive facultas homini competens ad aliquid juste habendum vel agendum.

5. Jam omne jus, quod ad aliquem pertinet, consideratur vel ratione status personalis, vel respectu rerum quæ nos faciunt locupletiores, vel modi, quo jus personale rerumque adserimus, qui modus est *Actio*.

6. Hinc tria dicuntur objecta juris particularia, Persona, Res & Actio; quæ veteres ut tria summa capita proponunt; sicut ait Justinianus, *in §. ult. d. tit. Inſt. Omne jus, quo utimur, vel ad personas, pertinet, vel ad res, vel ad actiones, ex l. 1. h. t.*

7. In-

7. Institutiones secundum tria, quæ dicuntur *objecta* Juris in scholis, exacto ordine traduntur. In pandectis ita quoque inchoatur: nam hic tit. de statu hominum est idem cum *Rubr. de jure personarum in Inst.* eodemque pertinent *tit.* 6. & 7.

9. Inde fit transitus ad Judicia sive ad Actiones, quæ cum oriantur ex omni genere Juris, earum occasione tractantur omnia capita, quæ ad res vel ad personas referuntur. Nos ductum Imperatoris in hisce libris, ut ipse præire voluit, sequemur.

10. Status hominum ex differentiis eorum colligitur, quarum I. est in mares & feminas, *l.* 9. *h.* Hermaphrodyti sive androgyni ad alterutrum sexum in iis prævalentem referuntur *l.* 10. *h.* Cujus rei effectum habes in *L.* 15. *d. Test. l.* 6. §. *ult. d. Lib. & post. her.*

11. Sed utrius sexus melior est in Jure conditio? In universum par; nam accusatores naturæ sunt, qui discrimen urgent *l.* 4. *C. de lib. præt.*

12. Est tamen marium potior status, in his quæ ad dignitatem spectant *d. l.* 9. *juncta l.* 2. *R. I. l.* 196. *pr.* & §. 1. *d. V. S.* feminarum in excusandis imbecillitatibus *l.* 1. *d. Sc. Vellej. l.* 9. *in pr. d. jur. & fact. ignor.* eoque mitius in pœnis habentur *l.* 6. *pr. ad L. Jul. Pec. l.* 38. §. 2. & 7. *ad. L. Jul. adult. Nov.* 134. *c.* 10.

13. II. Homines sunt vel nati vel nascituri, & hi aut ventres aut postumi: Nati, legitimi vel illegitimi. de his vid. *p.* 1. *l.* 3. *tit.* 1. *n.* 14. & *seqq.*

14. Velim hic addas, matrem facere nothos & spurios §. 3. *Inst. de Sc. Orphit.* quia mater nunquam non certa est.

15. Hinc liberi extra matrimonium suscepti matris conditionem sequuntur, patris in matrimonio, 19. *h.* nam hoc jure gentium est nota certi patris, *l.* 5. *d. in jus voc.* cum alioqui ἑὸν γόνον ὅτις ἀνέγνω, nulli *suus genitor notus est*, Homerus.

16. Tempus minimum, quo partus in utero esse do-

debuerit, ut legitimus sit; est sex mensium sive dierum 182. cum parte diei sequentis *L. 12. b. l. 3. §. ult. d. suis & legit. hered. Hippocr. de part. septim. in pr.*

17. Longissimum tempus est decem mensium completorum *d. l. 3. §. pen. l. pen. C. de post. hered. instit.* quod spatium non est productum per *Nov. 39. c. 2.* neque enim ibi de termino nativitatis agitur, sed de commisso donationis propter nuptias, ad quod, ut odiosum, tempus aliquanto largius memoratur. Sand. *l. 7. t. 8. def. 10.*

18. III. Homines dividuntur in majores atque minores, & hiin puberes vel impuberes. Pubertas est prima, vel plena. Prima 14. plena 17. annorum exactorum, sive octavi decimi inchoati in maribus *l. 40. §. 1. d. Adoption.* in feminis prima pubertas 12. plena quatuordecim annorum est *l. 14. §. 1. d. Aliment. legat.*

19. Cur plena triennio distat in maribus & feminis, cum prima biennii discrimen habeat? Quia puellæ tanto celerius adhibeti possunt operis & servitiis, ut usus docet.

20. Impuberes sunt vel infantes, qui infra septennium *l. 1. §. 2. d. Administr. Tut.* vel infantiâ majores, & hi rursus vel infantiæ vel pubertati proximi, prout longius à septennio vel 14. annis absunt §. 10. *I. de Inutil. stipul.*

21. IV. Sunt homines vel sanæ mentis vel dementes, & hi, vel furiosi vel mente capti; Rursus hi vel penitus vel ex parte, defipientes, ut latius *dix. t. 3. Digress. c. 18.*

22. V. Sunt vel cives vel extranei; Cives apud Romanos olim erant trium generum, Quirites, Latini, Italici. Quirites, qui tribum juraque connubii, testamenti, tutelæ, mancipii habebant.

23. Latini, qui istis juribus carebant, attamen suffragia in centuriis ferebant & magistratus capiebant; Italici, qui suis legibus & propriis Magistratibus regebantur. Reliqui Provinciales, Magistratibus Româ mis-

missis gubernabantur. Sigon. *l.* 1. *de jur. Civ. Rom. c.* 21.

24. Postea omnibus indistinctè jus civitatis Romanæ datum est, ita ut cives nunc sint quicunque colunt orbem Romanum, sive qui in Republica sedem fortunarum suarum collocarunt *l.* 17. *h. t.* Appellantur etiam cives quandoque κατ' ἐξοχὴν, oppositè ad incolas, quo sensu agitur de illis *in tit. ad municip.* Extranei sunt, qui ad tempus in civitate versantur, cum animo eis breve abeundi.

25. Præterea sunt vel nobiles vel ignobiles; politici aut Ecclesiastici; cujusmodi differentia heic latius exequi non fert institutum, cum magis sint juris publici.

26. Differentiam hominum in liberos & servos, ingenuos & libertinos quæ quecohærent illis, absolvimus in Parte. I.

TIT. VI.

De his qui sui vel alieni Juris sunt.

PRimo, juris auctores differentiam generis humani in universum exposuerunt; nunc familiæ, quæ civitatis principium est, ordinem & imperium tradunt.

2. Pertinere autem hanc divisionem ad familiæ ordinem vel inde liquet; quod, qui sui juris sunt Patresfamiliarum & Matresfamiliarum vocantur, seu puberes sive impuberes sint *l.* 4. *D. h. t.*

3. Res monet, ut paucis de familia dicamus. Multis modis ea vox usurpatur. dix. *lib.* 2. *de Jur. Civ. cap.* 2. *n.* 5. Hoc loco est societas domestica, quæ Ulpiano definitur in *l.* 195. §. 2. *d. V. S.* Plures personæ, quæ sunt sub unius potestate natura aut jure sociatæ.

4. Si quis Ulpiano scopum familiæ ex Aristotele *cap.* 2. *lib.* 1. *polit.* adjiciendum putet, εἰς πᾶσαν ἡμέραν, usus quotidiani causa; is omnem rei naturam efficaciter exprimet.

5. Con-

5. Constituitur familia ex triplici Patris familias conjunctione, cum uxore, cum liberis, cum servis: adeo ut perfecta familia paucioribus quatuor personis constare nequeat, unaque deficiente fiat imperfecta. *Keckerm. c. 5. œcon.*

6. Sed hæc & alia hujus tit. exposita sunt in *part.* 1. *l.* 1. *tit.* 8. *& seqq.* Adde *l.* 2. *cap.* 1. *&* 2. *de jure civit.*

7. Causæ patriæ potestatis sunt tres, Nuptiæ, Legitimatio & Adoptio. De nuptiis alius locus est. De adoptione agitur *tit. sequ.* & de Legitimatione *ad tit. Inst. de Nupt.* §. *ult.* absolvimus.

8. Multi pro quarta specie legitimationis habent, quando pater in testamento aliove publico instrumento filium naturalem simpliciter nominavit filium, non addito, quod nothus aut naturalis sit, ex *Nov.* 117. *c.* 2.

9. At verius est, inde nasci præsumptionem, quod legitimus sit, ubi secus non probatur; in verbis, *aliam probationem non requiri.*

10. Genus Legitimationis à multis traditur, *Legis actio.* Vultej. *Jurisprud. cap.* 23. Treutler. 1. *disp.* 2. *thes.* 6. *a.* consentiente Bachovio; at certum est, omnes Legis actiones apud Magistratus populi Rom. solitas agi, formulisque solennibus, à quibus recedere non liceret, constitisse *l.* 2. §. 6. *d. O. I.* Brisson. 4. *antiq.* 20. at nulla species legitimationis coram Magistratu Romano fit, sed vel in Curia municipali, vel privato consensu, vel apud Principem; apud quem lege quidem agi potest, sed non per Rescriptum, quia in hoc nihil solenne est: & formulæ, quo tempore legitimationes sunt repertæ, sub Byzantinis Impp. erant abolitæ *tit. Cod. de form. & impetr. Jubl.* Proinde nullo sensu legis actio dicenda est, nisi abusivè: sed nec actus legitimus, sive hic opponatur legis actioni, sive idem sit.

11. At ipsa vox, ait Treutl. hoc arguit; scil: legitimatio nomen habet non à forma, quod sit actus legitimus, sed ab effectu, quia liberos facit legitimos; sic, cum

cum tutoris datio sit actus legitimus, hoc tamen non ad Legitimam tutelam, ut ex voce videbatur, sed ad honorariam pertinet *l.* 77. *d. R. I.*

12. Sane, actus legitimi sunt vetustioris instituti apud Rom. quam ut hoc nomen rebus Byzantii demum repertis convenire possit. Differentiam actionum Legis, actuumque legitimorum explicavimus *lib.* 2. *Digress. cap.* 12. & ad *tit. d. O. I. suprà n.* 28. *& seqq.*

13. Matrimonium subsequens avi cum sua concubina nepotem quoque legitimum reddere Treutl. *vol.* 1. *disp.* 2. *th.* 7. cum aliis tradit. *Bachovius* autem negat, *ibid.*

14. Sed quid causæ est, cur non hic, ut in toto jure, sub liberorum appellatione nepotes contineantur, ut sit in *l.* 220. *d. V.* S ?

15. Cum dicitur concubina, tunc omnes ex ea nati legitimantur, & verum utique est, nepotes ejus progeniem esse *d. l.* 220.

16. Quoties porro Lex simpliciter liberorum nomine utitur, omnes descendentium gradus intelligit *d. l.* 220. at hic simpliciter *liberos* habent *L. L.*

17. Patria potestas competit æque in nepotem ac filium; & legitimatio est causa patriæ potestatis, Ergo operatur æque in nepotem scil. ponere debes nepotem, qui sit filius legitimus sui patris jam mortui, ita ut hic natus e concubinâ, ab suo patre non fuerit legitimatus. Ita non obstant, quæ Vinnius habet ad *d.* S. *ult.* Dix. in *Prælect. ad. h. t.*

TIT. VII.

De Adoptionibus, & Emancip. & aliis mod. quib. Patria potest. solvitur.

HUic rubricæ satisfactum est in parte I. Quæ per testamentum fiebat adrogatio apud Romanos, imitamentum potius quam vera adoptio fuit, quia patriam potestatem dare non poterat, vid. *posit. ad. tit. I. de Adopt. n.* 13.

2. Ejusdem generis erat apud veteres Germanos adoptio *per arma*; cum juvenes è manu illustris alicujus viri, *equos, enses, clypeos & reliqua instrumenta bellorum acciperent*, ut est in epist. Theodorici Gothi, quam refert Olaus Magnus *l.* 8. *à pr.* quomodo & Justinianum ab Athalarico Gotho adoptatum narrat Cassiodorus *l.* 8. *var.*

3. Memoratur & Adoptio per capillum; Ritus erat, ut Principes juvenum cæsariem inciderent, quod *sumere* capillum vocabant, Paul. Diacon. *l.* 6. *de gest. Longobard.*

4. Refertur huc etiam à multis unio prolium, de quâ *inferius*.

5. Jure Romano non est dubium, quin nobilitatis & Patriciatus jus filio adoptivo à Patre communicetur *arg. l.* 35. & *l.* 43. *h. t. l.* 5. & 6. *d. Senat. l.* 8. §. 4. *Unde cogn. l.* 11 §. 2. *d. bon. poss. sec. tab.* nec obstat *l.* 23. *l. ult. h. t.* dix. *l.* 2. *Digress. c. ult.*

TIT. VIII.

De Rer. divis. & qual.

QUalitas rerum ex divisione naturaque specierum intelligitur. Divisiones in Inst. traditæ sunt, quas si quis conjungere & per διχοτομίαν succinctius ordinare velit, ita dicat.

2. Res sunt corporales vel incorporales. Illæ, mobiles aut immobiles; utræque sunt in patrimonio vel extra patrimonium.

3. Quæ sunt extra patrimonium vel nunquam in eo fuerunt, vel desierunt esse; nunquam fuerunt res communes quæ desierunt, hæ in perpetuum vel ad tempus exemptæ sunt dominio; in perpetuum res divini juris, ad tempus res hereditariæ & derelictæ.

4. Quæ sunt in patrimonio, sunt publicæ vel privatæ (nam publicas in patrimonio esse probat *l.* 1. *d. Interd. l.* 14. *d. A. R. D.*) publicæ iterum vel sunt tales in specie

specie, vel universitatum, quæ & publicæ dicuntur *l.* 17. *d. V. S.*

5. Privatæ res singulorum, habentur vel jure in re, vel ad rem, ut vulgo loquimur. de quibus omnibus dictum est, *tit. I. d. A. R. D.*

6. Res quæ constant, pondere numero atque mensurâ duplicem habent naturam; corporalem, quatenus tangi & cerni possunt certoque loco sunt circumscriptæ *l.* 30. §. 6. *d. Legat.* 1. & incorporalem, prout in quantitate consistunt. *l.* 94. §. 1. *d. solution.*

7. Divisionem rerum in corporales & incorporales hodieque in foris usum habere suum, diximus ad *tit. I. De reb. corp. & incorp. n.* 5. attamen sæpe fit, ut Statuta, quin & Testatores atque contrahentes universum patrimonium in res mobiles & immobiles partiantur; eo casu jura & actiones, sub mobilibus continentur, nisi reditus sint ex rebus soli, qui sequuntur jus earum rerum.

8. Imó quoties agitur de proprietatibus rerum mobilium & immobilium, sic usus & ratio fert, ut incorporalia sequuntur naturam mobilium rerum. Christin: ad L. Mechlin. *tit.* 11. *art.* 25. *n.* 8. 9. *tit.* 9. *art.* 8. *n.* 16. 20. Sand. *l.* 4. *tit.* 8. *def.* 7. *vers. aliud judic.*

TIT. IX.
De Senatoribus.

TRansitum facturus Imperator ad tractatum de judiciis, primo agit de Personis, à quibus judicia Romæ exercebantur, quas inter tempore Cæsarum erat Senatus, qui in veteri repub. non privatas controversias, sed publica tractabat.

2. Senatus est selectorum Virorum non plebejorum cœtus *l.* 238. *in pr. d. V. S. Pac. h.* Senatores hoc loco omnes, qui in Senatu dicere sententiam possunt, accipiuntur *l. ult. inif. h. t.* cum olim ii duntaxat Senatores fuerint, qui à Censoribus in Senatum lecti erant publici consilii causâ. Cujac *parat. h.* Valer.

lib. 1. *c.* 1. Gell. *lib.* 3. *cap.* 18. Festus *in verbo senatores.* Liv. *lib.* 23.

3. Denique tres sunt senatorum ordines, in primo illustres, in secundo spectabiles, in tertio clarissimi. Isidor. *lib.* 9. *Etymolog. c.* 4. § *primi ordines.* Omnes tamen vocantur clarissimi *Nov.* 71.

4. In Municipiis, quæ erant urbes Romæ subjectæ, erat ordo decurionum, qui fere illic idem erat, quod Romæ Senatus *l.* 239. §. 5. *d. V. S. junctâ L. omnes C. de Decurion.*

TIT. X.
De Officio Consulis.

SEnatus ordo est, & Senatores non sunt magistratus *l.* 7. §. *pen. d. interd. & releg.* Est autem Magistratus publica persona, cui publice judicium & jurisdictio data est, Cujac. *supra d. orig. jur.*

2. Suntque vel majores vel minores. Illi, quibus imperium & potestas competit *l.* 32. *d. injur. junctâ l.* 2. *d. in jus voc. & l.* 131. §. 1. *d. V. S.* Minores, qui imperium non habent, sed aliam Reip. procurationem *dd. ll.*

3. Utrique tam majores quàm minores, erant vel Urbani vel Provinciales: de quo genere utroque his titulis agitur; Urbanorum primisunt Consules. Quorum olim summa, sed annua potestas erat per omnes reipubl. partes.

4. Sub Cæsaribus per alios Magistratus vis consulum exinanita est, ut tantum Præsides Senatus manerent, & postremo nudum nomen dignitatis (unde in h. t. nihil iis quam voluntaria jurisdictio tribuitur) sub Justiniano habuerunt *N.* 105. *pr.* vid. Cujacius tamen in *paratit. h.*

TIT.

TIT. XI.
De Officio Præf. Prætorio.

RAtio hujus nominis; quia veteres, (ut ait Asconius) Prætorem dixerunt omnem magistratum cui pareret exercitus quasi *præitorem*; & prætorium, tabernaculum ejus, inde aula principis, prætorium dicta est: & præfecti prætorio, qui aulæ præerant.

2. Officium Præf. Præt. fuit judicare vice sacra, id est, Principis *C. Theod. d. appell.* Eorum formæ τύποι, ἀπαρχικὰ, *Cujac. b.* vim legis habent. *l.* 2. *C. de offic. præf. prætor. Orient.* & *Illyr.* adeoque summa rerum ipsis commissa fuit *l.* 40. *C. d. Decur.* unde non dubitandum, quin habuerit merum imperium *l. un. pr.* §. 1. & 2. *h. t.*

TIT. XII.
De Officio Præf. Urb.

OFficium Præf. Urbis fuit animadvertere in crimina; quæ intra Urbem vel centesimum milliare extra eam committerentur *l.* 1. *pr.* & §. 4. *h. t. l. ult. h.*

2. De pecuniariis etiam causis inter argentarios jus dicit *l. pen. h.*

3. Denique forum armentorum, carnium & disciplinam spectaculorum curat *l.* 1. §. 11. & 12.

4. In aliis causis civilibus nullam habet jurisdictionem, ead. *l. pen.*

5. Habet jus fustigandi, relegandi, deportandi, in metallum dandi, adeoque jus gladii *l.* 1. *pr.* §. 3. 4. & 10. *h. t.*

TIT. XIII.
De Officio Quæstoris.

QUæstores erant vel urbani, qui curam sanctioris ærarii in urbe habebant, vel provinciales, qui præsidibus aderant, ut reditus reip. colligerent.

2. Sub Principibus etiam Quæstores erant, qui candidati Principum vocantur. Hi in senatu Cæsarum literis, orationibus, & rescriptis legendis vacabant. *l. un. §. 2. & seqq. h. t.*

TIT. XIV.
De Officio Prætorum.

OFficium Prætoris fuit, jus dicere de rebus civilibus; nam de criminalibus nusquam judicasse legitur, imo non potuisse, probatur ex *l. 1. §. ult. d. Susp. Tutor.* § 10. & 11. *Inst. eod. d. susp. tut.*

2. Fuere tamen Prætores, quibus causarum criminalium quæstiones specialiter commissæ fuere, de quibus in *l. 2. §. 32. d. Orig. Jur.*

3. Ad prætores fiebat in jus vocatio, apud illos actiones edebantur *l. 1. d. in jus voc. l. 1. edend.* omniaque agebantur, quæ in Jure, sive pro tribunali facienda erant.

4. Sed cum ad ipsam causæ cognitionem erat ventum, delegabant judices pedaneos, qui cognitione exacte habitâ ferrent sententiam, quam Prætor exequebatur *l. 15. d. re jud. vid. infr. d. Jurisdict.*

5. Excipiebantur certæ causæ, de quibus ipsi Prætores cognoscere debebant, ut erant liberales sive status causæ *l. 32. §. 7. d. recept. arb.* ut & actio popularis *ibidem.*

6. Sed jure *C. per l. 2. d. ped. jud.* ipsi Magistratus causas cognoscere & judicare debent. *adde Wissenbach. p. 1. ad ff. disp. 16. th. 10.*

TIT.

TIT. XV.
De Off. Præf. Vigil.

OFficium Præf. Vig. erat curare, ne incendia in Urbe orirentur *l.* 3. *h. t.* eaque de causa fustibus aut flagris fures nocturnos cædi jubere poterat *l.* 4. *h. t.* ac etiam servos ultimo afficere supplicio *l. pen. d. cond. causa dat.*

TIT. XVI.
De Officio Procoss. & Legati.

PRovinciæ ex institutione Augusti sunt vel S. P. Q. R. vel Cæsaris. Qui in illas mittuntur, Proconsules vocantur; qui in hasce, Præsides.

2. Proconsulum officium est, omnia loco Principum gubernare *l.* 8. *h. t.* etiam de criminibus cognoscere & animadvertere jubere *l.* 6. *pr. h. t.*

3. Potestatem non exercebant, nisi cum in provinciam venissent, præter voluntariam jurisdictionem, quam statim ac urbe egressi sunt, habent. *l.* 2. *h.*

4. Munera illis accipere vetitum, munuscula, quæ hic Xenia dicuntur, non æque. De quibus vid. elegantem locum in *l.* 6. *ult.* §. *h. t.*

5. Procoss. adjunguntur Legati, quorum officium est, fungi vice procos. ubi ipsis adesse non licet, idque mandato Procoss. *l.* 6. §. 1. sine quo nihil habent proprium *l.* 13. *h.*

6. Ipsi tamen Legati aliquid habent proprium, velut tutores dare *l.* 15. *h.* quod competit illis ex oratione D. Marci *l.* 1. §. 1. *d. tut. dat.* hoc tamen ipsum non est iis proprium, nisi postquam Procos. jurisdictionem iis mandaverit *d. l.* 13. sic ut causa efficiens tutores dandi sit oratio Marci, causa sine qua non, mandatum Procos. quia tutoris datio ipsa mandari

dari nequit *l.* 1. *d. off. ej. cui mand. junc. l.* 6. §. 2. *d. tut.*

7. Apud Legatum Procos. nemo potest manumittere *l.* 2. §. 1. *h.* Imo potest, *l.* 17. §. 1. *d. Man. vind.*

TIT. XVIII.

De off. præf. Augusti.

PRæfectus Augustalis est, qui nomine Cæsaris præest Ægypto, quam ob momentum provinciæ seposuit Augustus & peculiari imperio complexus est, ut Suet. & Tac. tradunt. Ejus officium est simile Procons. *h. l. Un.*

TIT. XVIII.

De Officio Præsidis.

PRæses dicitur, qui totam regit Provinciam *l.* 1. *hic* tametsi, cum à Procons. distinguitur, is intelligitur, qui Cæsaris vice gubernat *l. pen. h.*

2. Generaliter igitur Præses est, omnis Præfectus supremus Provinciæ; specialiter, qui Cæsareæ provinciæ præest.

3. Dicuntur etiam Legati Cæsaris *l.* 20. *h. l.* 12. *pr. d. Accusator.* ubi præses opponitur Magistratui populi Romani, quemadmodum & in *l.* 3. §. 1. *Quod met. caus.* quod respicit divisionem provinciarum in Cæsareas & quæ populi sunt, cujus in *tit. de off. proconf.* meminimus & meminit Strabo in *lib. ult. sub fin.*

4. Alioqui Præsides esse Magistratus non est dubitandum, per *l.* 16. §. *ult. junct. l.* 42. *d. minor.* cum majus habeant imperium omnibus post principem *l.* 4. *h. t.* Imperandi autem jus maximè ad officium Magistratus pertinet, ut docet Aristotel. 4. *Polit. c.* 15. ubi τὸ γὰρ ἐπιτάττειν ἀρχικώτερον, *imperare vel maxime convenit magistratui.* Diss. Hotomannus 6. *obs.* 22.

5. Officium ejus est cognoscere de omnibus cum maxi-

maximo poſt Principem imperio *l.* 4. *l.* 10. *h. t.* & *ſeq.* habet jus gladii, dandique in metallum, quod eſt gravius deportatione *l.* 6. §. 8. *h.* tamen Præſidem deportare non poſſe nulla dubitatio eſt *l.* 2. §. 1. *d. Pœn.* quod mirum & contrarium videtur.

6. Sed tu dic, deportationem fuiſſe genus ſupplicii, quod perſonis notabilibus irrogabatur, & quod ideo Princeps reſervaverat ſibi, aut quibus id ſpecialiter demandaſſet *l.* 1. §. 4. *de Leg.* 3. *add. l.* 6. §. 1. *l.* 15. §. 1. *d. interd.* & *releg.*

7. Diſtinctionem inter Præſides univerſarum & ſingularum provinciarum, quam ex Emundo Merillio ſuggerit D. Wiſſenbach. *ad h. t. th.* 13. refutavimus *l.* 3. *Digreſſ. c.* 7.

TIT. XIX.

De Officio Procur. Cæſ. vel Ration.

OFficium Procuratoris Cæſaris vel ſimpliciter eſt rationale, ut præſit rei pecuniariæ Principis, de quo in *l.* 1. & 2. *h.* aut vice Præſidis fungitur, & tunc poteſt omnia, quæ Præſes *l.* 4. *C. ad L. Fab. d. Plag. l.* 2. *C. d. pœn. l.* 23. §. 1. *ff. de Appel.*

2. Talis fuit Pontius Pilatus, Judeæ Procurator, quem Matthæus Evangeliſta *Cap.* 27. *v.* 2. & Joſephus *lib.* 18. *Antiquit. c.* 5. vocant ἡγεμόνα, Præſidem Judeæ. Eumque Juriſdictionem ac Imperium, etiam merum exercuiſſe tota paſſionis Dominicæ hiſtoria loquitur: atqui Tacitus *lib.* 15. *Annal.* Procuratorem Pontium Pilatum appellat.

3. Prior per ſervum ſuum potuit Cæſaris hereditatem adire, quod privatis per procuratorem non licet. *l.* 1. §. *ult. h. t. junctа l.* 99. *d. Acquir. hered. l.* 77. *comm l.* 123. *d. R. I.*

TIT. XX.

De Officio Juridici.

NOn fuit satis Augusto sepositse Ægyptum, & magnatibus Romanis præcluisse; nisi ipsum quoque præfectum, quasi æmulo & custode appositio, cohiberet, qui fuit Juridicus Alexandriæ Metropoleos Ægypti, cujus officium fuit, jus dicere in illa civitate, etiam tutores dare & adoptiones permittere *l.* 1. & 2. *h. t.*

TIT. XXI.

De Officio ejus, cui mand. est Jurisd.

HActenus de Jurisdictione singulorum magistratuum; sed quia sæpe contingit, ut illi suas vices aliis mandare cogantur, ideo *hoc tit.* agitur de officio ejus, cui mandata est jurisdictio.

2. Mandatum scimus esse, cum quis rogatus ab alio, cujus proprium est negotium, id nomine ipsius gratis administrat.

3. Ex quo intelligimus, quid sit officium ejus, cui mandata est jurisdictio, facere scil. nomine & rogatu magistratus ea quæ ipse facere deberet *l.* 1. §. 1. *l.* 3. *h.* cujus ratio ex natura cujusque negotii pendet.

4. Longe aliud indicat *rubr. C. d. offic. ejus qui vic. alic. jus.* nam ibi de illis agitur, qui non rogatu magistratuum, sed voluntate Principis loco magistratuum provinciis præponuntur, eodem sensu, quo olim Proconsules, proprætores &c.

5. Dixi in mandato requiri, ut hoc quod geritur sit proprium mandantis negotium, cum ne tutor quidem, licet domini loco sit *l.* 27. *d. Administrat. tut.* mandatarium in rebus pupilli constituere possit, ut *dix. ad* §. *ult. Inst. de Curator.*

6. Hinc mandatarius mandatam sibi jurisdictionem rur-

rurſus alii mandare non poteſt *l. ult. pr. h. t.* nam hanc non habet *ſuo* jure *l. 5. d. juriſd.* & hinc quicquid mandatur, magiſtratui qui talis, competere debet, id eſt, jure magiſtratus ordinario; quæ verò ex ſpeciali lege certis Magiſtratibus commiſſa ſunt, ea mandari nequeunt, *l. 1. h. t.* velut animadverſio criminum, datio tutoris, conſilii exercitio, permiſſio alienandi res minorum *d. l. 1. & 2. n. 3. h.*

7. Habet tamen Mandatarius imperium mixtum, *l. 1. in fin. l. ult. §. 1. h.* poteſtque Judicem dare *l. 12. §. 1. d. judic. arg. l. 3. d. juriſd. in fin.*

8. Moribus, quia juriſdictio non ſolet eſſe penes ſingulas perſonas, ut Romæ, ſed penes collegia, mandata juriſdictio exiguum habet uſum, niſi in *commiſſariis* collegiorum juridicorum, qui notionem aliquando collegis, rarò aut nunquam aliis, mandant. Vid. tamen *Stat. Fr. l. 3. tit. 2. art. 3.*

TIT. XXII.
De Officio Adſeſſorum.

ADſeſſores ſunt juriſperiti, (modeſte ſtudioſi vocantur, ut ſapientiæ profeſſores, philoſophi *l. 1. h. t.*) qui magiſtratibus conſilii cauſa in judicando adjuncti erant.

2. Horum obſequium erat in cognitionibus, poſtulationibus, libellis, edictis, decretis, epiſtolis, quid jus & ordo judiciorum exigat, ſuggerere magiſtratibus; ita tamen, ut ſi quid erratum eſſet, hoc adſeſſoribus non magiſtratibus imputaretur *l. 2. D. Quod quiſque jur.* quia magiſtratus ſæpe legum erant imperitiores *Nov. 82. pr.*

3. Pro hoc officio ſalarium accipiebant, olim à magiſtratibus *l. 4. h. t.* poſtea ex publico *arg. l. 32. verb. ad ærarium D. ex quib. cauſis maj. l. 41. d. excuſ. tut.* & quidem totius anni, licet magiſtratus intra annum mortuus eſſet *d. l. 4.*

4. Ex ſuâ provincia non admittebatur Aſſeſſor *l. 3. h.*

3. *b.* at ex civitate ſua licebat adſidere, *l. ult. b.*

5. Advocati olim in eodem foro, ubi adſeſſores erant, eſſe non poterant. Sed hodie penitus Advocati eſſe prohibentur. *l. ult. C. eod.* In praxi jus vetus ſervatur.

6. Nam Adſeſſorum vicem apud nos gerunt, qui a judicibus inferioribus adhibentur in ſententiis ferendis, vulgo *Penſionarii*, quibus adeo commiſſi errores imputandi; verum ſi judices tantum petant conſilium ab hoc aut illo Juriſperito, quid in judicando ſequi debeant, ſuo periculo jus dicunt.

LIB. II.

TIT. I.

De Juriſdictione & Imperio.

POſt officia ſingulorum Magiſtratuum ſequitur poteſtas omnium, quæ eſt duplex, Juriſdictio & Imperium; quæ voces apud veteres ita differunt, ut Juriſdictio ſit poteſtas Magiſtratuum civilis in jure dicundo conſiſtens, Imperium poteſtas armata: Sigon. 1. *de jur. Civ. R. c.* 2. atque ita paſſim Juriſdictiones & Imperia diſtinguuntur.

2. Aliquando juriſdictio ſubjectivè dicitur regio certa, quatenus per eam jus dicitur, ut ſit hodie frequentiſſimè; etiam Plinius ita *l.* 5. *Nat. hiſtor. cap.* 20. *Ab eâ Doris*, ait, *incipit, ſed prius terga & mediterraneas juriſdictiones indicaſſe conveniat*; quæ tamen eſt popularis potius quàm Juridica ſignificatio. Quanquam extat veſtigium in *l.* 5. *d. Judic.*

3. Quemadmodum & altera, cum juriſdictio de ſumma principis poteſtate uſurpatur, ut apud Senecam 1. *de clem. qua ruant urbes, qua oriantur*; *mea Juriſdictio eſt.*

4. JCti

4 JCti ex arte ita non loquuntur, habent quidem aliquos hujus vocis usus, modice à genuino sensu, quo potestatem Magistratuum indicat, deflectentes, sed quos facile discernas, ubi occurrent: vide *l.* 11. *d. in jus voc. l.* 36. *d. Admin. tut. l.* 23. *C. de Pign.* Hahn. *ad Wesemb. de jurisd. n.* 2.

5. Cujacius definiendi summus artifex, *in parat. h. t.* Jurisdictio, inquit, est *Notio Jure Magistratus competens*; quæ utcumque brevis & primo auditu obscura definitio, concinna tamen est ad ordinem hujus tit. ideoque multis prolixioribus à nobis præfertur.

6. Genus apud Cujacium est Notio, quæ est de causis cognoscendi, judicandique potestas; eaque rursus duplex; est enim notio in specie ita dicta, vel Jurisdictio *l.* 5. *in pr. d. Re Judic. l.* 99. *d. V. S.*

7. Quæ in specie sic dicitur, est ea, quæ competit judicibus pedaneis & arbitris, etiam Episcopis, quorum notio vocatur *Audientia*, *tit. C. de Episc. aud.* omniumque aliorum, qui habent cognitionem sine executione.

8. Jurisdictio propria fuit Magistratuum. *l.* 5. *pr. l.* 15. & *l.* 57. *d. re judic. l.* 99. *d. V. S.* etiam municipalium *l.* 29. *ad municip. l.* 12. *h. l.* 3. & *l.* 19. §. 1. *d. Tutor.* & *Curat. dat.*

9. Differentiam Notionis & Jurisdictionis suggerit definitio in verbis, *jure Magistratus competens.*

10. Magistratus à summa potestate Reip. quæ olim Romæ penes populum, dein penes Imperatores fuit, constituuntur; Judices autem pedanei à Magistratibus ad singulas causas specialiter dantur & delegantur. *l.* 3. *h. t. l.* 46. *d. judic. l. ult. d. offi. Pret. l.* 15. *d. rejudic.*

11. II. Magistratus habebant tribunal *l.* 7. *d. Restitut. in integr.* & jurisdictioni præesse dicuntur *l.* 10. *d. Jurisd. l.* 81. *d. judic. l.* 1. §. 1. *d. Postul.*

12. Judices pedanei sic appellantur *in l.* 3. §. 1. *Nequis eum qui in jus vocat l.* 4. *d. tutor dat. l.* 38. §. 10. *d. pœn.* quod non in tribunali, edito loco, sed infra tribunal,

bunal, quasi ad pedes Prætoris jus dicebant, καθεδριακοὶ à Theophilo dicti.

13. Præterea, Magistratus vim ac necessitatem parendi judiciis addebant, atque ad eos fiebat in jus vocatio, qua inviti ad prætorem ire cogebantur *l.* 1. *d. in jus voc.* apud eos fiebat actionis editio, absentium citatio, aliaque plura, quæ olim in jure fieri dicebantur, de quibus, *vid. disp.* D. A. Matth. *de his quæ in jure fiunt. tract. de jud.*

14. Sed judex pedaneus, ubi ad causæ disceptationem erat perventum, accipiebat formulam à Prætore, secundum quam cognosceret & judicaret, quam egredi non poterat. *vid.* Brisson. *in voce, formula.*

15. His accedebat, quod judex suam sententiam non poterat exequi, verum ab eo, qui dederat illum, executio proficisci debebat *l.* 15. *d. re jud.* atque hæc facultas exequendi, pariter jure Magistratus competebat, *l. ult.* §. 1. *d. off. ejus cui mand. est jurisd.* neque tamen Jurisdictionis aut notionis in genere sumptæ fuit, sed Imperii, quod mixtum dici probabimus *infra.*

16. Ita jam liquet differentia, quam verba *jure Magistratus competens*, jurisdictioni præ Notione nudâ tribuunt. Verum est, illum morem dandi judices abolitum esse, per *l.* 2. *C. de judic. pedan.* ipsosque magistratus nunc esse judices; unde Rubrica *Cod. de Jurisdictione omnium Judicum.*

17. At inde tu collige, quicquid verba *jure Magistratus* inferre diximus, id jam generaliter cunctis judicibus convenire; at in Pandectis illa tamen prisca cognitu necessaria sunt.

18. Cæterum, ipsis Magistratibus nonnulla tribuuntur, quæ non jure Magistratus, sed ex speciali lege vel constitutione Principum illis competunt & quæ proinde jurisdictionis esse negantur.

19. Hujus generis est Tutoris datio *l.* 6. §. 2. *d. Tut.* Ratihabitio transactionis super alimentis testamento relictis *l.* 8. *d. transaction.* consilii exercitio & per-

permissio alienandi bona pupillorum atque minorum *l. 2. pr. & §. 1. d. off. ejus cui mand. est jurisd.* etiam merum imperium *l. 1. pr. eod. tit.* Legis actiones in specie ita dictæ, videlicet, adoptio, manumissio per vindictam, liberorum emancipatio *l. 2. 3. d. Off. Procons. l. 4. d. Adopt. l. 1. C. eod.*

20. Judicis dandi potestas est jurisdictionis *l. 3. h. t.* siquidem more & propter vim imperii conceditur, quæ est genuina descriptio jurisdictionis simpliciter dictæ *l. 12. §. 1. d. jud.* tametsi quibusdam Magistratibus maxime provincialibus, quibus olim forte non erat licitum dare judicem, id lege vel constitutione vel Senatusconsulto concedi solitum fuisse videatur *ex a. l. 12. §. 1.* Vinn. *de jurisd. c. 6. n. 4.*

21. Postremo ex his verbis *jure Magistratus*, intelligitur, aliam esse longe jurisdictionem, quam moribus hodiernis habent Comites, Barones, Nobiles, quibus hereditaria juris dicundi potestas in suas ditiones competit.

22. Etenim illi non habent eam jure Magistratus, quod nonnisi ab arbitrio ejus qui habet summam potestatem, pendet; sed jure quodam patrimonii, quod est in commercio, potest vendi & alienari, transitque ad heredes, recipit etiam divisionem una cum fundis & pagis; denique & acquiri ac amitti potest iisdem modis, quibus aliæ res quæ sunt in patrimonio: nominatim præscriptione temporis; quæ sunt omnia ab instituto Romanæ jurisdictionis, quæ nihil quam publica functio personalis est, alienissima.

23. Per omnem Europam ejusmodi hereditariæ jurisdictiones sunt diffusæ, præterquam in Anglia & in nostra Frisia, quæ est inter Flevum & Lavicam, ut observat Eques Tempelius Comm. de Belg. Fœder. *cap. de Frisia* qui & inde firmat, quod verissimum est, Saxones Anglos imprimis ortu Frisios esse.

24. Hæc

24. Hæc ad exegeſin definitionis; ſequitur diviſio quam primam ponimus in voluntariam & contentioſam. Illa inter partes conſentientes, hæc inter contradicentes & adverſus invitos exercetur; ad illam pertinet manumiſſio, adoptio & emancipatio, quæ hodie Legis actiones ſpecialiter appellantur *l. 2. d. Off. Proconſ.* cum olim omnes, quæ pro tribunali ſecundum formulas ſolennes inſtituebantur, Legis actiones ſint appellatæ *l. 2. §. 6. d. O. I.*

25. Contentioſa Juriſdictio conſiſtit in litibus controverſiiſque de meo atque de tuo, quibus forum omni die fervet. Etiam in talibus, ubi poteſt eſſe lis, etſi raro ſoleat, ut veniæ ætatis impetratio, tutoris datio, excuſatio à muneribus &c. *arg. §. 9. I. de L. Aquil.*

26. De legitimatione quod quæritur ad utram ſpeciem pertineat, ſupervacuum videtur, quia nulla ſpecierum, per quas fit Legitimatio, apud tribunal peragitur, ut rectè Sutholt *de jurisdict. th.* 23. & liquet ex eo, quod ad *tit. d. his qui ſui vel al. jur.* diximus.

27. Diviſio II. Juriſdictionis eſt in propriam & in alienam. Propria, quam quis habet ſuo jure, non beneficio alterius privati vel magiſtratus; nam à Principe eſt omnis in Republ. poteſtas *l. 5. h. t.*

28. Aliena tum eſt, quæ ab alio quam à ſumma poteſtate proficiſcitur, eſtque duplex, mandata vel prorogata.

29. Mandata, quando alius rogatu Magiſtratus partes muneris ipſius impiet *l. 1. & tit. d. off. ej. cui mand.* ad quem tit. de hac ſpecie diximus.

30. Juriſdictio prorogata eſt, quæ extra ſuos terminos partium conſenſu producitur, quod fit per *ſubmiſſionem* quam vocant, ſubjudice alieno, eamque vel cauſæ vel perſonæ.

31. Utriuſque quo requiſita ſunt 1. ut Magiſtratus, cui ſe partes ſubmittunt habeat jurisdictionem, alioqui arbitria. ſunt *arg. l. 3. C. de jurisd.* 2. Ut nulla inde confuſio in Republ. oriatur.

33. Hinc

32. Hinc non valet submissio causæ criminalis sub judicem, cui tantum civilis cognitio publicè data est, nec causæ forensis sub judicem merè politicum *l.* 61. §. 1. *d. Judic.* Confer. *l.* 74. §. 1. *Eod. l.* 28. *ff. ad Municip.*

33. Multo minus valet prorogatio de loco ad locum & de tempore ad tempus, quæ species à vetustis Doctoribus traduntur, per quas judici potestas fiat judicandi extra suum territorium, vel ultra tempus muneri suo præfixum; cum utroque casu magistratus non sit, verum privatus tantum. Nec obstat *l.* 2. §. 2. *d. Judic.*

34. Sed præcipuo usu est submissio personæ, cum quis promittit, se pariturum judici non suo; sive is plane sit extraneus, sive superior, cui tamen prima instantia subjectus non sit *l.* 1. & 2. *in pr. d. Judic. l.* 14. *b.*

35. Priore casu facta submissio non dat effectum jurisdictionis *l.* 18. *b.* nisi reus in territorio judicis prorogati reperiatur; aut domi, per requisitionem, à suo judice ita volente, ad prorogatum citatus sit. *arg. l. f. b. t. l.* 29. *C. de Pact.* Sand. *l.* 1. *tit.* 1. *def.* 3.

36. Altero casu submissio semper in effectum deduci potest, uti cum Frisius agricola vel oppidanus se Curiæ supremæ submittit, quod omni die fit.

37. Est & tacita prorogatio sive submissio, quæ fit per litis contestationem apud judicem alienum factam *l.* 18. *b. l.* 52. *d. Judic.* quam Reus postulat, non tamen per solam actionis editionem *l.* 33. *d. Jud.*

38. Divisio in civilem & criminalem jurisdictionem non est artis sed usus; Jcti criminalem potestatem nunquam Jurisdictionem, semper Imperium merum vocant in *l.* 3. *b.* & *passim*. Jus dicentis officium tamen etiam criminibus adscribitur *l.* 7. §. *ult. l.* 8. 9. *d. off. Procons. l.* 1. *in pr. d. off. ej. cui mand.*

39. Idem de partitione Jurisdictionis in ordinariam & Extraordinariam tenendum. Ordinariam vocant,

quæ sit ex ipso jure magistratus, & extraordinariam; quæ ex lege speciali. At quæ sunt hujusmodi, ea negantur esse jurisdictionis *l. 6. §. 2. d. Tutor. dat. l. 1. in pr. d. off. ej. cui mand.* continentur quidem jus dicentis officio, quod latissimum est *l. 1. h. t.* sed jurisdictio ex usu artis tantum est ordinaria.

40. Sequitur Imperium, quod est, potestas armorum, ut diximus *in princ.* & est duplex, mixtum atque merum *l. 3. h. t.*

41. Mixtum, est potestas adjuncta & quasi mixta jurisdictioni, cui addit vim exequendi atque coercendi *d. l. 3. l. ult. §. 1. d. off. ej. cui mand.* & sine hac nulla jurisdictio esse potest, ne quidem magistratuum municipalium *d. l. ult. l. 2. d. Jurisd.*

42. Nam & hi possunt pignus capere *l. 29. §. 7. ad L. Aquil.* dicere mulctam *l. ult. de decr. ab ord. fac.* modice castigare *l. 12. h. t.* in quibus & cæteris exequendi cogendique mediis Imperium mixtum consistit.

43. Noli tamen putare, mixtum imperium & Jurisdictionem esse rem unam eandemque, ut vult Cujacius 21. *obs.* 30. notatus à Wissenbachio *ad h. t. th.* 25. qui tamen *in th.* 31. laudat definitionem Cujacii, quæ sententiam illam præfert; cum ait, Jurisdictionem esse potestatem de causis cognoscendi, judicandi, judicatique exquendi.

44. Aliquando Imperium sumitur pro potestate excellenter dicta & Magistratibus Romanis non municipalibus propria *l. 8. d. off. Procons. l. 3. d. off. ej. cui mand. l. 12. § 1. d. Judic. l. 14. d. Rejudic.* nec alio sensu capienda *L. 4. h. t. l. 26. ad Municip.* ubi restitutio in integrum, mittere in possessionem & jubere caveri prætoria stipulatione dicitur esse Imperii magis quam Jurisdictionis.

45. Non certe Imperii mixti, cum nihil ad coercitionem pertineat, nisi cum reus ob contumaciam cogendus est ad cavendum & ad restituendum *arg. l. 5. pr. d. V. O. junctâ l. 7. in pr. d. damno. inf.* verum hoc inom-

in omnibus quæ sunt jurisdictionis, fit, *l. ult. §. 1. d. offi. ej. cui mand.*

46. Similiter missio in possessionem rei servandæ gratiâ nihil est aliud quam jubere in possessionem iri, quod fit ex Edicto, ideoque simplicis jurisdictionis est *l. 2. Quib. ex caus. in poss. eat. l. 7. in pr. d. damn. inf.* imperium in contumaces adhibetur *l. 3. in pr. Ne vis fiat ei.*

47. Sed mittere in possessionem judicati exequendi causâ recte ad imperium mixtum refertur *l. 15. d. Re judic.* & sic nihil jam turbat *l. 4. h. t.*

48. Magis impediet te *l. 3. h. t.* ubi mixtum imperium consistere dicitur in dandâ bonorum possessione. Atqui id nihil est aliud, quam adjudicare successionem Prætoriam & causâ cognita decernere pro tribunali, quo nihil liquidius ad jurisdictionem spectare potest *l. 1. §. 1. Quis ord. in bon. poss. serv.*

49. Pene liquet, mendosum esse textum *d. l. 3.* è ratione juris & contextu legis; E cunctis emendationibus Fabriana minimum turbat, pro *quod*, legendum esse, *quæ in danda &c. l. 4. conject. 4.* Vinn. de *jurisd. c. 7.*

50. Altera species Imperii dicitur Merum, quia non est mixtum jurisdictioni, sed ex lege speciali competit, non jure magistratus ordinario *l. 1. d. off. ej. cui mand.*

51. Hinc merum Imperium mandari nequit, nisi in casu absentiæ *d. l. 1.* neque aliter moribus hodiernis obtinet, ut videtur. Wissenb. ad *h. tit. th. V.*

52. Hoc etiam inde sequitur, concessâ à Principe Jurisdictione, merum Imperium non videri permissum; cum, quia non est species jurisdictionis, tum, quod specialis concessionis indiget *dd. ll.*

53. Est nihil aliud merum Imperium, quam gladii potestas ad animadvertendum in facinorosos *l. 3. h.* gladio tropice pro quavis animadversione graviori sumpto.

54. Nam tres quasi gradus sunt hujus imperii. 1. Species ultimi supplicii. 2. pœnæ mortis proximæ, ut damnatio in metallum, membri amputatio. 3. pœ-

næ leviores, ut relegatio, fuſtigatio, confiſcatio, infamia & ſimiles.

55. Bartolus & qui alii ad merum imperium referunt jus ferendi leges, imperandi vectigalia, non ſciunt dividere merum imperium à jure majeſtatis, quem errorem non ſoli Bartoliſtæ errant.

56. Porro, Etſi criminalis juriſdictio non ſit terminus Artis, ut diximus, vim tamen meri imp. hæc verba bene exprimunt; nam & cognitio de criminibus in imperio mero continetur *l. 1. pr. d. off. ejus cui mand. juriſd. l. 6. in pr. d. off. Proconſ. l. 1. §. 4. in fin. d. off. Præf. urb. l. 2. §. 23. d. V. I.*

57. Ne putes, merum imperium eſſe tantum executionem juriſdictionis criminalis, ſicut mixtum imperium eſt executio juriſdictionis civilis, ut poſt alios vult D. Schotan. *in exam. ad h. t.* incommoda quidem non foret ea traditio, ſi legibus probaretur.

58. Cæterum, cauſa Juriſdictionis eſt Princeps, ſive ſumma Reip. poteſtas, quæ tam merum imperium quam omnes alias poteſtates dat Magiſtratibus, hoc eſt, miniſtris ſuis imperandi.

59. Nota eſt quæſtio, ſitne merum Imperium proprietate Magiſtratuum, an uſu tantum & exercitio, ut ita proprietas competat Principi: Nota quoque ſponſio ſuper hoc quæſito Azonis & Lotharii, arbitro Henrico VI. Cæſare, quod & D. Wiſſenb. *refert comm. p. 1. ff. diſp. 6. th. 18.*

60. Qualis autem proprietas intelligetur? Eadem ſine dubio, quæ in *l. 5. h. t.* de Juriſdictione prædicatur, ubi opponuntur Juriſdictio, quam quis habet ſuo jure & alieno beneficio; ſcilicet alterius, quàm Principis, cujus beneficio cunctæ poteſtates deferuntur.

61. Quæ igitur non competit *alieno beneficio*, ſive per mandatum Magiſtratus, ſive privatorum ſubmiſſionem, ſed quæ immediatè à Principe venit, ea *proprio jure* competere dicitur. Atqui hoc evidentius de mero Imperio, quod ſpecialem ſummæ poteſtatis volun-

luntatem requirit, quàm de jurisdictione potest affirmari.

62. Qui potestatem non habet, inquam, alterius Magistratus aut privatorum beneficio, is eam suo jure habet *l. 5. h. t.* sed qui habet merum Imperium, non habet hoc alterius Magistratus aut privatorum beneficio. Ergo:

63. Enimvero à Principe concedi merum Imperium idque semper ab eo dependere fatemur. Ideoque si quis hanc ob causam jus Principis appellare velit proprietatem & quod Magistratus habet, exercitium, potest quidem; sed tunc idem de Jurisdictione omnique potestate dicendum, non de mero Imperio duntaxat, ut volunt dissentientes.

64. Ex his satis liquet responsio ad *l. 1. d. off. ej. cui mand. in* verb. *publici* judicii exercitionem.

65. Item ad id quod Vinnius *tract. de jurisd. c. 5.* opponit, *Qui proprium jus habet officii sui partes alii mandare potest l. 5. h. t.* quod tamen de imperio negatur *d. l.* 1. Negatur quidem, at non ideo, quia proprium non sit; verum quia ob momentum rei lex vult, ut per alium ne exerceatur.

66. III. Opponit Vinnius, cujus proprium est imperium, is quoque jus vitæ ac necis habet, quod Magistratus non habent. Quasi Jus vitæ necisque non plane diversum esset ab Imperio, cum sit inter jura majestatis, & Imperium sit ministerium infrà summam potestatem. Credo Henricum Cæsarem hæc etiam confudisse, cum sculnam malum exerceret.

67. Hæc de natura Jurisdictionis Imperiique meri atque mixti sufficiant. Ex eo quod causam utriusque diximus esse Potestatem summam, intelligitur, quo pacto finiatur Jurisdictio & Imperium.

68. Nam præter mortem Magistratus, quæ necessario personalem functionem extinguit, finis imponitur Jurisdictioni, elapso tempore, ad quod erat concessa; quomodo Prætoris jurisdictio terminatur anno *pr. Inst.*

de perpet. & temporal. action. in provinciis vero continuatur juris dicundi officium, donec advenerit successor *l.* 10. *d. offi. Proconſ. l.* 17. *d. offi. Præſ.*

69. Abdicare vero poteſtatem ante tempus non poteſt Magiſtratus, niſi cum Principis conſenſu *l. pen. d. off. Præſ. l.* 2. §. 24. *d. O. I.* ſed revocatione Principis, ſi hic velit uti jure poteſtatis ſuæ, proculdubio finitur, quatenus inferiores poteſtates perpetuo ab ſummæ poteſtatis arbitrio dependent, quomodo L. Silanus à Claudio adactus eſt ejurare Magiſtratum & reliquus Præturæ dies in Eprium Marcellum collatus eſt, referente Tacito *lib.* 12. *annal.*

70. Quatenus autem boni Principes jus ſuum metiuntur ex eo, quod facere debent, non ex eo quod poſſunt, ita non male ſtatuitur, ſine juſta cauſa eos non poſſe revocare Juriſdictionem: quemadmodum id ſane de hodiernis Juriſdictionibus hereditariis ſimpliciter affirmandum eſt, eas non magis à Principibus adimi poſſe, quam reliqua omnia, quæ ſunt in patrimonio ſingulorum. D. Böckelm. *adh. tit. n.* 25.

71. De hac ipſa Patrimoniali Juriſdictione accipendum, quod vulgo traditur, eam præſcriptione finiri & acquiri, quod jam ſuperius dictum eſt. Nam ea quæ pendent ab arbitrio ſummæ poteſtatis, præſcriptioni neutiquam ſubjecta ſunt *l.* 6. *C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *annor.*

72. Sed hoc merito quæras; an ſaltem ratione officii Magiſtratus præſcribere poſſint, ut id latius extendatur, ſive quod ad partes ſubjectivas, hoc eſt, territorium, ſive quod ad partes attinet potentiales, id eſt, exercitium muneris ſui.

73. Dicendum, reſpectu civium aliorumque Magiſtratuum, nihil obſtare, quominus illa præſcriptio valeat; reſpectu Principis, ne ſic quidem præſcriptionem habere juris effectum, ob eandem ex *d. l.* 6. rationem, & quod in omni præſcriptione requiritur animus proprio nomine agendi atque poſſidendi *l.* 2. C. *de Præſcript.*

script. 30. *vel.* 40. *annor.* Magistratus autem non aliter, quam ut ministri summæ potestatis suum munus exercent, ideoque nihilo magis præscriptione valent, quam coloni aut inquilini, vel qui precario possident contra suos dominos.

TIT. II.

Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.

SEquentur edicta quædam ad tuendam Jurisdictionem comparata, quorum primum est de albo corrupto in *l.* 7. *d. jurisdict.*

2. Qui corrupit album Prætoris, hoc est, Tabellam dealbatam continentem ea, de quibus prætor jus erat dicturus, mulctatur 50. aureis *d. l.* 7. Analogicè ad violatores omnium Edictorum spectat.

3. Alterum edictum *hujus tit.* est adversus eos, qui jus novum, id est, iniquum in alterius fraudem statuerunt vel impetrarunt. Ex jure statuto tenentur Magistratus, ex impetrato litigantes, sive usi eo fuerint, sive non, *l.* 1. *l.* 3. *pr. h.*

4 Pœna utriusque est eadem; τιμωρεῖται τῇ ταυτοπαθείᾳ, scribit eleganter Harmenop. *lib.* 1. *tit.* 1. quod is qui in hoc edictum incidit, eodem jure, quod statuit aut impetravit, uti debeat, quicunque adversarius id quocunque tempore postulaverit *l.* 3. §. 2. *h.* non modo respectu juris quod pridem habuit, sed & quod postea consequetur *d. l.* 3. §. 6.

6. Quin & heredi ipsius actio denegabitur aut exceptio nocebit, *d. l.* 3. §. 5. etsi pœnales constitutiones adversus heredes alioqui non extendantur *l.* 35. *d. O. & A.*

7. At sciendum, heredem magis per consequentiam juris contrà defunctum commissi quam per modum pœnæ directæ teneri, confer *l.* 14. *d. Publ.*

8. Accedit hujus edicti æquitas ſumma naturali dictamine & Servatoris Chriſti ὁμοψήφῳ laudati; ne quis ſibi putet injuriam fieri, in eo quo alterum prius affecit.

9. Unde hodieque ſuum uſum habet. Ex. gr. Arreſtis contra perſonas non utimur in Friſia, utimur tamen adverſus eos populorum extraneos, qui contra nos utuntur. *Sand. l. 1. t. 17. def. 3.*

TIT. III.

Si quis jus dicenti non obtemperavit.

Qui jus dicenti non obtemperavit, id eſt, qui non fecit quod ultimum in juriſdictione eſt, is tenetur in id quanti ea res eſt; quod hoc loco ſignificat pœnam arbitrariam *l. un. §. ult. h. t.* add. *l. 1. inpr. cum §. fin. Ne vis fiat qui in poſſeſſ.* cum alioqui hæc phraſis idem cum eo quod intereſt ſignificet *l. 7. §. 2. quod falſ. tut. aut.*

2. Quis autem non fecit id, quod extremum eſt in Juriſdictione? qui rem adjudicatam alii, ſive actor ſive reus, duci vel ferri paſſus non eſt, qui ſe executioni oppoſuit. Verba textus in *l. 1. §. 1.* hoc modo exaudienda; *veluti, ſi quis rem mobilem vindicari à ſe paſſus non eſt, ſed duci eam vel ferri paſſus eſt*; hactenus bene, non incidit in hoc edictum, adhuc quidem; *cæterum, ſi & ſequentia recuſarit, tunc non obtemperaſſe videtur*: quando non paſſus eſt rem duci vel ferri, tum incidit in hanc actionem.

3. Atqui executio eſt mixti Imperii; quomodo igitur, qui ſeſe executioni oppoſuit, non feciſſe dicitur, quod eſt extremum in Juriſdictione? Apparet, vocabulum juriſdictionis heic ſumi, pro jus dicentis officio. *l. 1. d. Juriſd.*

4. Eadem vox Jurisdictionis per excellentiam arguit ſolis Magiſtratibus Rom. non municipalibus, multo

multo minus pedaneis licere hujusmodi exercere judicium *pr. h.*

5. Unde tamen non sequitur, Magistratum hic esse actorem aut ex officio pœnam exigere; sed adversario in adversarium competere hanc actionem, ex §. *ult.* perspicue colligitur; neque enim alias quæri potuisset, utrum id quod interest, an mera pœna hic versetur. *conf. l. pen.* §. 1. *Ne quis eum qui in jus &c. l.* 12. *d. in jus voc.*

6. Populare quoque judicium esse non videtur, cum, quia non exprimitur, ut in *l.* 7. *pr. d. jurisd.* tum quod res inter privatos agitur.

7. Neque tamen Magistratus ex Officio prohibetur in procaces suæ jurisdictionis contemptores ex officio animadvertere; ne quidem, ut videtur, Magistratus municipalis, salvo appellationis beneficio.

TIT. IV.

De in Jus vocando.

IUdicium incipit ab in jus vocatione, sine qua nullo modo, in invitum, consistere potest §. *ult. I. de pœn.. tem. litig.*

2. Est autem in jus vocare nihil aliud, quam adversarium vocare ad eum qui jurisdictioni præest; juris experiundi gratiâ. *l.* 1. *h. t.*

3. Olim fiebat privato actoris arbitrio, etiam obtorto collo, si reus sequi nollet ex XII. tabb. Gell. *l.* 20. *c.* 1. Horat. *l.* 1. *Sat.* 9. *in fin. arg. l.* 18. & 21. *h. t.* jure novo fit per viatores vel per Edicta *Nov.* 53. idque rectius quam auctoritate manuque privati.

4. Prohibentur in jus vocari quidam plane, quidam certo modo. Penitus prohibentur Magistratus majores, qui funus prosequuntur, qui sacris adsistunt, qui uxorem ducunt, qui in jure stant, *l.* 2. 3. 4. *h. t.* denique, nemo de domo sua regulariter in jus vocari potest *l.* 18. & *l.* 21. *h. l.* 103. *d. R. J.*

5. Prima & ultima prohibitio hodie non tenent, quia in utrisque cessat ratio juris Romani; Magistratus majores olim non habebant tribunal superius, ad quod citari possent; hodie secus est, quia non singulæ personæ, sed universa collegia habent Jurisdictionem, & singula membra collegio subjecta sunt. *Ita fit omni die.*

6. Citationes ad domum ubique gentium receptæ sunt; nec puto recentiori jure civili illicitas fuisse, cum mos ille trahendi invitos ad tribunal sublatus esset; nam eo spectat ratio, quæ redditur in *d.* l. 18. quia domus tutissimum cuique refugium sit, & in *fin. d. l.* 21. *de domo suâ nemo extrahi debet.*

7. Certo modo prohibentur parentes & Patroni; scil: absque veniâ Prætoris, sub pœna 50. aureorum *l.* 10. §. *pen. & l. pen. h. t.* imo generaliter, quibus reverentia præstanda est, aliter vocari nequeunt *l.* 13. *h.* quod de reverentia proxime ad eam, quæ Parentibus & Patronis debetur, intelligendum esse vult ratio & usus.

8. Nam etsi ratio impetrandæ veniæ fuerit olim mos ille rapiendi in jus, tamen & alia fuit, quæ etiamnum obtinet, ut Prætor videret, an famosa actio institueretur *l.* 10. §. 12. *h. t.* Mulcta 50. aureorum hodiè, quod sciam, non exigitur; neglectu tamen magis quam derogatione Juris.

9. Diversa ab in jus vocatione erat citatio absentium, quæ fiebat post litem contestatam, vel etiam ante, postquam litigantes in jus venerant, actione jam editâ, satisdationibus aliisque judicii præambulis jam peractis, quæ tradit D. A. Matth. *d. tract. disput.* 7. usque *ad th.* 43.

10. Hæc citatio fiebat voce præconis *l.* 7. *in integr. restit.* vel potius legitimis Edictis *l.* 68. *& seqq. d. judic. Nov.* 112. *c.* 3. Ordo eorum est, ut si ad primum Edictum non veniat reus, post denos dies alterum & dein tertium proponatur; si nec tum adsit, peremptorium impetratur, quod adversarium non patitur diutius tergiver-

tergiverſari, & quo minatur judex ſe, abſente reo, in causâ proceſſurum *dd. ll.*

11. Poteſt etiam prætor vel judex poſt duo vel unum Edictum dilatorium, concedere peremptorium, quod vocatur unum pro omnibus, prout cauſæ, temporis aut perſonarum ratio exigat *l.* 72. *d. judic. l.* 1. & 2. *d. Jer.* Quoad uſque autem procedatur adverſus eum, qui citatus non ſtitit ſeſe, infra videbimus.

12. Ab Interpretibus communiter & uſu fori, per omnem Europam ipſa in jus vocatio appellatur Citatio, eamque dividunt in ordinariam vel extraordinariam: ordinaria fit per viatorem, ut dictum; extraordinaria, quæ & publica, fit per edictum publice affixum, tubam, aut ſonitum æris campani.

13. Sed hæc non fit, niſi certis in caſibus, cum ordinaria recte fieri nequit, velut ſi reus certo careat domicilio, aut eludat ordinarias citationes, vel extraneus ſit, in quem licet certo loco habitantem juriſdictio ex habili causâ jam fundata eſt.

14. Sæpe etiam adverſus extraneos citatio requiſitoria inſtituitur, quæ ſi à Magiſtratu, cui reus ſubjectus eſt, requiſito non fiat, ulterius procedi nequit.

15. At citatione per Edictum facta, licet Magiſtratus loci noluerit eam inſinuari, tamen procedit judicium, ac ita fert uſus, ſuppoſito, juriſdictionem eſſe fundatam.

16. Hinc patet, eum qui citationem per Edictum impetrare poteſt, ſi requiſitoriam petat, ut minuendi ſumptus cauſa ſæpe fit, effectum rei ſuſpendere ab arbitrio Magiſtratuum quos requirit: Rurſus, quando quis Edicto citatur, non eſſe neceſſum, ut citatio per Judicem loci Reo inſinuetur; ſufficit eum quovis modo certiorem fieri, ſi poteſt reperiri; ſi non, Publicatio Edicti ſufficit; ac ita in *foro* noſtro uſus eſt.

17. At merito quæras, unde diſcernetur exactè, utrum Edictalis, an requiſitoria locum habeat? Caſus quibus Edicto poteſt citari extraneus præter eos, qui

fuere

fuere *n.* 13. primus est, cum judicium jam inchoatum est, quoties ob incidentes causas nova citatione opus est. 2. qui in rem actione convenitur, ratione rei sitæ, *l. ult. C. ubi in rem act.* 3. Qui contraxit in aliquo loco, si bona ibidem sita habeat *arg. l.* 19. §. 1. *d. Judic.* 4. Arrestum, quia moribus, induit naturam actionis in rem, eo interposito, quilibet debitor Edicto citari potest; loquor de arresto rerum 5. Connexio causæ, quæ inter plures consortes vertitur, idem efficere potest, per ea, quæ dicentur ad *tit. de quib. caus. ad eund. jud.*

18. Extra hos casus submissio locusve contractus non tribuit causam citationi per Edictum, quia non tribuunt jurisdictionem, nisi Reus in jurisdictione alterius judicis deprehendatur, ut dix. *in tit. de Jurisd. n.* 35. & dicetur in *tit. de Judic. infra.*

19. His igitur casibus requisitio necessaria est; quæ & prioribus adhiberi potest, nec judex requisitus causam recusandi habet; si tamen recuset, ut fit aliquando, judicium absque citatione perfecta procedere nequit. Ideo tutius, inquam, est Edictum.

20. Quod tamen usu venit, non nisi in diversis Rebus publ. si in eodem Imperio res accidat, cunctis illis casibus requisitio faciendæ; quam si requisitus judex neget, à superiore cogetur.

21. Ordinaria citatio rursus dividitur in dilatoriam & peremptoriam; duæ priores sunt dilatoriæ, tertia peremptoria, fere sicut est in *l.* 68. *& seqq. de Judic.*

22. Jure civili in reum contumacem, qui se nunquam stitit, non fertur sententia, sed tantum, si post litem contestatam fuerit contumax. *Nov.* 69. *c.* 3. de quo casu agitur *in d. l.* 68. *& seqq.* ubi & Edictum, sive, ut nunc loquimur, instantia circumducitur, si actor post litem contestatam abfuerit.

23. Hoc hodie in nostro foro statim quoque à primâ citatione fit; ut si actor ipse non sistat se, tum reus petat, instantiam circumduci, actorque omnia redordi-

ri de-

ri debet, impensis reo solutis. Gudel. *l.* 4. *de jur. novissi. c.* 6. *in fin.* Reo non veniente ad primam citationem, quid jure civili & moribus obtineat; Videbimus ad *tit. Si quis caut. jud. sist.*

24. Cum citatio sit primus actus Jurisdictionis, concedi potest ab omnibus, qui habent jurisdictionem, sive judex ordinarius sive mandatarius vel delegatus sit, & hic non pro suo sed pro ejus imperio agit, cujus mandatu jus dicit, *l.* 3. *d. off. ej. cui mand. C. Sane quia nos* XI. X. *de off. deleg.*

25. Id omni die usum habet in Commissariis, qui à collegio Judicum delegantur, inde ab initio vel post litem contestatam, ut causam cognoscant & in statum judicandi deducant, aliquando & sententiam ferant, ut fit in judiciis quibusdam summariis.

26. Delegatus tenorem mandati sui literis citationis inferere debet *arg. d. l.* 3. & *cap.* 11. nam si de mandato non constet, parere nemo cogitur *c. cum in jure* X. *d. t. de off. deleg.* ubi id exstat, etiam partes multâ dictâ aliisve mediis prætoriis cogi possunt, etsi mandato id non fit expressum *cap. præterea* §. *eod. tit.*

27. Continere debet citatio ordinaria narrationem causæ, ex quâ reus cognoscere queat, utrum cedere debeat an contendere, quod jure civili fiebat libello peculiari *Auth. offeratur. C. de lit. contest.* Moribus, inquam, citatio & illa causæ narratio iisdem literis comprehenditur.

28. Sed judices delegati summam mandati sui referunt, non plenam causæ expositionem, cum hanc actor in ipso auditorio sit explicaturus; interim delegatus id agit primo, ut partes ad amicam transactionem invitet.

29. Huic est consequens, non teneri citatum incontinenti respondere, sed petere posse tempus deliberandi, non quidem spatium viginti dierum ex *auth. offeratur*, *C. de lib. cont.* quæ non est in usu; attamen non minus temporis quam citatio, quæ fit ad judicem ordina-

dinarium, cum narratione cauſæ, præcedere debet diem judicii; quod apud nos eſt octidui *l.* 3. *Stat. Fr. tit.* 9. *art.* 4.

30. Idem erit apud ordinarios judices, ſiquidem ab illis citatio abſque narratione cauſæ emiſſa fuerit; ut apud nos faciunt quilibet judices inferiores *d. l.* 3. *Stat. Fr. tit.* 2. *art.* 25.

31. Nomina partium, qualitates eorum, Judicis, loci, temporiſque mentionem fieri oportere in citatione, res ipſa loquitur.

32. Petere poteſt citationem: (nam ad petitionem partium conceditur *l.* 68. *& ſeqq. de Jud.* non aliter, niſi extra ordinem magiſtratus ex officio aliquem vocet, ut fit *l.* 13. *in pr. d. off. præſ.*) quicunque habet perſonam ſtandi in judicio *l.* 1. *&* 2. *C. Qui legit. perſon. ſtand.*

33. Modus petendi in pleriſque Curiis eſt hodie per libellum ſupplicem, in quo cauſa narretur, & ex libello dein citatio per ſcribam judicis componitur, quæ citatio *libellata* vocatur.

34. In dicaſteriis inferioribus fit citatio per apparitorem, conſenſu judicis obiter impetrato, utique ſic apud nos 3. *Stat. c.* 2. *art.* 25. ubi inferior judex libellum ſupplicem exigere prohibetur. Idem de variis Germaniæ locis teſtatur Cl. Bökelm. *ad h. tit. th.* 7. *in pr.*

35. Citari poſſunt, qui non prohibentur, & qui prohibeantur, id dictum ſuperius, quibus addendi omnes, qui non habent legitimam perſonam ſtandi in judicio, de quibus *infra ad tit. de Judic.*

36 Perſonæ autem, etſi plures, nominatim exprimendæ ſunt; generalis complexio ſub qualitate heredum aut ſimilis non ſufficit, quia reus certus eſſe debet & ſe peti & à quibus petatur *arg. d. auth. offeratur.*

37. Effectus in jus vocationis eſt, præter eum, quem tit. ſext. habebimus, quod operatur præventionem caſu duplicis fori (non litis pendentis *Sand.* 1. 7 1.) & perpetuet juriſdictionem, ſuperveniente licet fori privilegio

legio *l. 7. d. Judic. l. ult.* §. 1. *C. h. t.* nihil obstante *l. 12. ff. Si quis caut. in jud. sist.* quod in rei vindicatione rem facit litigiosam *auth. litigios. C. d. litig.* interrumpat præscriptionem *l. 2. inf. C. de annal. except. l. 7. in pr. C. de Præscr.* 30. *ann.* quæ interruptio non fiebat olim privata in jus vocatione, *l. 4. pr. Ne quis cum in jus voc. l. 3. pr. De eo per quem fact. er.*

38. Vitiosa citatio convalescit, cum Reus se sistit *l. 1. §. 1. d. Fer.* nec quidem admittendus videtur ad excipiendum contra citationem. Mynsing. *cent. 2. obs. 18. n.* 3. quod tamen indistinctè vix obtineat.

39. Denique citatio à quibusdam dividitur in Verbalem & Realem, Illa, quam habuimus: hanc vocant Arrestum; Divisio hæc non est, sed Arrestum fit cum citatione; ipsa citatio esse nequit.

40. Ob affinitatem tamen paucis de eo loquemur, Finiamus Arrestum, quod sit detentio personæ aut rerum debitoris, facta per creditorem autoritate Magistratus, cum in jus vocatione.

41. Estque duplex, personæ aut Rerum. Quod ad personale attinet, jure civili talis detentio non potest fieri, nisi debitor fugæ sit suspectus *l. 10. §. 16. de His quæ in fraud. cred.* nec tum dimittitur, nisi gemina cautione præstitâ, judicio sistendi & judicati solvendi. Sand. *l. 1. decis. tit. 17. def. 2. in pr.*

42. Moribus hodiernis, arresta fiunt passim adversus extraneos etiam non fugitivos aut vagabundos, duntaxat ad fundandam jurisdictionem, licet in Frisiâ non aliter, quam ut dictum ad *fin. tit. Quod quisque jur. in alt.*

43. Qui sic arrestantur, defungi possunt (*apud nos haud alibi*) cautione solâ judicio sisti, & si fidejussorem invenire nequeant jurejurando liberantur, cum electione domicilii citationis causa, nisi debitum sit liquidum: tunc enim deficiente cautione detineri potest, donec satisfecerit debitor, tam pro sorte quam pro expensis. Sand. *d. decis. 2.*

44. Ar-

44. Arreſtum Reale frequentioris uſus eſt etiam in Friſia; licet in jure civili nullum habeat fundamentum. Fit, quando creditor per judicem inhibet ei, qui res aut pecunias debitoris ſui tenet eive debet, ne reſtituat res vel ſolvat, donec ſibi ſatisfactum ſit. Sand. *d. tit. def.* 1. Peck. *de jur. Siſt. c.* 4 *n.* 11.

45. Ut hoc effectum habeat, quatuor requiſita concurrere debent I. autoritas judicis, cujus imperio inhibitio fieri debet.

46. II. Citatio, ut is cui inhibitio non ſolvendi fit, in jus vocetur, die certo.

47. III. Intimatio, quæ fiat debitori, cujus præcipuè intereſt. Nec eſt hæc citatio, ſed tantum ſignificatio, facta per talem, cujus relationi publica fides conſtet.

48. IV. Confirmatio judicialis, qua Arreſtans proteſtatur in judicio de effectu Arreſti.

49. Horum unum ſi deſit, Arreſtum eſt nullum; obſervatis illis, debitor in loco arreſti & in tempore ſe defendere debet, aut pati, ut ex rebus arreſtatis creditori ſatisfiat. Peck. *d. loc.* Sand. *d. t. def.* 1.

TIT. V.

Si quis in jus vocatus non ierit, ſive quis eum vocaverit, quem ex Edicto non debuerit.

BImembris eſt hæc rubrica; ſed parti ſecundæ titulo præcedenti ſatisfactum eſt.

2. Parte prima cautum, ut is qui in jus vocatus venire noluit, pro arbitrio judicis multetur *l.* 2. *pr.* & §. 1. *h.* tametſi non fuerit Juriſdictioni ejus, ad quem vocabatur, ſubjectus *in fin. d. pr.* ne contemſiſſe majeſtatem Prætoris, ſibique arbitrium juriſdictionis ſumpſiſſe videatur *l.* 5. *d. Judic.* quod in urbe Roma, ubi Prætores multi jus dicebant, & alias de civibus ejuſdem loci non eſt mirum.

3. Attamen, ſi quis ab eo, qui in diverſo territorio jus

jus dicit, citetur, cui nec immediate nec mediate est subjectus, res loquitur, ibi non esse locum huic pœnæ *l. ult. d. Jurisdict.*

4. Cessat etiam, si quis rusticitatis errore non venerit, aut nihil actoris interfuerit *d. l.* 1. §. 1. etiam sane excusatur is, qui ex Edicto Prætoris vocari non debuit *arg. l.* 1. §. 2. *cum l.* 2. *tit. seq. junctâ l.* 11. *tit. præced.*

5. Atque ad hunc casum refert Pacius partem alteram hujus Rubricæ; sive quis eum vocaverit, quem ex Edicto non debuerit.

TIT. VI.

In jus vocati ut eant, aut satis vel cautum dent.

NOn erat tam importunum jus vetus, ut vocatos è vestigio sequi oporteret; etenim, si idoneè caverent judicio sisti, erant dimittendi; alioqui injuriarum actor tenebatur *l.* 5. §. 1. *Qui satisf. cog.*

2. Imo, qui à necessariis personis non acceperit quamlemcunque fidejussorem, is 50. aureis mulctatur *l.* 1. *&* 2. *h. t.*

3. Vocati in jus, ita ut dictum, à privatis, sequi debebant, aut fidejussore aliave cautione diem judicio sistendi constituere *hoc tit.* de modo autem cavendi inferius dicetur.

4. De die litigatores conveniebant; si nihil esset dictum, in potestate stipulatoris erat, sumere diem, non excluso tamen Prætoris aut judicis arbitrio *l.* 8. *pr. Qui satisd. cog. l.* 1. *Si quis caut. jud. sist. caus. fact.*

5. Jure novo hodie indulgetur reo spatium XX. dierum ab actionis editione; ut deliberet, cedere velit, an contendere Auth. *offeratur C. de lit. conteſt. N.* 53. *c.* 3. quod in foro non servatur.

6. Præterea, Actor reum in jus vocaturus, ab eo qui Jurisdictioni præest, viatorem seu executorem postulat, per quem libellus conventionis ab actore ac-

ceptus ad reum defetatur. *d. N. 53. cap. 3. Nov. 79. cap. 3. Nov. 96. & Nov. 112. cap. 2.*

7. Sed cum privatæ in jus vocationes amplius non fiant; sequitur nec satisdationes esse in usu hodierno, nisi in casu arresti, de quo superius dictum.

TIT. VII.

Ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat.

QUi alium per vim aut dolum malum exemit aut impediit, ne vocatus in jus veniret, tenetur actione in factum, in id quanti res ab actore æstimata fuerit, non excluso tamen judicis arbitrio *l. 3. §. ult. l. 4 pr. l. 5. §. 1. h.*

2. Datur hæc actio etiam ei, qui per calumniam aliquem vocavit; nec enim privati erat, id arbitrari *d. l. 4. §. 1. & d. l. 5. §. 1.*

3. Non tamen, si vocata sit persona, quæ vocari non poterat *l. 1. inf. l. 2. f. h. t.* nec si in aliud forum; quam debuerat, sit vocatus *d. l. 2.*

4. Datur & adversus plures in solidum, sic ut unius solutio reliquos non liberet *l. 5. §. 3. h. t.* Heredibus datur; in heredes & post annum non datur *d. l. 5. §. ult.*

5. Hodie hæc actio non habet usum, nisi in arrestis; nam qui debitorem detentum aut res arresto præclusas eximit, æquè in id quod interest tenetur. Peck. *d. tract. c. 33.*

6. Sic, qui debitorem fisci detentum eximit, vice debitoris, fisco tenetur *l. 2. C. de Exact. trib.* idemque in privatis obtinere vult Groenewegius *ad d. l. 3.*

7. Reos quoque criminum si quis eximat, minime impune feret, qua de re *ad tit. de Custod. reor.*

TIT.

TIT. VIII.

Qui satisdare cogantur, vel jurato promittant, vel suæ promissioni committantur.

QUos reputatio dignitatis è vestigio vocantem in jus sequi prohibebat, hi satisdabant judicio sisti, ut diximus *ad tit. in jus vocati ut eant.*

2. Satisdare autem dicimur adversario, cum eum pro eo quod à nobis petiit, securum facimus, ut satisfacere dicimur ei, cujus desiderium implemus. *l.* 1. *h. t.*

3. Utrumque & satisfacere & satisdare non modo datis fidejussoribus, sed etiam fit pignoribus aut repromissionibus, quomodo voluit creditor *l.* 9. §. 3. *d. pign. act. l.* 21. *d. Constit. pecun. l.* 61. *d. V. S.*

4. Propriè tamen & strictè satisdatio de fidejussoribus accipitur *l.* 1. *in fin. h. t.* cavere generaliter *l.* 188. §. 1. *d. V. S.* atque ita hoc loco.

5. Rubrica docet, quosdam satisdare cogi, alios jurato promittere, & alios suæ promissioni committi, de qua triplici cautione *dix. part.* 1. *l.* 4. *tit.* XI. quæ cum cæteris *ejus tit.* hoc repetemus. Moribus non exigitur cautio *sistendi*, nisi in casu arresti vel fugæ suspectæ, ut dictum ad tit. *de in jus voc. in fin.* sed ita usus est, ut extranei litigantes extra casum arresti domicilium citandi causa eligant in territorio judicis.

6. Insuper actores inopes cavere debent pro litium expensis, ut tamen fidejussoris inopiam jurejurando supplere queant. Groeneweg. ad *tit. Inst. de satisd.*

TIT. IX.

Si ex noxali causa agatur, quemadmodum caveatur.

DOminus ex delicto servi conventus cavere debet, se conditionem servi non mutaturum, quo

actoris jus ulla parte fiat deterius. Ea est hujus rubricæ sententia, cujus hodie nullus usus.

2. Utique non ratione servorum. Hoc inde recte colligas, etiam res alias in eadem causâ, quâ tempore citationis fuere, præstandas esse, quo fine cautio, justa ex causâ potest exigi §. 1. *Inst. de divis. stipul.*

TIT. X.

De eo per quem factum erit, quominus quis in judicio sistat.

CUjus vi vel dolo factum est, quominus ille qui satisdederat, se judicio sisteret, is tenetur actione in factum in id quod actoris interest *l.* 1. §. 1. *pr. l.* 3 *pr.* velut si dominium aut actionem lapsu temporis interim amiserit *d. pr. l.* 3.

2. Si plures rei sint, unius solutione reliqui liberantur *l.* 1. §. 4. *b.* secus ac supra de illis qui in jus vocatum exemerant; quoniam ibi pœna, hic nihil quàm id quod interest vertitur.

3. Etiam Reus principalis illa solutione liberatur, *l.* 3. §. 1. *b.*

4. Datur hæc actio heredi intra annum, adversus heredem, nisi locupletior fit, non datur *l.* 1. §. *ult.* Ratio petenda ex parte 1. *tit. de perpet. & tempor. act. n.* 14. & 15.

5. Porro, licet hæc actio propriè respondeat cautioni judicio sisti, quæ exolevit, nihil tamen obstat, quominus & hodiè in id quod interest agi possit, si quis impedierit, ne reus citatus in jus veniret, ac interim ille fructum actionis suæ amiserit.

6. Id tamen aliter oportet, fiat, quam lapsu temporis, quo actioni præscribatur, ut est in *l.* 3. *pr. b.* nam præscriptio citatione facta interrumpitur hodie, ut diximus *ad. tit. de in jus voc. n.* 37.

TIT.

TIT. XI.

Si quis Cautionibus in judicio ſiſtendi causâ factis non obtemperaverit.

QUæritur, quomodo teneatur is, qui interpoſita ſed neglecta cautione in jus venire ſuperſedit; Resp. ſi ex cauſa id fecerit, nulla competit actio.

2. Sunt autem cauſæ juſtæ *in l* 2. *& ſeqq. h. t* ubi inter alias, ſi tranſactum ſit, ſi quis muneris publici cauſa, aut teſtimonii dicendi ergo ſit impeditus, ſi valetudine, furore, utero, tempeſtate, vi fluminis ita præpeditus ſit, ut opportune adeſſe nequiverit, modo ſe ipſum imprudens non attraverit *d. l.* 2. §. 8.

3. Hæ cauſæ, ſi nominatim quibuſdam ſit renunciatum, non proſunt reo; generalis renunciatio non nocet *l.* 4. §. 4. quod tamen ad renunciationem aliorum beneficiorum haut temere trahendum.

4. Ratio differentiæ, quia in aliis generalibus renunciationibus, ſciri poteſt a renunciante, quibus rebus renunciat, veluti fidejuſſor tria ſua beneficia facile poteſt cognoſcere; verum hic reus nullo modo ſcire poteſt, quibus cauſis renunciet, quando generaliter loquitur; ſiquidem infinita quotidie impedimenta oriri poſſunt.

5. Deficiente cauſa juſta, reus ejuſque fidejuſſor vel conveniebatur condictione certi, aut actione ex ſtipulatu, prout certa vel incerta pœna fuerit *l. ult. π. Si quis in jus vocat.* vel fiebat miſſio in poſſeſſionem bonorum *Nov.* 53. *c.* 4. verum ad ſententiam non perveniebatur. Nuſquam in jure noſtro legimus, ubi litis conteſtatio facta non eſt, ibi quemquam condemnari. Quin eſt contrarium in *l.* 2. *fin. C. ubi in rem actio.* Fuſè Donellus 23. *comm. cap.* 9.

6. Sed in *Nov.* 112. *cap.* 3. conſtitutum eſt, ſi actor tribus edictis legitimis citatus, ſingulis ſpatio 30. dierum interpoſito, abſit, reum poſt annum ſententiam

impetrare posse, quod tamen ad actorem non pertinet, utcumque Leo in *Nov.* sua 108. idem in actore constituerit. De praxi mox videbimus.

7. Atque hoc ita in vadimonio deserto; sed contracto eremodicio, id est, cum post litem contestatam alter litigantium se Judicio subducit, etiam actorem ad sententiam usque persequi potest, ut *dix. d. tit. d. in jus voc.* & probatur *l.* 75. *d. Judic.*

8. More hodierno nihil est notius, quam contumaciter absentes damnari, & contumacia plerisque locis tribus citationibus, alibi duabus perpetratur; duas nostra Statuta requirunt in Curia suprema *l.* 3. *tit.* 12. *art.* 1. at in Judiciis inferioribus à duabus purgatio per mulctam datur, tertia demum est peremptoria; Libellus quo contumax peragitur, *Intendit* vocatur: quia solus actor *intendit* μονομερῶς. *vid. l.* 2. *C. de Litigios. l. ult. π. ad Sc. Treb. Cujac.* 4. *Obs.* 32.

9. Denique, per primam contumaciam amittuntur exceptiones, quæ ad judicium, vel ad personas judicium constituentes modumve procedendi pertinent. Vulgò ajunt, primâ contumacia amitti exceptiones *declinatorias*, alterâ *dilatorias*, tertia quoque *peremptorias*: Sed peremptoriis æquiparantur ejusmodi dilatoriæ, quæ causam feriunt, quia tales hodiè non per modum excipiendi, sed respondendi litemque contestandi proponuntur: ut dix. *ad. tit. Inst. de Except.*

10. Tu, inquam, dic, primâ contumacia amitti exceptiones, quæ ante litem contestatam erant opponendæ, quia contumacia perinde habetur ac si præsentes litem contestati essent; Contumacia pro præsentiâ est *Auth. Qua in provinc. C. ubi de crimin.* Quales autem sint illæ exceptiones, *alibi* dictum aut dicendum est.

TIT.

TIT. XII.

De Feriis & Dilationibus, & diversis temporibus.

SI quis in jus vocatus in diem feriatum, non stiterit se, nihil ideo præstat aut patitur. Feriæ sunt tempora, quibus silet judiciorum strepitus; dicuntur aliter festi dies & nefasti.

2. Dividuntur in divinas & humanas, utræque in solennes & repentinas. Divinæ solennes, quæ Dei colendi gratia statis temporibus recurrunt, apud Christianos festa majora, & maxime dies Dominici.

3. Humanæ solennes sunt dies messium & vindemiarum, quorum illi currunt ab 8. Kal. jul. ad Kal. Aug. hæ a 10. Kal. Sept. ad idus Octob. *l.* 2. & 7. *C. h. t.* quod tempus juxta naturam loci variari potest, idque à Magistratibus *l.* 4. *h.* cum aliqui solus Princeps ferias statuere possit *l.* 4. *C. h. t.*

4. Repentinæ feriæ sunt, quæ extra ordinem supplicationis vel lætitiæ causa indicuntur *l.* 1. & 4. *C. h. t.*

5. Regula est, per ferias jus non dici; nisi quod ea quæ moram non patiuntur, vel Reip. interfunt, feriis quoque divinis recte fiant *l.* 8. *l. pen.* & *ult. C. h.* Humanis feriis tractantur omnia, quæ per libellos expediri possunt *l.* 11. §. 6. *ad L. Jul. d. Adult.* quæ vide *in l.* 9. §. 3. *d. Off. Procons.* imo & litigia partibus consentientibus, *l.* 1. & 6. *eod. h.* scil: extra judicium publicum, apud Commissarios, ut hodie loquimur, nam tribunalia tum vacant.

6. Etiam apud Commissarios eo casu testes cogi non posse verius est *arg. l.* 27. §. 4. *in fin. d. Pact.*

7. Feriis divinis, lites, ne quidem inter consentientes, exerceri possunt *l.* 2. *l.* 8. *C. h. t.* De die Dominico *vid. l. ult. C. h. t.* quam Constantinus M. politice primum Jussit observari *l.* 3. *C. h. t.* unde tamen non sequitur, ante Constantinum diem Dominicum non fuisse cultum ab Ecclesia.

8. Citatio die feriato facta, si juris humani sit, valet, si juris divini, non valet *l.* 3. & *ult. C. d. fer.* sed in diem feriatum facta indistincte inutilis est *d. l. ult.* & *l.* 2. §. 1. *h. t.*

9. Nam ut sequens dies non feriatus à reo servandus sit, benignius quidem videtur, sed vi juris caret; duntaxat enim de lapsu fatalium appellationis dierum id constitutum est *l.* 2. §. *pen. C. d. temp. appellat.*

10. Sequitur altera pars Rubricæ, Dilationes, quæ sunt intermissiones judicii ad tempus concessæ litigantibus; idque in principio vel in progressu, vel in fine judicii.

11. In principio est dilatio deliberatoria 20. dierum *auth. offer. C. d. litis cont.* ut reus deliberet, cedere an contendere, an judicem recusare velit, aliaque ad causam pertinentia meditetur.

12. In progressu litis, ut & in principio sunt dilationes citatoriæ *l.* 69. & *seqq. d. jud.* probatoriæ; de quibus propriè *in h. t.* agitur *vid. l.* 1. *C. d. dilat.*

13. Post finem dantur dilationes appellatoriæ, ad interponendam, introducendam, prosequendam appellationem: item executionis, quod est spatium quadrimestre, de quo *l. ult. C. d. usur. rei jud.* de quibus omnibus alibi agetur.

14. Tempus dilationum ad faciendas probationes judex moderatur secundum distantiam locorum & conditionem causarum *l.* 1. *C. h. t.* Regulariter, in pecuniariis causis semel tantum tribuitur, in criminalibus accusatori duæ, reo tres dantur, nisi ex gravi causa plures etiam in civilibus concedantur *l.* 7. *l. ult. h. t.*

15. Adversus reum facilior est judex quàm actorem, ob rationem *l.* 2. *C. d. Dilat.* interim uni concessa dilatio utrique communis intelligitur *l.* 3. *C. h. t.*

16. Dies feriati in tempus dilationis incidentes ei annumerantur, adeoque tempus est continuum *d. l.* 3.

17. Hæc in foris hodiernis aliter atque aliter se habent

bent usu discenda, ut & aliæ dilationes, quæ subinde impetrantur.

18. Bene agitur in illis Curiis, ubi Judex interloquens, partibus certum & peremptorium tempus præscribit, intra quod probationes sint conficiendæ, quia mutuo Advocatorum indultu ordinariæ dilationes fere in enormè protrahuntur: Id apud nos institutum est.

19. Tertia pars Rubricæ est de diversis temporibus, quæ partem ex supradictis intelliguntur (nam de præscriptionibus hic non agitur) partim ad spatium, quo lis terminanda est, referri debent.

20. Hoc autem est in criminalibus biennium, cum jure veteri annus fuerit: *Tit. Cod. Theodos. ut int. an. caus. crim. termin.* in civilibus triennium *l.* 13. *C. d. jud.* exceptis causis fiscalibus, quæ intra 6. & munerum civilium, quæ intra 3. menses absolvendæ *l. ult. C. d jud. fisc. l.* 54. *C. d. Decur.*

21. Tempus autem à die litis contestatæ incipit *d. l.* 13. §. 1. atque etiam ad arbitros pertinere videtur *arg. l.* 1. *l.* 17. §. 1. *d. recept. qui arbitr.*

22. Ratio, cur civiles causæ diutius ventilentur quam criminales, est hæc; quod interfit Reip. maleficos celeriter puniri, nec diu squalore carceris sint affligendi *l.* 35. *d. pœn. l.* 6. *l.* 23. *C. eod.* quibus nihil vetat addi, quod civiles causæ plerumque sunt obscuriores, quæ est Cujacii *διτιολογία* 17. *observ.* 27.

23. De pœna eorum, qui non servant hoc tempus legitimum *vid. d. l.* 13. *properandum C. de jud.* 2. *& siquidem* D. A. Matthæum *disp.* 5. *d. judic. th.* 25. *& seqq.* His diebus hæc sanctio non servatur.

TIT. XIII.

De Edendo.

IN jus vocato simul debet edi sive offerri libellus *auth. offeratur C. d. lit. cont.* ac juxta libellum instrumenta, rationes, & omnia, quibus actor apud Judicem usurus est *l.* 1. §. 3. *b.*

2. Modus Edendi est, ut vel libellus tradatur, vel copia libelli fiat, aut dictetur *l.* 1. §. 1. *h.* adeoque species futuræ litis demonstretur *l.* 3. *C. h. t.*

3. Quis edere debeat, ultro intelligitur, actor sc. nam reus non edit nisi rationes, causâ cognitâ *l.* 1. *C. h. t.* regulariter non tenetur *l.* 4. *& ult. eod.*

4. Excipiuntur argentarii & numularii, qui, licet rei, suas rationes edere debent *l.* 4. *pr. l.* 9. §. 2. *l.* 10. *h.* quod plerique ad Notarios, Scribas publicos, Mercatores, Publicanos, Caupones similesque producunt. Procuratores sane, Socii, Tutores coguntur non hac, sed suis actionibus *l.* 9. *pr. h. l.* 7. *C. h. t.* Fiscus etiam jus habet petendæ ab reis Editionis eorum quæ ad suas causas pertinent *l.* 3. *h. l.* 2. §. 1. *&* 2 *d. jur. fisc.*

5. Moribus, loco editionis, est citatio *libellata*, ut vocant, quam scribæ judicii formant ex libello supplice, quo petita citatio & causa plenè exposita est *suprà de in jus voc. n.* 33.

6. At instrumenta non eduntur, nisi cum libellus petitionis in ipso judicio traditur; nam qui instrumenta allegat, exhibere ea debet, sive in libello sive in replicatione allegentur. *Stat. Fris.* 3. 19. 5.

7. Si quis non edat, à Prætore compellitur *d. l.* 9. *pr.* & tenetur adversario in id quod interest *l.* 6. §. 4. *h.* ut tamen is qui petit, prius de calumnia juret *l.* 9. §. 3.

8. Si quis allegans instrumentum id non exhibeat rogatus in foro exceptionem patitur, idque expeditius est.

9. Libellus, qui præcipue Editur & in ipso judicio exhibetur, est scriptura continens intentionem Actoris. Dicitur tres habere partes, narrationem facti, causam petendi & ipsam conclusionem.

10. Causa in facilioribus omitti potest. Ex. gr. Titius Kalendis Maj. emit & accepit à me domum mille aureis, *est narratio. Causa* foret, Atqui emptorem re traditâ, pretium solvere oportet (omitti potest, cum fit indubitata) Peto igitur, ut condemnetur *&c.*

11. Di-

11. Dividitur vulgo libellus in simplicem & articulatum. Sed hi termini nec in jure noscuntur, nec usum habent multum. Servant tamen ita, ut in causis levioribus & extraordinariis simplex, in difficilioribus & ordinariis articulatus porrigatur libellus.

12. Virtutes libelli traduntur hæ, ut sit aptus, clarus & certus.

13. Aptus, id est, sibi ipsi & negotio conveniens; nam si quis ex empto agens præstationes diversæ actionis libello prosequatur, is nihil agit. Si tamen conclusio sit apta, libellus sustinetur, & in ipsa conclusione modicum suppleri vel emendari potest.

14. Debet esse clarus, ut tamen obscuritas & ambiguitas, quatenus fieri potest, à judice corrigatur *arg. l.* 12. §. 1. *d. reb. dub.* Huc pertinet, quod nomen actionis exprimi debet, id est causa, unde nomen petitur.

15 Et quidem in reali actione sufficit exprimi Dominium & vindicationem in personali causam specialem exprimi oportet; adeo ut in actionibus in rem nova causa Dominii non faciat novum judicium, sed in personalibus ex novo contractu novatur judicium *l.* 11. §. 5. *l.* 14. §. 2. *d. exc. rei jud.*

16. Monet tamen D. Scotanus *hic*, præstare; ut in actionibus in Rem quoque, remota causa seu titulus exprimatur, ut ex alia deinde causâ petitio renovari possit, quâ de re ad *tit. de excep. rei judic.*

17. Moribus, necesse non est, actionis nomen exprimi, modo è narratione satis constet, quæ actio moveatur & apta sit conclusio.

18. Certitudo libelli excludit conditionalem, neque enim potest esse judicium, antequam revera debeatur *l.* 35. *d. judic. l.* 11. §. *f. d. Recep. qui arbit.*

19. Sed Alternativus libellus valet, si debitum sit alternativum §. 34. *I. d. Act.*

20. Jus futurum regulariter libello inseri non potest, nisi pendeat à jure præsenti, ut cum debitum variis pensio-

penſionibus ſolvendum petitur totum, licet tantum penſionis unius dies venerit. Condemnatio in totum fieri poteſt ut tamen executio reliquarum penſionum differatur. Et hac fine libellus poteſt eſſe generalis. Sand. *lib.* 1. *t.* 4. *def.* 3. *d. tit.* 4. *def.* 1.

21. DD. addunt varias clauſulas libello, ſed pleraſque non neceſſarias, *vid.* Matth. *diſp. d. Jud.* 6. §. 24. *& ſeqq.*

22. Apud nos obiter addunt duas; *cum expenſis & implorato judicis officio.* Prima neceſſaria eſt; nam Curia non adjudicat impenſas non petitas.

23. Superſunt duæ quæſt. 1. an plures actiones uno libello cumulari poſſint; non videtur *l.* 43. §. 1. *d. R. I. l.* 76. §. *pen. d. Legat.* 2. *l.* 6. *d. Except. rei jud.*

24. Utique non ita, ut omnes effectum habeant, ſed ita plures proponi, ut una non valente, altera obtineat, vel ut una ſuppleat defectum alterius nihil vetat, exemplum habes in §. 4. *Inſt. Quod cum eo qui in al. pot.* item, ſi dubitetur, qualis actio competat *l.* 1. §. 4. *quod legat. l.* 17. *pr. d. præſcr. verb.* aut rei natura alternationem poſtulet, ut in *l.* 16. §. 3. *d. pign.* qualis eſt in Publiciana, quæ cum rei vindicatione concedi poteſt *l.* 1. *de Public. in rem act* ſic tamen ut ſemper alterutra tantum actio cum effectu, inquam, moveri poſſit.

25. Fieri quoque poteſt; ut ab actione inſtituta regrediatur quis ad diverſam petitionem, ut à petitorio ad poſſeſſorium. ſic *cap. l.* 18. §. 1. *d. vi arm.*

26. Altera quæſtio eſt, an liceat corrigere libellum in ſubſtantia cauſæ, ſeu mutare, ut loquuntur.

27. Nam ſic ajunt vulgo, *emendare libellum* ſpectat accidentalia, *mutare* ſubſtantiam libelli, ut ſi aliam rem vel ex aliâ cauſa petere velis § 34. & 35. *Inſt. de action.*

28. Ejuſmodi mutatio poſt litem conteſtatam fieri nequit, ſed tum nova opus eſt inſtantia; Verba *d.* § 35. in *eodem judicio*, ſic capienda, *in ejuſdem judicis auditorio. juxta l.* 3. *C. de Edend.*

29. At-

29. At pro emendatione habetur, si quis plus minusve petierit, quam debetur; hoc tam post, quam ante litem contestatam ad verum reduci potest §. 33. & 34. *t. de Action.* salvâ instantiâ.

30. Plus petitur quatuor modis; Re, loco, tempore, causa *d.* §. 33 *Re*, cum is, cui *decem* debentur, petit 20. *Loco*, cum is, cui Romæ debetur, petit Ephesi: *Tempore*, quando quis ante diem vel ante conditionem petit *d.* §. 33. accurate tamen, petens ante conditionem potius nihil agere quam plus petere dicitur *l.* 213. *d. V. S.*

31. Causâ plus petit, qui debitori aufert electionem; veluti, cum certa species petitur ab eo, cui res in genere aut alternative debetur, est enim debitoris eligere, quid aut utrum præstare velit *l.* 10. *infin. d. Jur. dot.* & vilissimum præstando liberare se potest *l.* 52. *Mand.*

32. Qui non corrigit, sed in plus petendo persistit, in triplum tenetur §. 24. *I. de Action.* nempe, si plus re vel causâ, dolo malo, petierit.

33. Qui tempore plus petunt, damnantur in impensas & debitori tempus duplicatur §. 10. *I. de excep.*

34. Quid juris sit, quando quis loco plus petiit, videbimus ad *tit. de eo quod cert. loc.*

TIT. XIV.

De Pactis.

APud Prætorem actione Edita, reus exceptiones suas proferebat, quas Prætor formulæ, secundum quam judex pedaneus judicaret, inserebat, maxime in stricti juris judiciis; quarum frequentissimæ erant pactorum & transactionum.

2. Pactum est duorum vel plurium in idem placitum consensus *l.* 1. §. 2. *h.* idemque est cum pactione *l.* 3. *d. pollic.*

3. Pactum generaliter sumptum æque late patet atque

que conventio *h. l.* 1. §. 2. *l.* 3. *l.* 15. *d. præscr. verb.* sed stricte & hoc loco pactum opponitur contractui, & est conventio carens nomine & causa *l.* 7. §. 1. & 2. *h.* hoc sensu dicitur nudum *l.* 7. §. 4. *vid. l.* 19. *in fin. d. novat.* Dix. ad *tit. I. de oblig. n.* 25. & *pr. t. de V. O. n.* 3. & *tit. de obligat. ex consens.*

4. Divisiones præcipuæ sunt hæ, I. Pactum est publicum vel privatum; publicum, quod aut per pacem fit inter summas potestates, aut inter duces belli de publicis rebus sine mandato summæ potestatis *l.* 5. *h.* in qua *l.* particula, &, ante *quotiens* exnudienda videtur.

5. II. Divisio, pactum est vel juris gentium vel legitimum: Illud, quod communiter intelligimus; hoc, quod lege aliqua edictove firmatum est *l.* 6. *h.* cujusmodi pactum pignoris *l.* 17. §. 2. *h.* constitutæ pecuniæ *l.* 1. *d. const. pec.* pactum donationis *l.* 35. §. *ult. C. d. don.* & similia.

6. Pactum III. est vel expressum vel tacitum, quod *l.* 4. *h.* Illud, quod clare convenit; tacitum, quod ex voluntate præsumpta colligitur, veluti quando creditor debitori cautionem, licet unam ex pluribus, reddit, nisi aliud actum sit; convenisse enim tunc videtur, ne debitum petatur *d. l.* 2 §. 1. Idem est, si legata fuerit à Creditore chirographi redditio *l.* 81. §. 7. *d. Leg.* 1.

7. Sed redditio Pignoris nil nisi jus pignoris remissum arguere docet *l.* 3. *h. t.* nisi ob aliam causam, veluti usum necessarium sit redditum, quo casu ne quidem jus pignoris remissum intelligitur. *l.* 9. *C. d. remiss. pign.* Alia taciti Pacti exempla sunt in *l.* 57. *pr. h. t. l.* 69. *pr. d. jur. dot. l.* 26. *d. Probat.*

8. IV. Pactum quoque in rem est vel in personam; in rem, quoties generaliter paciscor, ne petam; in personam quoties ne a certâ personâ, veluti ne à Lucio Titio petam *l.* 7. §, 8. *h.*

9. Si tamen conventio feriat ipsam rem aut obligatio-

tionem, licet mentio personæ ad quam verba dirigantur, fiat, pactum nihilominus reale est, veluti, profiteor Te non teneri *l.* 40. *pr. h. t.*

10. Quæritur, an Pacta dentur mixta, partim in personam & in rem? Quod negatur, neque obstat *l.* 57. §. 1. *h.*

11. Deinde V. Pacta vel sola sunt *l.* 23. *C. de Pignor.* vel contractibus adjiciuntur. Hæc rursus vel incontinenti, vel ex intervallo; incontinenti dicuntur, quæ immediate contractibus accedunt, reliqua postea *l.* 7. §. 5. *h.*

12. Pacta ex intervallo adjecta dividuntur à Papiniano in detrahentia & adjicientia *l.* 72. *d. contr. empt.* Detrahentia sunt, quæ ex ipsa contractus substantia aliquid mutant; veluti, cum in venditione circa mercem pretiumque aliquid mutatur, ita ut ab emptione abiri videatur, & contractus sit renovatus, ut loquitur Ulp. in *l.* 7. §. 6. *h.* quo sensu cape quod Paulus notat *d. l.* 72. *in fin. princ.*

13. Adjicientia dicuntur pacta, quæ non sunt de substantia contractus sed de ejus adminiculis, ut de evictione, cautionibus, arrhis; quæ contractui jam ante plene perfecteque existenti adduntur *d. l.* 72.

14. Secundum has species variant effectus; In genere pacta non pariunt actionem sed exceptionem *l.* 7. *l.* 41. *h. l.* 10. *C. Eod.* sed pacta legitima, pariunt actionem, vi legis qua confirmata sunt *l.* 6. *l.* 17. §. 2. *h. t.* Etiam tacita pacta quatenus sunt legitima vid. *suprà*

15. Dein pacta incontinenti adjecta contractibus bonæ fidei ita illis insunt, ut actionem producant *d. l.* 7. §. 5. *l.* 13. C. *eod.*

16. Adjecta contractibus stricti juris insunt etiam, ut non modo per exceptionem sed ipso jure effectum dent, ipsamque contractus substantiam mutent, non tamen ita ut actionem pariant, tametsi jus agendi mutent in favorem rei conventi, quomodo forte an recte accipias *l.* 40. *d. reb. cred.* ut ex parte rei non actoris in-

ris insit, secundum Cujac. 10. *obs.* 24. Nec obstat *l.* 27. *C. h. t.* quia de stipulatione adjecta pacto, non è contra loquitur. Facit *l.* 6. §. 1. *d. Novat.*

17. Detrahentia insunt quoque contractibus bonæ fidei, actionemque inde formant *d. l.* 7. §. 6. Sed quæ adjiciuntur, ea non faciunt contractuum partem *d. l.* 72. Neque in strictis ulla ex intervallo adjecta vim obligandi habent; quia manent in communi pactorum naturâ, nec usquam major illis effectus tribuitur.

18. Reale pactum prodest heredi & fidejussori, ut & emptori *l.* 17. §. 5. *h.* personale non æque *l.* 40. *l.* 25. §. 1. *eod.* nisi per consequentiam, quatenus fidejussor ante principalem debitorem conveniri nequit, ob beneficium ordinis, ex *Nov.* 4. *cap.* 1.

19. Cætera, quæ de pactis tradi possunt, in capite de stipulationibus docentur, quæ moribus nostris eandem vim cum pactis habent.

20. Nota tamen, quod Paulus scribit in *l.* 27. §. 2. *h. t.* in stipulationibus jus, in pactis factum versari; hoc est, stipulationes statim ac interpositæ sunt obligare, & facere vel tollere obligationem, sed pacta ubi inita sunt, nihil esse quàm conventa, quæ nullum habent juris effectum, nisi cum ipso facto in judicio fuerint oppositа.

21. Hinc petenda ratio, cur Pater filio stipulans sibi acquirat §. 4. *in fin. I. de Inutil. stipul.* filio paciscens nihil agat *l.* 17. §. 4. *h.* nisi ut heredi paciscatur *l.* 33. *eod.* quod facti est non egreditur personam §. 4. *I. de stipul. serv.* sed ratione juris, pater & filius sunt eadem persona *l.* 4. *C. de Impub. & al. subst.* verumtamen doli exceptio prodest filio ex pacto Patris *l.* 21. §. 2. *in fin. h. t.* Similem hujus doctrinæ usum præbet *l.* 56. *h.*

22. Hinc & pactum posterius non tollit prius, nisi per exceptionem *d. l.* 27. §. 2. quanquam ex ratione juris gentium pacta æque ipso jure quàm stipulationes operari debebant, quomodo accipienda videtur *l.* 95. §. 4. *d. solut.* ubi naturalis obligatio per pactum ipso jure dici-

dicitur tolli, ipſo jure ſcilicet naturali, *Vid.* prælect. *ad tit. Quib. mod. toll. obl. n.* 6. & *l.* 17. §. 1. *b.* ubi actio furti & injur. ipſo jure tolluntur. Confer *l.* 7. §. 14 *in fin. eod.*

23. Sunt qui putent, hoc quod diximus, *Pacta non niſi exceptionem* producere, tantum de pactis temere prolatis accipiendum, quæ nuda dicantur; ſed quæ ſerio ineuntur, hæc valere ad actionem, ut pote quæ cauſam ſive negotium habeant *l.* 7. §. 2. *b.* Mæſtert 1. *de Juſt. LL. Rom. c.* 33.

24. Refellitur hoc ex *l.* 45. *b. t.* ubi placitum diviſionis, quod eſt maxime ſerium, dicitur nudum pactum, nec parere actionem, niſi vel ſtipulatione firmetur, vel traditione ab una parte impleatur, tunc enim fit contractus innominatus *l.* 6. *C. d. tranſact. l.* 25. *præſcr. verb.*

25. Moribus hodiernis pacta ſine dubio pariunt actionem, ut dix. *ad tit. I. de verb. obl. à pr. Serva fidem quam dediſti*, quod dictum juris Gentium pertinet ad omnes generis humani conſortes, ut hoſtes *l. ult. d. Legation.* Latrones *l.* 31. *depoſ.* maleficos *l.* 40. *C. h. t.* ad tyrannos quoque infideles & hæreticos Grot. 3. *de jur. bell. & pac. c.* 19.

TIT. XV.

De Tranſactionibus.

SÆpius eveniebat, ut cum reus in jus vocatus erat de cauſa tranſigeretur *l.* 22. §. 1. *d. in jus vocat.* Ideo heic de Tranſactionibus agi placuit.

2. Eſt autem Tranſactio pactum de re dubia, lite non finitâ pro pretio componendâ.

3. Quod pactum ſit generis loco, probatur ex *l.* 9. §. *ult. h. l.* 15, 17. 28. *C. h. t. l.* 40. §. 1. *d. Pact. l.* 122. §. 5. *d. V. O.* Quia tamen actio per pactum non tollebatur, ideo ſtipulationem Aquilianam & acceptilationem ſubjici moris fuit *l.* 2. *l.* 15. *h. d. l.* 28.

4. Materia tranſactionum ſunt res incertæ *l. 1. h.* cui reſpondet pretium conventum, quæ duo tranſactionem à pacto diſcernunt.

5. Nam etſi pactum quoque ſub pretio poſſit fieri *l. 6. §. 3. de his qui infam. not.* & pacta de rebus incertis quandoque uſurpentur *l. 4. C. d. Pact.* nunquam tamen fit, ut in pacto ſit rei incertitudo & pretium ſimul, prout ex citatis textibus apparet.

6. Hinc de lite finita paciſci quidem licet *l. 7. §. 13. d. Pact.* tranſigere non licet *l. 7. pr. h. t.* quanquam Aquiliana ſtipulatio & acceptilatio rei judicatæ ſubjici legantur *l. 32. C h. t.* ſcil. hæ non modo tranſactioni ſubſerviunt, ſed omne jus tollere poſſunt.

7. Cæterum, ſi res judicata per appellationem vel reſtitutionem in integrum rurſus incerta fieri poſſit, valet haud dubie tranſactio *l. 7. pr. l. 11. h. & d. l. 32.*

8. Sunt res, de quibus tranſactiones prohibentur; quædam ſub modo, aliæ ſimpliciter. Sub modo prohibita eſt tranſactio de controverſiis teſtamentariis, de quibus aliter tranſigere nefas; quàm inſpectis teſtamenti verbis *l. 6. h.* quod ad codicillos etiam pertinet *l. 3. §. 1. h.* non obſt. *l. 78. infin. d. Scto Treb.*

9. Item, tranſactio de alimentis, quorum dies non ceſſit, teſtamento relictis non aliter valet, quam auctoritate prætoris adhibita *l. 8. pr. & §. 2. h. t.*

10. Ratio eſt, ne voluntas teſtantium, qui legatariis ita proſpectum voluerunt, ne poſſint egere, circumveniretur; quæ ratio nec alimentis præteritis nec inter vivos relictis convenit *d. §. 9.* neque pacto, quod ſit gratis, quia nummis repræſentatis facilius homines juri futuro renunciant, quàm ut gratis id abdicent.

11. Abſonum eſt, quod pragmatici tradunt Papon. *l. 6. tit. 3. art. 6. 7. 8.* Chriſtin. *vol. 2. deciſ. 96. n. 2.* ſuper lite, quæ pendet apud Supremam Curiam, non licere tranſigere, ſine Curiæ conſenſu. Id apud nos merito contra eſt, utcunque alicubi ſecus obtineat.

12. Ab-

12. Absolute prohibita est transactio de criminibus non capitalibus, item de adulterio; cum de reliquis capitalibus licet *l.* 18. *C. d. Transact. l. ult. d. Prævar.*

13. Ratio est in *l.* 1. *d. bon. eor. qui ant. sent.* quæ non est favor delinquentium, ut apparet ex *l.* 3. *C. Pro quib. caus. servi liber. accip.* ubi servus qui raptus virginis facinus pactione transmissum detulerit in publicum, libertatis præmio donatur; Sed quia conatus redimendi sanguinem adeo ex naturali instinctu oritur, ut nec in re turpi pœnam mereatur.

14. Nisi per illam (transactionem scilicet) nova turpitudo committeretur, ut fieret in adulterio, ubi transactio non posset non habere lenocinii speciem, cum accusatio ejus criminis tantum detur marito & conjunctis personis *l.* 30. *C. ad L. Jul. d. adult.* unde rursus liquet ratio, cur de atrocioribus delictis vetita non sit transactio.

15. Crimina non capitalia carent veniâ transactionis, quia cessante in illis redimendi sanguinis miseratione, supereſt sola turpitudo.

16. Neque excipitur falsi crimen, ut Basilici putant *ad d. l.* 18. qui verba *citra falsi accusationem*, vertunt χωρὶς τοῦ τῆς πλαςογραφίας ἐγκλήματος, sed vox *citra* ex ingenio latinismi dictat hunc sensum: de criminibus non capitalibus transigere non licet, quin in crimen falsi impingatur. Confer eorundem Principum rescriptum in *l.* 24. *C. d. Rei vind. l.* 6. *C. si cert. pet. l.* 19. *d. Procur.* in quibus vox *citra* pari sensu.

17. Cui accedit quod nec *l. ult. d. prævar.* poscat hanc exceptionem, nec rationem excipiendi constare fateantur dissentientes. *vid.* A. Matth. *ad lib.* 48. *t. tit.* 19. §. 8.

18. Ad *l.* 7. *C. ad l. Corn. d. falsi.* dic, instrumentum ibi suspectum, dubiæ fidei, non falsum fuisse, aliter; ibi de falso actum civiliter & de eo quod interest, ut potest *l. pen. ad L. Corn. Falsi.* ad reliqua facilis est re-

ſponſio. *Vid. tamen l. 2. C. d. his quæ ut indignis*, & D. Wiſſenb. *ad h. t. th.* 18.

19. Jus tranſigendi competit his, qui habent jus contrahendi & alienandi; quo de alibi. Tutores & Curatores poſſunt damni evidentis vitandi causâ, aliter non poſſunt *l.* 56. §. 4. *d. Furt. l.* 46. §. *ult. d. Admin. Tut.* Fortius aliquanto patres de rebus filiorumf. non æquè de rebus emancipatorum *l.* 10. *h. t. Conſer. l. ult.* §. Ubi autem *C. de Bon. quæ lib. juncta. l.* 1. *C. d. Bon. mat.* de Procuratoribus *infra* videbimus.

20 Vim tranſactio habet ſtatim atque conſenſum eſt, licet inſtrumento necdum ſcripto *l.* 5. *C. h. t.* & effectus eſt adeo validus, ut nullo modo lis inſtaurari queat, licet ex inſtrumentis poſtea repertis de cauſa aliter liqueat *l.* 19. *C. h. t.* exceptis Reip. & pupillorum minorumque cauſſis *l.* 35. *d. rejudic. l.* 1. & 2. *C. ſi adv. tranſact.*

21. Imo, licet nulla res media fuerit, valet nihilominus tranſactio, velut, ſi quis ut heres, cum non eſſet heres, tranſegerit *l.* 65. §. 1. *d. condict. indeb. l.* 23. *C. d. tranſact.* An ex causâ læſionis ultra duplum aut enormiſſimæ quam vocant, reſcindi poſſit ex beneficio *l.* 2. *C. de Reſcind. vendit.* videbimus *ad tit. de reſcind. Vend.*

22. Tranſactio jurata adhuc eſt firmior: nam qui ab ea recedit, non tantum actionem amittit, accepta reſtituit, pœnam promiſſam ſolvit, ſed & infamiâ notatur *l.* 41. *C. h. t.*

23. Ex falſis tamen inſtrumentis, item, ſi quis dolo ad tranſigendum adductus ſit, non valet tranſactio *l.* 42. *C. h. t. d. l.* 19. *eod.*

24. Eſt quoque ſtricti juris, ut non præjudicet aliis *l.* 3 *inpr. h. t. l.* 119. *d. V. O.* nec extendatur ad non expreſſa *l.* 5. *l.* 9. §. 1. & 2. *h.* etſi in fine ſcriptum ſit, ab omnibus controverſiis diſcedi; Nam ſi ſpecialiter enumerata ſint, de quibus tranſigeretur, ejuſmodi clauſula generalis plura non involvit *l.* 31. *C. h. t. Ant. Fab. ad h. tit. C. def.* 6.

25. A-

25. Actio ex transactione simplici nulla datur *l.* 28. *C. h. t.* ideo stipulationem pœnalem subjici moris erat *l.* 15. *h. l.* 45. *C. h. t.*

26. Sed tamen qui à sua parte transactionem implevit, is adversus alterum habet præscriptis verbis actionem, quia tunc transactio, ut de pacto dictum est *supra*, transformatur in contractum innominatum, ut & alia pacta *l.* 6. *C. h. t. l.* 15. *d. Præscr. verb.*

27. Qui autem uno remedio id quod interest adeptus est, reliquis aut actionibus aut exceptionibus carere debet, ex fundamento *l.* 57. *d. R. I l.* 10. §. 1. *d. Pact.*

28. Sæpe quæritur, an reo non stante pactis, actor renovare possit actionem, an vero debeat urgere pactionem. Resp. posse, si velit, actionem renovare, licet ho[illegible] non sit stipulatus *l.* 14. *C. h. t. l.* 27. *in pr. d. inoff. test. l. ult. Quib. mod. pign. tac.*

29. Opp. *l.* 6. C. *h. t* Resp. Heredes illic denuo queri non possunt, quia inofficiosi Querela non transit ad heredes *l.* 6. §. *ult. d. Inoff. testam.*

30. Videtur tamen, si adversarius ante litem contestatam offerat implementum transactionis, id esse admittendum. Favor ingens transactionum id postulat, neque textus adducti recusant, & scio sic à Curia nostra judicatum.

LIB. III.

TIT. I.

De Postulando.

PRimum, quod pro tribunali agitur, est postulatio, quæ definitur, propositio desiderii sui vel amicorum, apud eum qui Jurisdictioni præest, vel contradictio desideriis aliorum *l.* 1. §. 2. *b.* qui pro aliis, *Advocati* dicebantur.

2. Proprie igitur apud Prætorem fit, improprie qui proponit apud judicem pedaneum, postulare dicitur §. 5.

3. Olim quilibet tam in propria quàm aliena causa postulabat, ut & advocati qui volebant, esse poterant, ut passim apud Ciceronem & Comicos videre licet, imo & in Edicto hujus tituli: Postulare enim licet omnibus, qui non prohibentur.

4. Prohibitio est imprimis ex Edicto Prætoris, item ex constitutionibus, aliquando & ex sententia. Edicto quidam in totum, aliqui ex parte prohibentur; in totum pueri non impletis 17. annis, item surdi, quibus adde furiosos & mente captos *l.* 1. §. 3. *b.*

5. Ex parte qui prohibentur, vel pro se tantum possunt, vel pro se & conjunctis personis; pro se tantum possunt mulieres & cæci *l.* 1. §. 5. *b.* Item infaniter infames *l.* 1. §. 5.

6. Pro se & conjunctis personis, nempe pro parentibus, liberis, fratribus, uxoribus, patronis licet postulare iis, qui vulgariter infames sunt *l.* 1. §. 8. & *ult. l.* 2. & *seqq.*

7. Ex constitutionibus postulare prohibentur Judæi, Pagani, Judices & Arbitri in causa ipsis commissa, Patro-

Patroni, qui de substantia (vulgo de quotâ litis) cum clientibus pacti sunt, item qui à judice datus ei qui patronum non reperiebat morem gerere noluit, denique potentiores *l.* 15. 6. *pen. & ult. C. h. t.* item *tit. C. ne lic. potent. Tit.* Ne fisc. *vel resp.*

8. Sententiâ prohibentur, qui malè versati in causis foro interdicti sunt, quod vel ad tempus sit, vel in perpetuum *l.* 8. *h. t.* hi tamen consulendo, scribendo partibus inservire non prohibentur utique extra judicium.

9. Quin nec extra Jurisdictionem judicis qui interdixit, postulare prohibentur, modo causa non fuerit talis, ut prætoriam aut legalem inferat prohibitionem postulandi, nam talis ubique obstat *l.* 9. *h.*

10. Olim, ut dictum, cuivis Advocato esse licebat; plerumque tamen juris callidi adhibebantur. Sed Patroni ab Advocatis differebant: Oratores enim plerique tota urbe nobilissimi viri patrocinabantur, donec sub Cæsaribus eloquentia forensis obsolevit, & à solis Jctis patrocinandi munus cœpit usurpari. *vid. Dial. de corrup. eloq.* Postea Advocatorum munus Patronorumque idem & unum fuit, & quasi publicum; quorum itaque proprium fuit postulare *tit. C. d. advoc. div. jud. cum seqq.*

11. Officium igitur illorum ut publicum ita necessarium est *l.* 14. *C. de Advoc. diverf. jud.* Debent autem patrocinari integre, modeste, prudenter.

12. Integrè, ne causam scientes improbam suscipiant, nec bonam malis artibus tueantur. Integritas comprehendit & fidelitatem *l.* 6. §. 1. *C. h. t.* id est, ne prævaricentur *l.* 1. §. 1. *d. Prævaric.* ne pactis de quota litis inhient *d. l.* 6. §. 2. unde recte colligitur, cessiones à clientibus factas advocato, jure esse prohibitas.

13. Dein, modeste, id est, ne maledictis aut convitiis extra causam grassentur, quales infamia notantur *d. l.* 6. §. 1. nec quenquam aspernanter habeant §. 3. ibid.

14. Prudentiæ Advocati hoc caput est, ut bene advertat, in quo articulo meritum causæ vertatur, eoque juris & facti probationes nervose dirigat, oratione brevi & clara.

15. Reliquum Advocati officium è singulis judicii partibus colligendum. Vide, sis, Bouritium *de offic. Advoc.*

16. Salarium petere possunt operæ suæ conveniens, quod tamen non excedat summam centum aureorum *l.* 1. §. 10. & 12. *de extraord. cogn.* quæ res hodiè non servatur. Advocati quod lucrantur, id quasi castrense habetur *l.* 8. *C. d. Advoc. div. jud.*

17. Differentia eorum à procuratoribus hæc est præcipue. Advocatus precibus à cliente aditur, nihil quam patrocinium præstat, & est honorabile munus eorum *l.* 14. *C. d. advoc. div. jud.*

18. Procurator mandato constituitur à Domino, & ipse lite contestata fit Dominus litis, unde & sententia in illum fertur; & munus eorum vilius est, à quo nec infames excluduntur, § *ult. I. de Except.*

19. Denique, hoc nota de Advocatis: si quid præsentibus litium dominis dixerint, quod illis præjudicium inferre queat, id nocere, nisi in præsenti contradixerint, aut eis triduum appellaverint *l.* 1. & 3. *C. d. Error. Advocat.*

TIT. II.

De his qui notantur infamia.

INfames, ut dictum, arcentur à postulando; Est, autem infamia, læsio existimationis, quâ quis honestorum virorum numero eximitur.

2. Dividitur vulgo in infamiam Juris & facti. Illa quæ ex legibus; hæc, quæ ex opinione prudentium virorum imputatur *l.* 13. *C. h. l.* 20. *ff. h. t. l.* 39. *d. Furt.*

3. Prior species est Infamia proprie dicta, nec tamen, altera nullum usum habet *vid. l.* 2. *in pr. d. obseq. Par. l.* 27. *C. de Inoff. testam.*

4. Juris

4. Juris Infamia triplex est. I. quæ ipso jure ipsoque facto infligitur, hoc est, vi legis imediatâ, ubi constet de facto II. quæ ex sententiâ vel pacto infertur. III. quæ ex sententia sola oritur *l.* 1. *h. t.*

5. Causæ, ex quibus ipso jure ipsoque facto, id est, hoc ipso, quod delictum est admissum immediatè oritur infamia, enumerantur *in l.* 1.

6. Qui ab exercitu ignominiæ causa missus est, qui artis ludicræ aut pronuntiandi causa in scenam pro mercede prodierit, *l.* 2. *in fin.* qui lenocinium fecerit *d. d. l.*

7. Mulier quæ intrà annum ad secundas nuptias transvolavit *l.* 1. & 2. *C. de secund. nupt.* ubi & aliæ pœnæ; quique duxit eam sciens, imò & pater qui filiamfamil. nuptum elocavit *l.* 1. *l.* 8. 9. 10. 11. 12. 13. *pr. h.*

8. Qui bina sponsalia binasve nuptias eodem tempore contractas habuit *d. l.* 1. *in fin. h. l.* 13. §. 1. & *seqq. h. t.*

9. Fœneratores improbi & qui usuras usurarum ceperunt *l.* 20. *C. h. t. l.* 28. *C. de usur.*

10. Qui à juratâ transactione recesserunt *l.* 41. *C. de transaction.*

11. Tutores & Curatores, qui sibi filiisve suis pupillas aut adolescentulas nuptiis junxerunt *l.* 7. *C. de interd. matrimon.*

12. Ad alteram speciem pertinent, Furti, Rapinæ, injuriarum, doli mali actiones, quibus non modo damnati, sed & pacti fiunt infames *d. l.* 1. pacti, inquam, pretio, *l.* 6. §. 3. *hic.* non precibus *l.* 7. §. 14. *d. Pact.*

13. Ad tertiam speciem referuntur quatuor Contractuum actiones Tutelæ Mandati Depositi, Pro Socio, *l.* 1. *h.* §. 2. *d. Pœn. tem.*

14. Præterea in quolibet publico judicio damnati fiunt infames *l.* 7. *d. publ. judic.* item qui calumniæ aut prævaricationis sunt damnati *l.* 4. §. 4. *h. t.* crimen expila-

pilatæ hereditatis *l.* 12. *C. h. t.* ſepulcri violati *l.* 1. *d. ſepulchr. viol.*

15. Ex reliquis criminalibus judiciis non oritur infamia, niſi id ſpecialiter expreſſum ſit, aut de iiſdem actiones dentur civiles, quæ ipſæ ſint famoſæ *d. l.* 7. *d. Public. judic.*

16. Quâ ratione textus, qui ſtellionatum modo ajunt modo negant eſſe famoſum, conciliandi videntur *l.* 13. §. *ult. h. l.* 2. *d. ſtellion.* etſi D. Wiſſenbach. *ad hunc tit. th.* 23. neget hanc diſtinctionem in jure fundamentum habere, quod mihi ſecus videtur, niſi fallit *d. l.* 7. Ego tam humiliter de Artis noſtræ prudentia non ſentio, ut Ulpianum utriusque textus auctorem ſui ipſius oblitum fuiſſe ſtatuam.

17. Ex genere pœnæ infamia non oritur *l.* 22. *h. t. l.* 2. *C. eod.* ſed hoc ex cauſa pœnæ duntaxat pendet; imò pœna quandoque excuſat ab infamiâ, quam cauſa, merebatur, ſi nempe pœna corporalis gravior ſit, quàm ex merito *l.* 13. §. 7. *h.*

18 Effecta infamiæ, præter notam ignominiæ, ſunt, quod à dignitatibus excluduntur infames *l.* 2. *C. de dignitat.* quod minor eorum fides ſit in teſtimoniis & quidam plane arceantur *l.* 3. & *l.* 13. *d. Teſtib.* quod heredes inſtituti fratribus atque ſororibus locum faciunt in querela inofficioſi *l.* 27. *C. de Inoff. teſtam.*

19. Finitur infamia per reſtitutionem in integrum à Principe factam, item finito tempore ſententiâ præſcripto. Quid ſi tempus non infamiæ, ſed pœnæ principali in cauſa famoſa ſit adjectum? durare tunc infamiam ſcriptum eſt in *l.* 6. *C. h.* Imo poſt hoc tempus poſtulare poſſunt *l.* 8. *d. Poſtul.* Ergo infamia ceſſat, ut dictum ad præced. tit. Reſp. eſſe quidem infames, ne ad dignitates admittantur, à poſtulando tamen non prohiberi vel potius *l.* 6. non loqui generaliter, ſed ut verba ſonant, de his qui in metallum damnati ſunt ad tempus. Aliter D. Wiſſenbach. *ad h. t. n. ult.*

20. Cæterum, hodiernis moribus non tam facile ad infa-

infamiam proceditur, ait D. Schotanus *in fin. h. t.* negligentiâ potius atque incuria & dissolutione morum hominumque, opinor, quam jure contrario & positivo.

TIT. III.
De Procur. & Defens.

POst titulum de postulando, quod est Advocatorum, sequitur de Procuratoribus; quorum definitio atque divisio repetenda *ex tit. Inst. de Mandato & de iis per quos agere poss.*

2. Quod huc pertineat; Procurator est ad negotia, vel ad Litem. de priore diximus in parte I. & dicetur inferius.

3. Procurator ad litem est, qui in judicio causam alienam mandato domini agit, ejusque vices fungitur, idque olim quilibet, ut de postulando dictum, suscipere poterat.

4. Sed hodiè Procuratores sunt Publici vel privati. Publici, qui ad hoc munus publicè admissi sunt; Privati, qui rogatu amicorum causas alienas suscipiunt; at hi tamen Publicos adhibere debent.

5. Nec enim hodiè quisquam propriæ causæ defensionem voce vel scripto in Judicio obire potest, sed Procuratorem constituere debet; ni jus postulandi habeat, quod confusionis vitandæ causâ necessario ita receptum videtur.

6 Multis etiam locis Advocati & Procuratoris munus conjungitur, ut apud nos fit; nam Advocati in suprema Curia sunt iidem Procuratores, & in municipiis procuratores quoque postulant. *vid. Mornac. ad tit. C. de Procur.* ubi plures recensetpopulos, quibus id placuit compendii causa.

7. Dare possunt procuratores, quicunque rerum suarum habent administrationem, quique ipsi judicio interesse nequeunt. Procuratores ipsi, Tutores, Curato-

ratores, Syndici habent jus dandi post litem contestatam, non antea *l.* 8. *l.* 11. *l.* 23. *C. h. l.* 74. *hoc tit.*

8. Hoc hodie secus est in publicis procuratoribus; imo Tutores, Curatores, Syndici, quin & mandatarii ad lites, statim à principio Procuratores ejusmodi publicos statuere debent, cum ipsi litem per se contestari nequeant.

9. Dari possunt, ut habet regula tralatitia, qui non prohibentur, quos inter minores ann. 17. §. 5. *Inst. Quib. ex caus. manum. arg. l.* 1. §. 3. *d. post.* nam *l.* 12. *C. d. Proc.* de defensore loquitur, in quo 25. anni requiruntur, ne judicium restitutione in integrum eludat *l.* 51. *h. t.* quæ procuratoribus negatur *l.* 23. *d. minor.*

10. Dein prohibentur fœminæ, nisi pro Parent. & in rem suam *l.* 41. *h.* & *l.* 4. *C. h. t.* Milites nisi fiscum iis sit contestata *l.* 13. *C. h.* Reip. causa abfuturi, morbo perpetuo adflicti, magistratum inituri *l.* 54. *h. t.* item potentiores *tit. C. ne Lic. pro potent.* Rei capitalium criminum *l.* 6. *C. h. t.* redemptores alienarum litium *l.* 17. *Mand. l.* 15. *C. h.* infames non penitus arcentur §. *ult. I. d. Except.* ubi diximus. utique à Procuratione publica omnino prohibentur, ut & fœminæ in casu *d. l.* 4. & *l.* 41. *arg. l.* 1. §. 8. & *ult. de postul.*

11. Constitui possunt hodie in omnibus causis, non tamen criminalibus, ubi pœna est relegatio vel major, *l.* 1. §. 1. π. *An per alium caus. appell. l.* 11. §. 2. *ff ad Leg. Jul. de adult.* nam quod in *l.* 33. §. 2. *h.* de capitalibus Judiciis habetur, non de causa principali, sed de excusatione absentiæ intelligendum videtur *l. pen.* §. 1. *d. public. judic. l.* 3. *C. de accus.* juncta *l.* 71. *h. vid. D.* Matth. *de crim. ad tit.* 13. *l.* 48. *cap.* 4.

12. Constituitur Procurator per consensum eumque expressum *l.* 8. §. 1. *h.* pro quali etiam habetur, si Dominus præsens rem suam ab alio geri patiatur *l.* 18. *mand. l.* 53. *Eod.*

13. Sine mandato judicium est ipso jure nullum *l.* 42.

l. 24. *C. de Procurat.* nisi post litem contestatam dominus ratum habuerit *l.* 56. *d. Judic.* sed personæ sanguine vel affinitate propinqua junctæ etiam sine mandato sub cautione de rato admittuntur. *l.* 35. *b. l.* 1. *C. b. t.* Nec non Maritus *l.* 21. *C. Eod.*

14. Sufficit mandatum ad litem generalibus verbis ad omnes judicii partes, ab in jus vocatione ad usque sententiam & executionem; præstat tamen partes notiores processus enumerari, si quid forte specialis mandati egens occurrat, ut est sane delatio præstatioque jurisjurandi.

15. Perezius *ad h. tit. C. n.* 18. sententiæ executionem, expensarum taxationem, inter ea refert, quæ specialis mandati egeant, quod nostri minime servant, neque necessum est.

16. Multo minus persecutio litis adversus contumaces id requirit; ut tamen vult nostra praxis ex male intellecto *art.* 1. *tit.* 10. *lib.* 3. *Stat.*

17. Officium Procuratoris est, ut sic vicarius domini *Cic.* pro *Cec.* omnia facere diligentissimè, quæ Dominus ipse faceret, (tenetur enim haud dubie de culpa levissima *l.* 21. *C. Mand.*) ab initio litis usque ad finem, imo etiam appellare *l.* 17. *C. b. t.* item accessorias lites sustinere debet *l.* 56. *b. t. l.* 62. *h*

18. Quin & in judicio reconventionis Dominum defendere debet *l.* 33. §. 4. si tamen hoc nolit, cogi non potest, modo renuntiet officio *l.* 17. *C. b. t.* sed si manere velit procurator, omnino cogendus est: textus ita conciliamus; aliter D. Wissenbach. *ad h. t. th.* 5. In judiciis duplicibus Procurator est quoque Defensor, *l.* 15. §. 1. *h.*

19. De Procuratore in rem suam, quid juris hac parte sit, *infra* intelligemus.

20. Prosequi appellationem aut suscipere appellationem adversarii non æquè cogitur procurator; ratio est *in d. l.* 17. ubi tamen ab interlocutionibus appellari potest, ut hodiè passim, illic & prosequi & suscipere

debet

debet appellationem, quia mandatum ejus adhuc durat, dum lis finita non est. Opp. *l. ult. an per al. cauſ. appell.* Reſp. Non loquitur de procuratoribus primæ inſtantiæ, ut hæc *theſis.* adde Gail. 1. *obſ.* 139. *n.* 8. *& ſeqq.*

21. Trita eſt regula; Procuratorem fieri dominum litis, quam conteſtatus eſt *l.* 23. *C. h.t.* Hoc leges de Procuratoribus privatis & ſimplicibus mandatariis intelligunt, nam publici noſtri illis ignoti ſunt, quæ *prima* ratio.

22. De his igitur ego iſtam regulam non puto uſurpandam. Nam II. Hi ſunt miniſtri litium non domini, cauſas aliquando innumeras ſuſtinentes; abs re foret, harum omnium illos fieri dominos, nec eſſe, probatur ita porrò;

23. III. Mortuo litis domino, pendente judicio, Procurator non admittitur, niſi novo mandato & *readſumptione*, quam vocant, factâ: hâc autem minime opus foret, ſi procurator ipſe dominus eſſet, nec ideo jure civili cognita eſt readſumptio *arg. d. l.* 23.

24. IV. Procurator dominus litis factus eam derelinquere non poteſt, niſi ob magnas cauſas, ut ſunt inimicitiæ capitales cum mandante, dignitas major, valetudo, neceſſaria peregrinatio, hereditas ſuperveniens &c. *l.* 8. §. *ult.* cum *ll. ſeqq. h.*

25. V. Idem lite conteſtatâ nec abdicari poteſt, niſi cauſa cognitâ, quando ætate, morbo, religione, carcere, abſentia, negotiis diſtractus aut ſuſpectus eſt *l.* 16. *l.* 17. *in pr. h. t.*

26. Hæc de mandatariis ad lites etiamnum ita ſe habent; at publici procuratores omni die ſalariis perſolutis qualibet judicii parte, ſi libet dominis, abdicantur, ipſique ſe exonerare poſſunt, ſi modo legitimè renuntient; quod dominis litium minime conveniret.

27. VI. Salaria procuratores petere non poſſunt, niſi promiſſa ſpecialiter *l.* 56. §. 2. *Mandat.* quod ſimiliter de mandatariis ad litem hodieque obtinebit. Dominus litis enim quis petat ut miniſter?

28. Sed

28. Sed procuratores publici salaria, licet non promissa, tamen ut ministri petunt, perinde ac Advocati *l.* 1. §. 11. *d. Extraord. cognit.* & quidem ita, ut in eodem judicio ne sententiæ quidem egeant, sicut alii creditores, sed recta via declarationem edant ejusque taxationem & executionem petant.

29. VII. Procurator, qui dominus litis est, etiam infamis esse potest §. *ult. I. de Except.* quid ni enim dominus litis infamis esse queat?

30. Sed ministerium publicum Procuratoris nullo modo infames admittit, ideoque tales hodie omnino removentur.

31. In Rubrica sunt etiam defensores, & defensor est, qui sine mandato alienam causam in judicio tuetur §. *pen. I. de satisdat. l.* 43. §. *ult. h.*

32. Estque voluntarius aut necessarius. Ille, qui reum absentem ultro suscipit defendendum; hic, qui cogitur alium defendere.

33. Voluntarius iterum aut officii causa & in gratiam rei solius defendit, aut suæ utilitatis & ejus quod interest causâ.

34. Primum quilibet indistinctè facere potest, modo caveat judicatum solvi *d.* §. *pen. I. de. Satisdat. l.* 43. §. *ult. l.* 46. §. 2. *h.* ac insuper de rato, si actio in rem sit *l.* 40. §. 2. *h. t.* ubi & ratio. Posterius non admittitur, nisi defensor duntaxat summarie probet, sua interesse onusque judicii in se redundare, quo probato, non videtur cogendus ad satisdandum, non magis quam quilibet in propria causa, ut monet Gronewegius ad §. 5. *I. de satisdat.* vid. Gail. *l.* 1. *cap.* 69. 70.

35. Necessarii defensores sunt, vel absolute tales, vel secundum quid, Hoc modo coguntur alios defendere sive pro illis intervenire, venditores in casu evictionis & quilibet auctores respectu eorum qui rem ab ipsis habent, de quibus ad *tit. de eviction.* & *alibi* dicetur, coguntur, inquam utpote damno litis ad illos pertinente; si tamen id susque deque habeant, ad factum

factum interveniendi non coguntur, nisi id nominatim in se receperint; hi absolute coguntur. *videbimus ad tit. de evict.* denique Procurator quilibet in reconventione fit defensor necessarius, ut *modo* expositum est.

36. Qui in rem suam seu volentes sive coacti intervenerunt, susceptam defensionem nullo modo relinquere possunt, difficulter etiam qui amicitiæ causâ *l.* 76. *h. t.* nisi ob causas valde prægnantes *l.* 43. §. *ult.* & *seqq.*

TIT. IV.

Quod cujusque Univers. Numine.

QUæ sint universitates dix. ad *tit. I. de Rer. div. n.* 10. Accuratè, Universitas est multitudo hominum certo sub regimine permissu summæ potestatis, communis commodi ergo sociata.

2. *Multitudo*; nam ipsum corpus sociatorum est universitas, non forma conjunctionis, ut aliqui argutantur; *l.* 1. *h. t.* numerus variè habet, minimus est trium *l.* 85. *d. V. S.*

3. *Hominum*, non semper *civium*, siquidem & advenarum temporariæ universitates dantur, ut mercatorum, studiosorum &c.

4. *Certo sub regimine*; his verbis differt universitas ab societatibus, à vicis, & à territoriis, quæ limitibus suis, non regimine certo continentur.

5. *Permissu summæ potestatis.* Plerumque immediate, aliquando per Magistratus. Sic autem familia removetur à definitione, quia hæc non eget consensu publico. Ipsa quoque *civitas* his verbis removetur, quia hæc summam potestatem ipsa constituit, non constituitur ejus permissu. Alioqui verba hujus definitionis & familiæ & civitati convenirent, imo & exercitui & cohortibus, centuriisque, navibus etiam in belli aut mercandi usum instructis; at hæ multitudines non permissu verum jussu summæ potestatis

tis ejusque in ministerium paratæ; ideoque non sunt universitates.

6. Denique corpora, quæ sine venia publica instituuntur, illicita sunt & in criminis notam incidunt, de quibus est *tit. in ff. de corpor. & colleg.*

7. *Communis commodi ergo*; idque duplici modo, *communi* respectu coëuntium & publico bono; non valent igitur collegia potandi commessandique gratia instituta, sicut ἑταιρίαι apud Græcos olim & in Academiis.

8. Dividuntur universitates, quod ex singulis personis, vel ex integris familiis cum suis rebus constent.

9. Quæ ex solis personis constant, habenturaut ob usus mere civiles, aut ob sacros.

10. Propter civiles usus instituuntur collegia artium mechanicarum atque Academiæ, quibus & jurisdictio vel saltem notio de suis rebus convenit. Scholæ & Gymnasia, quæ omni jurisdictione carent, non sunt universitates.

11. Universitates, quæ ob sacra colliguntur, sunt Ecclesiæ, non eo sensu, quo Johannes Hus Ecclesiam finiebat, *universitatem prædestinatorum*, rectissime quidem; sed pro multitudine credentium Deo, quæ certo loco stabilem publiceque permissum religionis cultum exercet. Quibus & jurisdictio quædam, sive audientia consistorialis tribuitur.

12. Universitates, quæ familias domosque complectuntur integras, sunt, pagi, Oppida, provinciæ, aliaque membra Reipubl. quales inprimis hic intelliguntur, cum de Syndicis & actoribus loquimur.

13. Jus quo universitates utuntur, est idem, quod habent privati, modo sint permissæ; nam illicitæ non utuntur jure publico.

14. Hinc Ecclesiæ prohibitæ non capiunt hereditates aut legata, nec quidem si quid emerint, conduxerint aliterve contraxerint, audiuntur.

15. Quid si publicè tolerentur, ut apud nos Ana-

baptistæ & Arminiani? Tales in his, sine quibus consistere non possunt, jure frui debent, quamdiu publicè durat conniventia: in iis quæ ad amplificandos eos pertinent, non æquè; & sic apud nos servatur; legata non percipiunt, contrahere ad usus necessarios possunt. dix. *lib. 2. d. jur. Civit. c. 10. & seqq.*

16. Scilicet & contrahere & delinquere possunt universitates *l. 7. §. 1. h. l. 9. §. 1. Quod met. c. l. 15. §. 2. Quod vi aut clam.*

17. Contrahere possunt, si vel omnes consentiant, vel hi qui regunt universitatem, quibus universitas id negotii dedit. Quid si major pars consenserit? Id sufficit in his quæ ad regimen ordinarium spectant, de aliis ut ex mutuo, non tenentur qui dissenserint, nisi quatenus in rem versum *l. 27. d. reb. cred.*

18. Delicti fere eadem ratio est; pœna singulos vix unquam adfligit, nisi quorum de dolo liqueat, per *l. 15. §. 1. d. dol. mal.*

19. Quod procuratores faciunt pro privatis, hoc pro Universitatibus Syndici præstant, à quibus differunt actores, quod hi ad certas causas, illi ad Universas dantur *l. 1. §. 2. l. 6. §. 1. & 3. l. ult. h. t.*

20. Creantur Syndici juxta præscriptum legis, aut ex consuetudine, vel aliàs ab ordine Decurionum *l. 3. h. t. cum seqq.* quo casu patris quoque suffragium prodest filio *l. 5. h. t.*

21. Potestatem habent Syndici eandem cum Procuratoribus & ex iisdem causis mutantur. De rato cavere non solent, nisi cum dubitatur, an sint actores vel Syndici *l. 6. §. ult. h.*

TIT. V.

De Negotiis gestis.

HIc titulus superiori cohæret affinitate quam habet negotiorum gestor cum procuratoribus, quum alioqui ab ordine judiciorum alienus sit.

2. Ete-

2. Etenim quod procuratores ad litem & ad negotia differunt, hoc distat defensor & negotiorum gestor; de cujus definitione & ceteris *vid. ad tit. I. de oblig. ex quasi contract. n. 5. & seqq.*

3. Sunt casus, quibus negotiorum gestorum actio contraria, cessat I. si quid pietatis causa factum sit. Exempla vide in *l. 27. §. ult. l 34. d. Neg. gest. l.* 11, 12. 13. 15. *C. eod.* nisi de contrariâ voluntate liqueat, ut in *d. l.* 34. *l.* 50. *Famil. ercisc. d. l.* 13. *C.*

4. II. Si prohibente domino gesserit *l. ult. C. de Negot. gest. l.* 27. §. 25. *ad L. Aquil.* ubi & ratio, quia donasse videtur.

5. III. Si quis lucri sui causâ res alienas gesserit *l. 6.* §. 3. *h. t.*

6. IV. Si fecerit impensas pro alio, ad quas tenebatur *l. 5. C. eod.*

7. An etiam cessat hæc actio, si ratihabitio intervenerit? Non videtur *l. 6. §. 9. & 10. l. 9. C. d. tit. l.* 80 §. 5. *d. Furt.* Imo erit mandati actio, per *l.* 60. *d. R. I. l.* 56. *d. Jud. l.* 16 §. 1. *d. pignor.* Quid autem vetat utramque dari? vid. Bronch. *a. enant.* 47. *& seq.*

TIT. VI.

De Calumniatoribus.

MUlti, cum in jus aliquem vocaverunt improbi calumniatores deprehenduntur. Est autem Calumniator in genere, qui falsam litem dolo malo intendit. Hoc loco est, qui pecuniam accepit, ut alium improba lite vexaret *l. 1. h. t.*

2. Qui hoc fecit, tenetur in quadruplum cis annum, postea in simplum *d. pr.* Per pecuniam intellige omne genus compendii *l. 3. pr.* Daturque actio sive moverit, sive non; dummodo acceperit, ut faceret, vel ne faceret *l. 3. §. 1.*

3. Actio datur ei, in cujus fraudem data est pecunia *d. l. 3. §. ult.* unde, si ego dederim pecuniam, ne me

vexaret, ei, qui prius acceperat nummos, ut me vexaret, idem bis mihi tenetur *d. l. in fin.*

4. Est actio mixta, ita ut simplum quadruplo insit; hinc, simplo exacto, non in quadruplum sed in triplum agitur, *l. 5. §. 1.* quæ sic capienda. Vid. *ad tit. I. de Action. n.* 102. *& seqq.*

5. Hæredi non datur hæc actio, quia magis ad vindictam personalem spectat *l. 4. b.* nec in heredem datur, nisi quatenus pervenit *d. l. 5.* ubi dictum illud celebre, *turpia lucra heredibus etiam extorquenda.*

6. Præter quadruplum criminaliter quoque & extra ordinem puniuntur calumniatores *l. 8. in fin* idque cum infamia *l. 1. D. d. bis qui not. infam.*

LIB. IV.

TIT. I.

De restitutionibus in integrum.

SÆpe judicium per integrum restitutionem prævenitur, rescisså causâ, super qua litigandum erat: de qua proinde ante judicia tractatur; Continuationis aliam alii rationem reddunt ● Cujacius eam petit ex *l. 1. §. 9. & 10. d. Postul.* Aliter Pacius & J. Gotofred. *ad h. t.*

2. Est nihil aliud restitutio, quam amissæ causæ redintegratio *l. 2. C. in quib. causis rest. in integr. necess. non est, in fin.* Pari sensu redintegrandæ causæ actio dicitur Paulo *lib. 1. Sent. cap. 7.* non actio petitoris, sed Prætoris, ut idem quod actus significet, quemadmodum & legis actio sumitur.

3. Additur, *amissæ causæ*; nam ubi jus adhuc est salvum nec amissa causa, ubi restitutioni locus non est *l. 16. in pr. d. Minor. l. 3. C. de Int. qui sat non ded.* sed que-

querelæ nullitatis, quæ est perpetua, cum restitutio sit temporaria, uti mox.

4. Potestas restituendi in integrum competit cuivis ordinario Magistratui, imo & delegato *l. ult. C. ubi & apud quem.* ut tamen inferior judex contra id quod à superiore actum est restituere nequeat *l.* 18. *pr. d. minor.* sed quilibet contra suam & antecessoris sententiam potest *l.* 16. §. *ult. l.* 18. *l.* 42. *d. Minor.* Unde sequitur, contra Principis sententiam solum restituere Principem *d. l.* 18. §. 1.

5. Magistratus municipalis non potest restituere, quia τῶν ἀρχικωτέρων est *l.* 26. §. 1. *ad Municip.* at hodie quilibet Magistratus habens jurisdictionem, licet minor, restituit, teste Sfortia Oddo *part.* 1. *de rest. qu.* 32. *art.* 4. quod & in Frisia obtinet. Sand. 1. 15. 5. *verf. aliquando.* utique si unà cum principali actione petatur restitutio, at si hæc sola petatur, secus putem.

6. Restitutionem petere potest, quicunque læsum se queritur, seu per se, seu per procuratorem speciali mandato ad hoc instrumentum *l.* 25. §. 1. *in fin. l.* 26. *d. Minor.*

7. Idque in loco domicilii *l.* 2. *C. ubi & apud quem*; nisi pariter actio, quæ restitutione facta competit, quam rescissoriam vocant, instituatur; tunc enim locus rei sitæ vel rei gestæ concurrit. Sand. *l.* 1. *tit.* 15. *def.* 1. Struv. *hic n.* 4.

8. Nempe, modus petendi restitutionem est vel per actionem, vel per exceptionem *l.* 9. § 3. *Quod met. c.* Actio vel contendit, inquam, ad solam restitutionem, vel simul ad jus amissum *l.* 21. §. *ult. Quod met. c.* Priorem *vulgo* judicium rescindens vocant, quod dein sequitur, rescissorium *l.* 46. § 3. *d. Procurat.* Posteriore modo utrumque conjungitur, & hic duplex modus omni die exercetur.

9. Quando super incidentibus causis in judicio restitutione opus est, ut fit omni die, libello supplici,

non actione petenda est, ne judicium judicio cumuletur; si res dubia sit, ut per libellos expediri nequeat, ita rescribitur *stylo nostro*, fiat *libellus in judicio* & tum partes summariâ lite disputant.

10. Restitutio fit, si justa sit causa: cujusmodi sex recensentur *l.* 1. *in fin. cum l.* 2, *h.* metus, dolus, minor ætas, absentia, capitis diminutio & justus error; si tamen res majoris sit momenti & digna extraordinario remedio: nam ob rem modicam negatur *l.* 4. *h.* id est, usque ad duos aureos *l.* 10. *d. dol. mal.* (cujus tamen moderatio judici permittitur,) maximè si rei major præjudicetur *d. l.* 4. quem in finem causæ cognitio adhibenda est *l.* 3. *h.*

11. Ob hasce causas restitutio in quibusvis negotiis conceditur, etiam contra Fiscum *l.* 1. *C. Si adverſ. fiſc.* contra sententias *tit. C. Si adverſ. rem judic.*

12. Transactiones *l.* 1. *C. ſi adv. tranſact.* non tamen ob errorem *ſupr. d. tranſact. n.* 20. & 21. etiam adversus usucapionem & præscriptiones *tit. C. ſi adv. uſuc.* excepta præscriptione 30. *annorum l.* 3. *C. de præſcr.* 30. *ann.* non adversus parentes *l. fin. C. Qui & adverſ. quos.*

13. Tempus restitutionis hodie est quadriennium continuum *l. ult. C. d. temp. in integr. reſtit.* non modo ad instituendum (hactenus hodie) sed & absolvendum hoc judicium, quatenus diligentiâ petitoris fieri potest *d. l. ult. l.* 6. *eod.*

14. Hoc tempus currit minoribus à primo die anni 26. *d. l. ult.* §. *ult.* aut veniæ ætatis judici intimatæ *l.* 5. *C. eod.* nisi plus quadriennio desit huic, à 25. ann. Hoc enim spatium absolute ei permittitur: *d. l.* 5. Dolo aut metu circumscriptis currit tempus à re gestâ, utiliter tamen. Absentibus currit, à quo abesse desierint, ut & militibus *d. l. ult.*

15. Omnium qui possunt restitui successores quoque restituuntur *l.* 6. *h. t.* regulariter ex persona defunctorum, & pro tempore, quod illis supererat: nisi quod minores insuper ex suâ personâ restituuntur; quâ de

de re *vid. l. 2. l 4. l. 5. §. 2. C. d. temp. in integr. restit.* quia vero transit hoc jus ad heredem, sequitur, etiam cedi posse *l. 24. pr. d. Minor. l. 20. §. 1. d. Tut. & rat. dist.*

16. Effectus restitutionis est, quod, ea pendente, cuncta maneant in statu *l. un. C. h. t.* hoc ita in genere. In sententiis magis sequimur jus canonicum, quo fieri potest executio sententiæ, à qua restitutio petita est, sub cautione, judicis arbitrio *cap. 6. extra de in integr. rest.* quod praxis frequenter servat, apud nos hactenus, ut si executio jam sit inchoata, per restitutionem impedire nequeat, & si necdum inchoata, suspicio tamen sit, restitutionem peti tergiversando, victori potest concedi executio statim, sub cautione quam diximus. Sand. *l. 1. tit. 15. def.* 3.

17. Quia autem restitutio à sententia non impugnat executionem ejusve modum, sed nova Judicii causa est, ideo per modum exceptionis vel oppositionis adversus executionem non potest institui, sed crudâ, ut vocant, actione opus est. *Sand. ibid.*

TIT. II.

Quod metus causa.

PRima restitutionis causa traditur Metus, qui definitur, instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio *l. 1, b.*

2. Instans, quod jam adest; futurum quod certo expectatur, quatenus moraliter constare potest; sic *cape l. 9. h. t.* ubi metus præsens requiritur, quo incerti periculi suspicio removetur. Confer *l. 33. §. 2. d. Usucap.* juncta *l. 3. §. 7. d. Vi.*

3. Præcipua periculi species intelligitur hic, Vis, quæ est Majoris rei impetus, quem repellere nequimus *l. 2. h.* Sed in genere omnis metus, qui cadit in hominem constantem, facit locum restitutioni *l. 6. h.* licet ipse versatus sit in re illicita *l. 7. §. 1. b.*

4. Non igitur metus reverentiæ, qui dicitur, per *l. 22. de rit. Nupt.* non timor infamiæ, aut vexationis alicujus *l. 7. pr. h.* non metus minarum, nisi præsenti periculo junctæ *arg. d. l. 7. pr.* qualis est, si Medicus ægrotum adigat ad pactionem mercedis enormen metu desertionis.

5. Metus quoque sine damno huc non pertinet; Exemplum in creditore, qui debitorem solvere cogit *l. 12. in fin. h.* licet impune non abeat *l. 13. eod.*

6. Denique, vis justa, qualis in bello, non dat restitutionem. Grot. 3. *de jur. b. & p. c.* 19. *n.* 11.

7. Quod metu gestum est, ut & omnia quæ restitutionem merentur, ipso jure valet, sed per actionem aut exceptionem rescinditur *l. 3 in fin. C. d. Tutore qui sat non ded.* at ita in eventu irritum fit *l. 1. h.* sic *cap. l. 22. h. t.* & confer. *l. 54. d. Cond. indeb.*

8. Metum passo datur actio quod metus causa & exceptio ejusdem nominis, quæ competit seu perfecta res, sive imperfecta sit; Perfecta, cum v. c. numeratio secuta est; imperfecta, habetur, cum promissa tantum. Utroque casu & actio & exceptio competit, positis terminis habilibus *l. 9. §. 3. h. t.*

9. Imo per compendium, si quis metu coactus rem alienaverit, vel debitorem ipso jure liberaverit, potest & in rem, & veteri in personam agere, rescisso simul à Prætore quod gestum est, eodem judicio *d. l. 9. §. 4.* qua de re dictum *tit. præced. n.* 8.

10. Competit hæc actio in quadruplum, exemplo de vi bonorum raptorum, adversus auctorem metus aut quemlibet rei extortæ possessorem, lucrive participem, quo sensu in rem scripta est; item arbitraria, quia reus primo simplum præstando potest defungi; ex contumacia in quadruplum tenetur *l. 14. §. 3. 4. 5. & ult. h.*

11. Datur hæc actio intra annum utilem *l. 14. §. 2. h.* nec obstat *l. 21. §. 1. Eod.* qui tamen est mutatus in quadriennium *l. ult. C. de Temp. rest. in int.*

11. Plu-

11. Plures metus rei tenentur quidem singuli, sed unius solutione omnes liberantur, quia est ab initio in simplum actio *d. l.* 14. §. *ult.*

12. Heredes tenentur, quatenus ad eos pervenit; & sufficit, semel perveniſſe *l.* 16. §. *ult.* & *l.* 17. *h.* quod si res ipsa perierit ante condemnationem *l.* 14. §. 11. qui vim fecit adhuc tenetur: si post sententiam intra tempus judicati faciendi sine dolo interierit, tripli pœna supereſt, de re ipsâ agi nequit *l.* 14. §. 5. & 11. *h. t.*

13. Ratio, cur re post sententiam pereunte non æque teneatur Reus, quam de re ante sententiam pereunte, hæc esse videtur: quod ante sententiam potest arbitrium interponi de re restituenda, post sententiam non potest.

TIT. III.

De Dolo Malo.

SEcunda causa restitutionis est Dolus, qui definitur in *l.* 1. *h.* omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita; in quibus verbis non est cumulatio synonymorum, sed comprehensio omnium doli specierum, per verba diversos fallendi gradus significantia; de quibus dixi in *Digr. l.* 3. *C. pen.*

2. Indicat autem definitio dolum, quiin contractibus vertitur, hic intelligi; in delictis dolus significat propositum quodvis malignum, licet sine machinatione §. 1. *l. d. injur. l.* 7. *ad L. Corn. d. Sicar. & paſſ.*

3. Divisio doli in verum & præsumptum accurata non est, nec etiam in personalem & realem, quibus quid velint vulgo, *vid.* Schot. *in exam. h. t.* Verborum usus in illum sensum non quidem nullus est, sed divisiones non videntur esse: Nimia inæqualitas rerum per se dolus non est; at si quis ea velit uti in fraudem alterius, tum verè fit dolus *l.* 36. *d. V. O. l.* 2. *C. de reſc. vendit.*

tum *l. 6. h.* Proinde & ob lucrum ceſſans reſtituuntur *l. 7. §. 6. & 8. h.*

3. Lubrico tamen ætatis læſum oportet, non eventu fatali *l. 11. §. 4. & 5.* ubi in fine nota temperamentum, ut ſi imprudentia in damnum fatale inciderint, adhuc reſtituantur: quâ de causâ & adverſus ſortem reſtituendi videntur, non utique adverſus eventum, ſed contrà terminariam commiſſionem ſortis.

4. Datur reſtitutio cunctis minoribus, etiam ſi curator intervenerit, tam in, quàm extra judicium, etſi curatores ſolvendo ſint *l. 2. & 3. C. ſi tut. vel cur.* cognitâ ſcil. causâ; neque enim tam facile tunc læſio præſumitur. *l. ult. d. reſtit.*

5. Contra tertium poſſeſſorem b. fidei non datur reſtitutio, niſi in ſubſidium, quando minor aliter ſuum ſervare nequit; adverſus eum qui ſcivit, indiſtinctè *l. 13. §. ult. & ll. ſeqq. h. t.*

6. Debet autem minoribus ipſis & ſolis prodeſſe reſtitutio, non parentibus illorum *l. 3. §. 4. h. t.* non mandatoribus *l. 13. l. 23. h. t.* neque fidejuſſoribus *d. l. 13. l. 2. C. d. fidej. minor.*

7. Nempe, ſi in hoc interceſſerint, ut ſi minor ætatis beneficio uteretur, ipſi ſolverent; nam fidejuſſor ſimpliciter datus ſine eo reſpectu per reſtitutionem minoris etiam liberatur *l. 51. in pr. d. Procur. l. 89. d. Acquir. hered. l. 2. §. 1. d. Admin. Tut.*

8. Multo magis ſi dolus creditoris intervenerit *d. l. 2.* quo caſu ne mandator quidem tenebitur, qui alioqui difficilius liberatur, cum velut Suaſor & adfirmator fuerit *d. l. 13. in pr.*

9. Sic porro fit reſtitutio, ut & adverſario ejus integra cauſa præſtetur *l. 24. §. 4. h.* cujus exemplum eſt *in l. 1. C. ſi adverſ. tranſ.* cui non obſtat *l. 28. h. t.*

10. Loquitur enim de Tutelæ judicio, quod eſt generale; minor forte reſtitutus eſt adverſus unum caput rationum, non ideo Tutor reſtitutus intelligitur adverſus illum in aliis capitibus: ſed ejuſdem rei

rei & capitis respectu sine dubio reciproca restitutio est.

11. Casus, quibus cessat restitutio, spectant vel rem vel personam; Ad rem I. Si minor deliquerit *l.* 37. §. 1. *h. l.* 36. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* nisi leviora admissa fuerint, ut si mater minor non petierit tutorem liberis *l.* 1. *C. si adversf. del.* Si heres minor non vindicet necem defuncti *l.* 6. *C. de his quæ indign.*

12. II. Si minor manumiserit, etsi dolo captus, ob favorem libertatis *l.* 9. §. *ult. adde tamen l.* 10. & *l.* 11. *in pr. h. t.*

13. III. Cessat restitutio in solutione decreto judicis factâ §. *ult. I. Quib. alien. lic.*

14. IV. In damnis fatalibus, ita ut modo diximus.

15. V. Si restitutio semel petita atque negata sit; hoc enim est quod dicitur, Restitutionem bis peti non posse, nisi novis è causis *l.* 1. & 2. *C. si sæp. restit. pet.* at circa idem negotium restitutiones, licet in contrarium peti possunt *l.* 7. §. 9. *l.* 41. *h. t.* Nam ibi minor ab aditione vel repudiatione restitutus denuo restitui potest, ut aditam hereditatem repudiet vel contrà, vid. tamen *l. ult.* §. *ult. vers.* simili modo *C. de bon. quæ lib.*

16. VI. Cessat, Quando res desiit integra esse, finitis jam negotiis *l.* 24. §. 2. *h. t.* quâ de re vide tamen Sandium *l.* 1. *tit.* 5. *def.* 2.

17. VII. In præscriptione triennali, judiciis finiendis præfixâ, nisi aliter suum servare nequeat *l.* 13. §. *f. C. de Judic.* Reliquæ præscriptiones temporales ipso jure cessant adversus minores *l. ult. C. In quib. caus. rest. necess. non est.*

18. De his septem causis eodem ordine, tene, sis, hoc distichon.

Crimina, libertas, decreta solutio, fatum,
Pulsa petitio, res non integra, tempora litis.

19. Respectu personali cessat restitutio; si veniam ætatis impetravit minor, quod potest adolescens annorum 20. puella octodecim annos nata, si hæc per quin-

quinque teſtes, ille per tres conſtantiam morum probaverit *l.* 1. & 2. *C. de his qui ven. æt.* qua impetrata pro majoribus habentur, excepta tamen alienatione rerum immobilium *l.* 2. §. 1. *in fin.* & *l.* 3. *eod.*

20. II. Si major factus ratum habuerit negotium *l.* 3. §. 1. *l.* 30. *h. t.*

21. III. Si majorem ſe eſſe mentitus ſit *l.* 2. & 3. *C. ſi min. ſe maj.* ſimplicitas excuſatur *l.* 1. *eod.* modo non pejeraverit ea gratiâ *d. l.* 3. *in fin.*

22. IV. Si jurejurando firmaverit contractum legibus non prohibitum; quam exceptionem contra rationem juris antiqui Fridericus *roſſâ barbâ* invexit *Auth. ſacram. puberum C. ſi adverſ. vend.* Friſii jus Romanum vetus ſequuntur 1. *Stat.* 7. *art.* 4.

23. V. Ceſſat contra parentes atque patronos *d. l. ult. C. Qui adverſ. quos.* Etſi filio contra ſententiam pro Patre latam reſtitutio non negatur *l.* 2. *C. ſi adverſ. rem judic.*

24. Has quinque cauſas perſonales habes in hoc diſticho.

Si veniam nactus, ſi major comprobet acta,
Mendax, juratus, ſi pulſet lite Parentes.

25. Quadriennium à minori ætate exactum ἀπὸ φρενῶν repetendum ex *tit. de Reſtitution. in int.* n. 13. eſt enim hæc cauſa, per quam ceſſat omnis reſtitutio.

TIT. V.

De Capite Minutis.

CApitis diminutio, de qua dictum ad Inſt. de cauſa reſtitutionis veteri potius quàm novo jure: nam quia filiusfam. emancipari non poterat, quin redactus quaſi in ſervitutem eſſet *l.* 3. §. 1. *h. t.* quod etiam adoptatis evenjebat *l. ult. C. de emancipat.* hinc ſubtilitas juris forenſis Rom. in illa mutatione jura & actiones occidebat *d. l.* 3. adeo ut prætoris beneficio actiones eſſent reſtituendæ *l.* 2. §. 1.

2. Quia

2. Quia autem subtilitas hæc civilis erat, ideo ad præstationes naturales non pertinebat edictum *l.* 8. neque prorsus ad maximam & mediam capitis diminutionem, quia per illas jura ita extinguebantur, ut à Prætore restitui non possent *l.* 2. *pr. h.*

3. Hodie, quia modus constituendi & solvendi patriam potestatem à servili causa ejusque imitamentis alienus est, ideo hanc restitutionis causam cessare dubium non est *l. ult. C. de Emancip.*

TIT. VI.

Quibus ex causis Majores.

EDictum hoc bimembre est, vel potius triplex; Prima pars restituit absentes reipubl. causa contra præsentes, *l.* 1. *h.*

2. Altera pars edicti restituit præsentes contra absentes, qui defensi non fuere, quoslibet, sive Reipub. sive alia causa abfuerint *d. l.* 1. §. 1. *l.* 21. *pr.* & §. 1. Utroque casu datur læsis actio rescisoria, de quâ diximus *ad tit. I. de action. n.* 19.

3. Adde, quod non modo competit ad rescindendam usucapionem & præscriptionem, sed etiam obtinet in re judicatâ *l.* 30. *in fin. h. tit. l.* 1. C. *eod.* in venditione *l.* 6 C. *de restit. mil.* in legato *l.* 41. *h.* aliisque causis generaliter *d. l.* 30. *in fin.*

4. Ultimâ parte Edicti restitutionem pollicetur Prætor ex qualibet causâ justâ *d. l.* 1. *in fin.* cujusmodi non est sola ignorantia, ubi res sit *l. un* C. *d. Usuc. transform.* sed error ex gravi positiva causa ortus, propter quam usucapio quoque rescinditur *l.* 2. *l.* 4 *l. ult. C. quib. non obj. long. temp. præsc.* cujusmodi tamen adversus præscriptionem longissimi temporis minime prodest *l.* 3. *l.* 4. C. *de præscr.* 30. *vel* 40 *ann.* D. Wissenb. *ad h. tit. th.* 5.

5. Cæterùm, interpretatio cautæ justæ arbitrio quidem Prætoris temperatur, ut est in *l.* 16. *h. t.* sed oportet

tet justus error sit, qui prudentissimum quemque fallat, qualis in *l.* 1. *pr.* & §. *ult. Quod falsi. tut. auct.*

6. Imprimis cavendum, ne quod in aliis Edictis rejicitur, hic recipiatur; ut cum metus futilis minarum aut reverentiæ sub prætextu clausulæ generalis allegatur. Advocatis est hæc quasi panacæa, adversus omnes errores; & male.

TIT. VII.

De Alienat. jud. mutandi causâ factâ.

SImilis restitutioni est Prætoria actio in factum, quæ datur ei, in cujus fraudem res, de qua lis metuebatur, alienata est, per quam consequitur id quod interest *l.* 1. *pr. h. t. l.* 24. §. 1. *ff. Com. div.*

2. Proprie tamen restitutio non est, quia datur utilis in rem actio contra alienantem, quam si pati vellit, hanc evitat *l.* 3. §. *ult. h. l.* 27. §. 3. *d. rei vind.* imo & directa contra possidentem actio in rem *l. un. C. h. t.* Unde liquet, jus non esse ademptum, cui proinde restitutio applicari non potest.

3. In personalibus, quibus de præstatione certi corporis non agitur, hæc actio cessat, quia debitor nunquam facere potest, ne creditori teneatur *l.* 1. *C. d. Novat.*

4. Sed actor, qui suum jus in potentiorem transfert tam in personam quam in rem, amittit jus suum, & extra ordinem punitur *t. tit. C. Ne lic. potent.*

5. Qui ex necessaria, vel mortis causa alienat, non tenetur hoc edicto, quia fraude carere præsumitur *l.* 8. §. 3. *l.* 10. *pr. h.* multo minus tenetur qui odio litis rem amisit *l.* 4. §. 1. *h. t.*

6. Hæc actio est rei persecutoria, non pœnalis; in heredem tamen non datur, quia ex delicto est *l.* 4. §. *ult.* & *l.* 7. *h.* diximus ad tit. Inst. de perpet. & temp. act. n. 15. & *tit. de Action. n.* 47.

7. Discrepat ab hac Rubr. *tit. de Litigios.* sicut lis mo-

movenda à lite motâ, quemadmodum suo loco dicetur.

TIT. VIII.

De Receptis, qui arbitrium receperunt.

ANtequam partes se judicio committant, sæpe faciunt periculum finiendi litem per arbitros. Olim arbitri erant judices in bonæ fidei actionibus, & sic vox usurpatur in *l. ult. ff. Fam. ercisc. l.* 15. *l.* 17. *C. Eod.* Rursus, arbitri dicuntur judices ad probandos fidejussores dati, & qui surrogantur judicibus suspectis *l.* 9. & 10. *Qui satisd. cog. l.* 16. *l. ult. C. d. judic.*

2. Sed propriè Arbitri sunt, qui compromisso partium constituuntur, ad causas instar judicii decidendas *l.* 13. §. 2. *h. t.* de quibus *h. t.* nam priores, ut & arbitratores, qui in *l.* 7. *d. contrah. empt.* referuntur & *in auth. Si vero C. d. judic.* hinc sunt alieni.

3. Compromittere possunt in arbitros quicunque liberam rerum suarum habent administrationem; quâ consequenter qui carent, prohibentur *l.* 35. *h.*

4. Recipere arbitrium possunt, qui possunt esse judices *l.* 9. §. 1, & *seq. l.* 41. *h.* nisi quod infamis etiam esse queat *d. l.* 7. *princip.* & pater etiam in causa filii *l.* 6. *h.* quia compromittentes sibi imputabunt, qui jus suum volentes illi commiserint, non obstante *l. pen. h. t. l.* 10. *d. jurisd.* Minor annis 20 non potest *d. l.* 41. nec Femina *l. ult. C. h. t.*

5. Judices pedanei non poterant arbitri esse in causis, ad quas dati erant *l.* 9. §. 2. *h.* Nostri judices ordinarii non prohibentur & fiunt omni die.

9. Compromissum nihil est aliud, quam Promissum reciprocum, quo duo vel plures invicem promittunt, servaturos se, quod arbitri electi de controversiâ sua pronuntiaverint; fitque vel stipulatione reciproca, vel interdum nudo pacto *l.* 11. §. 3. jusjurandum hodie prohibitum est *auth. decernit C. h. tit. add.*

Nov. 82. *Cap.* 11. qui vel perjurium foret neceſſarium, vel ſententia arbitri inevitabilis; quod naturæ compromiſſi & publicæ judiciorum autoritati adverſum eſt.

7. Dari poſſunt de omnibus cauſis, præterquam de publicis criminibus, & de famoſis delictis; in contractibus famoſis eſſe quidem poſſunt arbitri, at ſalva partium fama, *l.* 32. §. 6. *h. l.* 13. §. 5. *d. his quæinfam.* de matrimonio *c. pen. x. de in int. reſtit.* nec de cauſis pupillorum aut minorum *arg. l.* 3. *in pr. h. t.* de liberalibus, de popularibus cauſis *l.* 32. §. 6. & 7. *h.* neque de reſtitutione in integrum *l. ult. C. ubi & apud quem.*

8. Ratio eſt, quia nemo compromittere poteſt, niſi de rebus, quæ pendent à libero ipſius arbitrio, quales non ſunt cauſæ prædictæ.

9. Mulctæ quoque dictione carent arbitri *l.* 2. §. *f. d. jud.* etſi contumaciam litigantium ex compromiſſo pecunia coercere queant *l.* 39. *h.*

10. Duplex hujus tituli ſcopus eſt: primo ut ſciamus, quomodo arbitri cogantur; ſecundo, quis ſit effectus arbitrii.

11. Qui recepit cauſam arbiter, abſolvere eam cogitur intra tempus præfinitum *l.* 33. *h.* remediis compellendi prætoriis *l.* 3. §. *ult. l.* 32. §. 1. & 12. *h.* niſi major ſit magiſtratus *l.* 4. vel compromiſſum ſit nullum aut incertum *l.* 32. §. 3. *h.* item ob turpitudinem arbitri, *l.* 9. §. 3. aut ſi juſtam arbiter excuſationis cauſam habeat *d. l.* 9. §. 4. 5. *d. l.* 10. & 11. *pr. l.* 15. *l.* 16. *l.* 17. *h.*

12. Ut effectum habeat ſententia arbitrorum, debet eſſe conformis compromiſſo, à quo omnis eorum poteſtas pendet *l.* 21. *h. t. l.* 32. §. 15. & *l.* 46. *l.* 50. *eod.* ideoque ſi de cauſa reconventionis extra compromiſſum judicaverit, id effectu caret *arg. dd. ll.* in cæteris ad inſtar judicii componuntur, etiam in hoc, quod plurimum ſententiæ concludunt *l.* 27. §. 3. *h.*

13. Differunt tamen in his; Paribus judicum ſententiis reus abſolvitur, at ſi in pari arbitrorum numero diſſenſus ſit, nihil agitur; ſed tertium adjungere debent *l.* 17. §. 6. *h.*

14. Ni-

14. Nihil quoque agitur, si compromissum sit, ut certam arbiter sententiam dicat *l.* 19. *h. t. in pr.* quanquam in judicio talis conventio valet *l.* 26. *d. re judic.* quoniam ibi non agitur nihil, siquidem actio rei judicatæ acquiritur; in arbitrio nihil ageretur.

15. Sententia pronuntiata mutari ab arbitro non potest *l.* 19. *in fin. h. t.* sed explicare eos ambigua posse atque debere, res & usus & ratio docent.

16. Actio ex sententiâ arbitrorum, vel exceptio nulla datur *l.* 2. *h. l.* 1. *C. h. t.* & tamen partes stare debent sententia, sive æqua sive iniqua sit *l.* 27 §. 2. at quo pacto? Si stare nolint, solvere debent poenam, de quâ convenerunt: vel si summa non sit expressa, in incertum agendum est *dtl.* 27. §. *ult.* nisi dolus partium aut arbitrorum arguatur *l.* 31. *h. t.*

17. Datur tamen è *Laudo* (sic vulgo appellatur arbitri sententia) actio in factum & exceptio pacti taciti; si partes consenserint, aut expressè subscribendo, aut tacite, lapsis 10. diebus *l. pen. C. h.*

18. Sed antea, inquam, recedere licet, pœnâ solutâ, quæ etiam committitur, *l. pen. eod.* cum pendente arbitrio, pars una rem defert ad judicem ordinarium; quo tamen facto, arbitrium finitur; neque enim alteri exceptio litis pendentis datur *l.* 30. *h. t.*

19. Appellatio hic non habet locum *l.* 1. *C. h. t.* non obstante *l.* 23. *pr. d. Appel.* sed moribus obtinet reductio ad judicem ordinarium, ob enormem læsionem. *arg. l.* 76. *& seqq. Pro soc.* petenda intra 10. dies, quæ similem appellationi habet effectum: Quin habet locum, etsi partes ei renuntiaverint, non tamen si approbaverint (vulgo *homologare.*)

20. Ideo sæpe convenit, ut in casu reductionis pœna tamen solvatur, quod pactum valet & est loco renuntiationis. Vid. Sand. *l.* 1. *tit.* 14. *per tot.* etiam, sis, *Schotan. h. t.*

21. Finitur compromissum I. Morte, nec enim transit ad heredes, nisi expresse comprehensos *l.* 27. §. 1. *l.* 45. *h.* Adde *l.* 49. §. *ult. Eod.*

22. II. Si dies compromisso adjectus, sit elapsus *l.* 21. §. 5. *h.*

23. III. Pœnâ commissâ, id est, existente casu, quo pœna exigi possit *l.* 34. §. 1. *h.*

24. IV. Si partes à compromisso recesserint, vel unus eorum se ad judicem contulerit *l.* 30. *ut dictum.*

25. V. Si ipsa lis vel causa finita sit acceptilatione, pacto aliove modo *l.* 32. §. 1. *h.*

TIT. IX.

Nautæ, Caupones, Stabularii.

JAcobus Gotofredus *in serie pand. hoc tit.* reprehendit eos, qui nullam in hoc titulo rationem methodi, quam homonymiam vocabuli de recepto, comminiscí possunt, quod fateor, me cum Cujacio aliisque adhuc putasse.

2. Tradit ille suam quidem rationem, quod Prætor inter alia in Edicto suo duas recepti species complexus sit; nihil tamen profert, quare non hoc receptum Nautarum atque Cauponum à præparatoriis & affinibus judiciorum, quo sanè arbitrium receptum pertinet, sit alienum, adeoque hoc Nautarum Cauponumque receptum loco deserto sit collocatum.

3. Ipsas actiones de recepto & in factum in duplum habuimus in parte I. *l.* 4. *t.* 5. *n.* 8. *& seqq.*

Para

Pars II. Pandectarum.

LIB. V.

TIT. I.

De Judiciis & ubi quisque agere vel conveniri debeat.

CArdo jurisprudentiæ est caput de judiciis, quorum adhuc habuimus præparatoria; sunt autem hæc unicè necessaria Reipubl. vitandis rixis & armis *l.* 13. & 28. *Quod met. caus.* ideoque sanis hominibus, an licita sint, disputandum non est; *vid* Amesius. 5. *de consc. c.* 54. *quæst.* 2. Spanhem. 2. *dub. Evangel.* 26.

2. Neque cessant judicia, nisi cum res moram non fert, ut in moderamine inculpatæ tutelæ, *l.* 3. *d. Just.* & *jur.* in excussione debitoris fugitivi *l.* 10. §. 1. 6. *l. pen. in fin. de his quæ in fraud. cred.* pauciscque aliis casibus, quos habet D. Matthæus *disp.* 1. *de judic th.* 31. & *seqq.*

3. Definitur Judicium, legitima causæ disceptatio, quæ fit apud Judicem à parte actoris & rei, litis finiendæ gratiâ. Cujac. *paratit. C. h.* Continet definitio, sicut omnis alia, genus & differentiam. Genus est legitima causæ *disceptatio*; quia debet esse controversia, nam si manifesto apparet, jus actoris esse nullum, actio deneganda est *l.* 9. *in pr. d. Jurej.*

4. *Legitima*, hoc est, solennis disceptatio; Unde legis actiones *l.* 2. §. 6. *d. O. I.* dix. *ad tit. de O. I. n.* 30.

5. *Causæ*, hoc est rei controversæ. Et hæc est juris, vel facti. Juris, cum de facto partes conveniunt, quid autem juris sit ambigunt; ejusmodi lites statim post brevem hinc inde ventilationem definiuntur.

6. *Facti*, cum circumstantiæ rei gestæ, quæ merita juris mutare queant, aliter ac aliter probantur; tunc opus est interlocutione, quâ partes ad probandum admittuntur.

7. Differentia exhibet personas judicium constituentes & finem judicii. Personæ sunt vel principales, ut, judex, actor & reus; vel minus principales, ut scribæ, apparitores, viatores, advocati, Procuratores.

8. Judex est vir bonus, juris peritus, ad lites decidendas publicè constitutus, quibus verbis tam judices majores qui dicuntur *in l.* 32. §. 6. *d. arbitr.* & qui imperio sunt præditi *l.* 1. *h.* quam minores, sive pedanei & delegati accipiuntur, qui in ff. voce judicum fere intelliguntur *l.* 46. *l pen. h. l. ult. d. off. præt.*

9. *Vir bonus*, sic enim dicitur *in l.* 137. §. *cum ita d. V. O. in l.* 17. §. *4. d. injur.* quia boni & innocentis viri officio fungi debet *l.* 4. §. 1. *Famil. ercisc.*

10. *Juris peritus.* nec enim aliter officium suum implere potest *pr. I. de off. jud.* ideoque imperitus juris prohibetur exceptis majoribus magistratibus, qui adsessores habent *Nov.* 82. iisve qui de rebus suæ professionis judicent *l.* 17. *C. eod.*

11. *Publicè constitutus*, ut judex ab arbitro distinguatur, qui partium compromisso ad instar judicis eligitur, ut *supra* dictum.

12. Non possunt esse judices, servi, feminæ, mente capti, surdi, muti, infames *l.* 12. §. 2. *h.* furiosus non prohibetur, quia speratur brevi ἀναψύξειν convaliturus, *l.* 39. *junctâ l.* 46. *h.* neque cœcus *l.* 9. *h.* quod de judicibus pedaneis ad singulas causas delegatis capiendum; nam publicum & perpetuum munus vix est, ut cœco mandari queat.

13. Prohibentur & minores annis 25. *l.* 8. *d. Muner. & honor.* nisi partes in eum consenserint, vel à Principe dati sint *l.* 57. *d. re judic.* quod fit hodiè passim, cum minores à Principibus judices creantur, ut tamen minor annis 18. nullo modo admittatur *d. l.* 57

14. Ne-

14. Nemo judex in propria causa esse potest *l.* 17. *b. l. un. C. Ne quis in sua caus.* nec pater in causa filii vel contrà *l.* 10. *d. Juris.* nisi partes in eum consentiant. Sic cape *l.* 77. *b. arg. l.* 6. *d. Rec. arb.* Adde casus *l.* 47. & *l.* 48. *b.*

15. Imo generaliter, in quibus casibus aliquis prohibetur esse testis, iisdem & quidem strictius vetatur idem esse judex; videbimus *ad tit. de Testib.*

16. Ratione sanguinis & affinitatis in nostra Curia extenditur prohibitio ab tertium usque gradum calculo Pontificio, id est, ad sextum juris civilis; ut consobrinorum quoque liberi arceantur à judicando, idque rigide servatur.

17. Porro actor est, qui provocat ad judicem, reus qui provocatur: in judiciis duplicibus, quæ habebimus in *lib.* 1. uterque loco actoris & rei est.

18. Tamen ad ordinandum judicium, ita servatur, Qui prior alterum provocavit, is actor est; aut si uterque simul id fecerit, sorte rem dividi oportet *l.* 13. & *sequ. h. t.*

19. Et actor & reus legitimam personam standi in judicio habere debent; quâ carent non modo servi *l.* 53. *b.* sed & minores sine curatoribus suis *l.* 1. & 2. *C. Qui legit. person.* ita ut sententia adversus eos lata sit ipso jure nulla *l.* 4. *C. Si adversus rem jud.*

20. At pro illis lata sententia valet. *L.* 14. *C. de Procur.* Interdicta tam pro, quam contra eos recte dantur *l.* 3. *d. t. Qui legit. person.* in criminibus neutiquam subsistere possunt *l.* 4 *C. de auctor. præst.*

21. Uxores sine maritis, utpote curatoribus suis, hodiè quoque in judicio stare nequeunt. Sand. *l.* 1. *tit.* 5. *def.* 1.

22. Filiusfam. conveniri potest, ut alii *l.* 57. *b. l.* 39. *d. O.* & *A.* non tamen à patre, nisi ex peculio castrensi, *l.* 4. *b. t.*

23. Actor esse non potest *l.* 9. *d. O.* & *A.* ubi excipiuntur aliquot actiones, simpliciter quidem, sed hoc

limitandum ex *l.* 18. §. 1. *h. t.* si pater absit, nec sit, qui nomine patris experiatur. De uxoris adulterio solus agit, *l.* 37. *ff. ad leg. jul. de adult.*

24. In profectitiis igitur solus pater agit, in adventitiis idem, sed filio non invito, aut filius ipse, volente patre *l. ult. fin. pr.* & §. 3 *C. de bon. quæ lib.*

25. Denique, personæ postulare prohibitæ jus quoque standi in judicio hactenus amittunt. A. Math. *disp.* 3. *de judic. th.* 24. de his egimus *ad tit. d. Postul.*

26. Et hæc fuit distributio Judicii secundum personas, est alia secundum partes disceptationis.

27. Sumitur Judicium latè vel strictè; quando late accipitur, initium ejus est ab in jus vocatione; §. *ult. I. de pœn. tem. litig.* quando strictè, ab litis contestatione *l. un. C. de lit. conteſt.*

28. Partes sunt vel substantiales, vel accidentales. Illæ, quæ nunquam abesse possunt; hæ, quas aliquando abesse fas est.

29. Substantiales sunt, in jus vocatio, actionis editio, litis contestatio, defensio, replicatio, duplicatio &c. denique sententia; de quibus aut dictum est ad tit. *de in jus voc. de Edend. Inst. de Except. de Replic.* aut dicetur *ad tit. de Re Judic.*

30. Etiam de litis contestatione vidimus *tit. I. Quib. mod. toll. obl. n.* 20. & *seqq.* & *ad tit. de Exception. in pr.* dicitur contractus quidam *in l.* 3. §. 11. *de Pecul.* & novatio *in l.* 11. §. 1. *d. Novat.* eo sensu, quo diximus ad *d. tit. I. Quib. mod. toll. obl.* eoque pertinet, quod pater de peculio tenetur ex ea causâ, quâ prius non tenebatur, vi litis contestatæ *d.* §. 11. quod mandatarius fit dominus litis *l.* 11. *C. de Procurat.*

31. Aliquando sola petitio sive intentio actoris habet effectum litis contestationis, non ut faciat novationem & quasi contractum, sed ut qualitatem malæ fidei imprimat reo. Effectus vide notabiles, *in l.* 25. §. 7. *d. Hæredit. pet. in l.* 2. *C. de Litig. l.* 10 *C. de Præscript. long. temp.*

32. Est

32. Est etiam pars necessaria juramentum judicis & litigantium *l.* 2. *C. de jurejur. propt. cal. l.* 14. *in pr. C. de Judic.* moribus id non obtinet; Judices enim semel jurant initio muneris sui, Litigantes nonnisi interrogationum causâ, cum ad probationes vocantur.

33. Partes accidentales, vel ante, vel post litem contestatam usu veniunt: Ante fiunt hæc; recusatio judicis suspecti *l.* 9. *d. liber. caus. fin. pr. l.* 16. *& ult. C. de Judic.* oppositio exceptionum dilatoriarum *l.* 19. *C. de probat.*

34. Præterea, constitutio Procuratoris (hæc hodiè quoad procuratores publicos est necessaria pars) citatio absentis, interrogationes, interventiones, sequestrationes, de quibus vel actum vel agetur suis locis.

35. Quæ post litem contestatam fiunt, sunt probationes per testes & instrumenta; nam hæ in juris quæstionibus non fiunt, neque semper in iis quæ sunt facti, testes & instrumenta simul usu veniunt.

36. Dein reprobationes, Reconventiones, juramenta decisoria & id genus alia.

37. Sequuntur divisiones judicii. I. est in Civile & criminale, hoc iterum est publicum vel privatum; publica cuncta sunt criminalia. dix. *ad tit. I. d. oblig. del. à pr. & de publ. jud.*

38. II. Privata sunt vel in Rem vel in personam, quæ coincidit cum simili divisione actionum, quam vide ad *tit. I. de Action. n.* 3. *& seqq.*

39. III. Est vel præparatorium, quo via sternitur ad aliud majus, vel principale; ex præparatoriis sunt præjudicia, ad *Inst. de Action. n.* 34. actio ad exhibendum *l.* 1. *ad Exhib. l.* 3. § 1. *d. lib. exhib.*

40. IV. Sunt vel generalia vel specialia. Illa, quibus de multis rebus agitur, ut familiæ erciscundæ, tutelæ &c. hæc, ubi de rebus singulis est quæstio, ut rei vindicatio, depositi, commodati &c. Hereditatis petitio magis est universale judicium, quod nihil excludit.

41? V. Sunt vel ordinaria, in quibus ordo solennis procedendi servatur, & extraordinaria, in quibus summaria cognitio adhibetur, qualis est missio in possessionem Carboniana *l.* 3. *d. Carbon. Ed.* Ventris & legatorum *l.* 1. §. 14. *d. ventr. in poss. mitt.* causa alimentorum; petitio debiti ex instrumento agnito, Interdicta *Rubr. de Interdict.* generaliter omnes leves, & quæ moram non patiuntur. vide Schotan. *exam. h. t.*

42. Alio sensu judicia olim distinguebantur in ordinaria & extraordinaria, ut diximus ad *tit. I. de Interd. n.* 4. *& alibi. vid. t. de Jurisdict. n.* 39.

43. A summariis differunt cognitiones de plano, quæ dicuntur, quando judex precibus coram aut per libellos breviter auditis, non adscenso tribunali, & sine ordine judiciali rem decidit, quod in causis facilioribus fieri potest, etiam in criminibus, non modo audiendis *l.* 18. §. *f. d. Quæstion.* sed & decidendis *L.* 6. *d. Accusat. l.* 9. §. 3 *d. off. proconsul.*

44. Res majoris momenti per libellos expediri non possunt, sed tribunal requirunt, *l.* 25. *d. Excusat. Tut. l.* 1. §. 8. *ad Sc. Turpill. l.* 3. §. 8. *d. bon. poss.* Et est prudentis judicis animadvertere, quæ res cujusmodi naturæ sint. Perez. *ad. tit. C. comminat. epist. n.* 2.

45. Rursus ab his quæ de plano perque libellos fiunt, discrepant ea quæ per decretum μονομερῶς sine contradictorio peraguntur, probationibus tamen apud acta prolatis, sicut fit alienatio prædii minoris *l.* 6. *C. de præd. min.* veniæ ætatis impetratio *l.* 3. *C. de his qui veniæt. impetr.* interdictio bonorum *l.* 1. *in pr. & l.* 6. *d. Curat. fur.*

46. Sequitur altera pars tituli, de Foro competente, cujus summa regula hæc est; Actor sequitur forum Rei *l.* 2. *l.* 5. *C. de jurisdict. l. ult. C. ubi in rem act.*

47. Et Reus habet triplex forum, domicilii, rei sitæ, rei gestæ.

48. Domicilium est, ubi quis habitat sedemque fortunarum suarum collocavit cum uxore liberisque *l.* 7. *C. de Incol. l.* 203. *d. V. S.*

49. Unde

49. Unde & uxor liberique, licet alibi degentes, eodem cum patre maritoque foro censentur *l.* 6. §. 1. *ad Municip.* nisi plane semet alio in loco instruxerint *l.* 3. & *seqq. eod. tit. l.* 5. *C. de Jurisdict.*

50. Qui vero se pluribus locis instruxit, totidem foris utitur *l.* 5 *l.* 6. §. *pen. ad Municip.* quod & in præcedente casu de uxore liberisque dicere licebat.

51. Apud Romanos locus originis insuper forum tribuebat *l.* 29. *eod.* & Romæ velut in communi patria omnes convenire poterant *l.* 33 *d. t.* exceptis qui jus domum revocandi habebant *l.* 2. §. 3. *l.* 24. *l.* 25. *l.* 27. *h.*

52. Interpretes & Romam & locum originis faciunt domicilii species, sed male *d. l.* 6. §. 1. quia his temporibus nullum habent usum.

53. Locus rei sitæ tribuit forum in actionibus in Rem, seu mobiles sive immobiles, res singulæ sint, *l.* 24. § 2. *l.* 38. *h. l.* 10. *d. R. V.* ita ut possessor aut illic, aut ubi habitat, conveniri possit; nam domicilium tribuit forum in omnibus causis indistincte *l. ult. C. ubi in Rem act.*

54. At Hereditas in solo domicilii loco, per *l.* 29. §. *ult. d. Inof. test. l. un. C. ubi de her.* & missio in possessionem tantum, ubi res sita, petenda est *l. un. C. ubi de possess.*

55. Judicia mixta & interdicta utrumque forum participant *Arg.* §. 20. *Inst. de Action.* & *l.* 1. §. 3. *d. Interdict. l.* 2. *C. de Interd.* juncta *l. un. C. ubi de Pos.*

56. Similiter, actio ex testamento de legatis & fideicommissis; petuntur enim aut ubi res sita *l.* 38. *in pr. h.* aut ubi pars major hereditatis est *l.* 50. *pr.* aut domicilium *d. l.* 50. §. *ult.* nec aliter est in actione in rem de legatis *l. un. C. ubi fideicomm. pet. oport.*

57. Pro absentibus possessoribus occupare debent hi, qui illis pro in Possessione sunt *l.* 9. *d. R. V. l.* 2. *C. ubi in Rem act.*

58. Locus rei gestæ duplex est, contractus aut delicti; ubi quis contraxit aut rem gessit moram aliquam faciens,

faciens; illic, si reperiatur non minus quam ubi habitat, conveniri potest, *l.* 19. §. 2. *d. jud.*

59. Quid si illic non reperiatur? tamen ibi se defendere debebit edicto citatus, si bona illic sita habeat, aut missionem in illa, si non sistat se, pati debet *l.* 19. §. 1. & 2. *h. t.*

60. Si de alio loco inter partes convenerit expresse *d. l.* 19. aut tacitè *l.* 21. *d. O.* & *A.* eum servari oportet *dd. ll.*

61. Alterum ex re gestâ forum tribuit locus delicti *l.* 1. *C. ubi de crimin.* puniuntur quidem ubicunque reperiuntur delinquentes; sed judex loci, ubi patratum est facinus, petere potest, ut ad se remittatur *Nov.* 134. *c.* 4. & 5. *Moribus* hæc res est in arbitrio ejus qui reum cepit.

62. Hæ sunt causæ fori competentis. Unde quid sit incompetens forum, intelligi potest, sive omnino vel primâ duntaxat instantiâ tale sit; veluti Curia suprema forum incompetens est civis aut agricolæ Frisii, prima scilicet instantia; qui sic vocatus est, habet exceptionem fori non competentis.

63. At forum incompetens sæpe sit competens, *idque septem* casibus 1. ob privilegium, 2. ob denegatam justitiam. 3. prorogatione. 4. diversitate jurisdictionum. 5. Connexione rerum. 6. Reconventione. 7. per Arrestum, ut hodiè mores ferunt.

64. Privilegium est vel personarum vel rerum. Personæ privilegiatæ sunt I. Illustres & Clarissimi *l.* 1. & *seqq. C. ubi Senat.* & *Clariss.* quod hodie non habet usum, ita ut Jure Civili cautum est. Cuilibet Imperio suus hac parte mos est.

65. II. Pupilli, viduæ, omnesque miserabiles personæ vocare possunt adversarios ad Comitatum Principis, aliter ad Supremam Curiam, ipsi illuc vocari non possunt *l. un. C. Quand. Imp. int.* usu fori extenditur ad minores & ad virgines. Sand. *l.* 1. *t.* 1. *def.* 2.

66. III. Milites apud suos magistros tantum conveniri possunt *l.* 6. *C. de jurisdict.* nisi quod pagana delicta

ta ab ordinariis quoque judicibus animadv ertuntur *l.* 2. & 3. *in pr. d. Re milit. l. ult. d. Accusat, l.* 1. *C. ad leg. Corn. de Sicar.*

67. IV. Militibus æquiparantur Studiosi, in causis civilibus duntaxat, ut apud Rectores suos conveniantur *Auth. Habita C. Ne fil. pro Patr.*

68. V. Clerici apud laicos judices nullum forum habent, ne quidem, si privilegio suo renuntiaverint *cap. Clerici x. de judic.* quod in Ecclesiasticis Reformatis non obtinet.

69. Privilegio, vel saltem jure speciali rerum fit etiam, ne quis ad ordinarium revocare possit, velut ob restitutionem in integrum, missionem in possessionem; Nam hæc judicibus municipalorum, ubi civibus ordinarium forum est, facere non licet *l.* 26. §. 1. *ad municip.*

70. Quo argumento judicium summarissimæ possessionis, quod vocant, ad supremam Curiam pertinet, ut alibi sic *apud nos*, imo nec Juris est aliter *l.* 1. & 2. *C. de Interdict.*

71. Causæ quoque criminales à municipali jurisdictione alienæ sunt *l.* 1. *d. off. ej. cui mand. arg. d. l.* 26. quâ ratione quælibet actiones super delictis etiam civiles, quibus convenit mandatum intimationis ad Procuratorem Generalem primâ instantiâ ad Curiam supremam referuntur, *apud nos omni die.*

72. Causæ matrimoniales, & *devirginationis arg. l. ult. d. Off. Præs.* ejusdem hac parte naturæ censentur, nec non controversiæ de censu publico *Sand. def.* 1.

73. Etiam actio ex L. *Diffamari* 5. *C. de Ingen. manum.* ut noster vult usus, alibi non indistincte. Gail. 1. *obs.* 1. *n.* 15.

74. Denique causæ alimentorum hoc jure gaudent, ut ad supremum Judicem prima audientia vocari possint, quod æxistimo factum ex consequentia *d. l. un. Quando Impr.*

75. At quo referemus, quod apud nos *l.* 3. *Stat. tit.* 8. *art.*

8. *art.* 1. omnes qui suprà civium & rusticorum ordinem sunt prima instantia ad Curiam vocantur (nam de membris atque ministris Curiæ ipsius palam est *Sand. def.* 1.) beneficium id equidem non est, quia coguntur etiam coram inferioribus. Potest tamen hæc exceptio referri ad privilegium, quatenus hoc verbo quodlibet jus peculiare, licet non in favorem, notatur. Cic. *pro Dom. in pr.*

76. Post privilegium est denegata Justitia, quam efficere ut res immediatè ad Principem vel ad supremam Curiam deferri queat, probatur ex *l.* 2. *C. ut lit. pend.* idque Statuto Frisiæ expressum est *l.* 3. *tit.* 8. *art.* 1. De tertia causâ, scilicet, prorogatione diximus ad *tit. de jurisdict.*

77. De Jurisdictionum diversitate, connexione rerum & reconventione dicemus *ad. tit. de Quib. reb. ad eund. jud.*

78. De Arresto habuimus *ad tit. de In jus voc.* ubi *vide.* Per illud, inquam, adsequimur, ut adversarius quem nos in suo foro quærere deberemus, se in nostro defendere cogatur.

79. Ratio, quâ per Arrestum Jurisdictio fundatur, sumpta est à potestate, quam quilibet Imperantes habent in suo territorio, quam Romani quidem, ob justas rationes exercere noluere, sed hodiernæ gentes prætulerunt commoda suorum civium, quibus est longe commodius in sua patria lites exercere, quam foris adversarios quærere. Vide Peck. *de jur. sist. cap.* 1. *& sequ.*

TIT. II.

De Inofficioso Testamento.

POst tractatum de judiciis generalem variæ sequuntur species, & primo quidem universalium judiciorum, quæ sunt de hereditate, cujusmodi duo sunt; Querela Inofficiosi Testamenti & Hereditatis petitio.

2. Quan-

2. Quanquam autem Querela certissimè est species hereditatis petitionis, ut ad *Inst. h. t.* dictum est, hic tamen præmittitur, non quia præparatorium sit judicium, ut volunt *Dd.* sed quia datur in casu facti testamenti, & causa testati semper intestati causam præcedit; quia datur & proximis duntaxat, cum hereditatis petitio sit æquè pro extraneis, quam pro Legitimis heredibus.

3. Executi autem sumus hoc caput plena manu in parte I. *Inst. h. t.* quo lectorem remittimus.

4. Omissa est ibi memorabilis quæstio, an si pater Inofficiosi egerit eaque obtinuerit, ejus liberi, fratres defuncti ad successionem vocentur; consequenter, obtinente fratre, an & liberi fratrum pariter succedant.

5. Nobis verior sententia Viglii *ad pr. Inst. de inoff. testam. n.* 8. & Cujacii *ad. Nov.* 84. *in fin.* videtur, qui negant, sequentem gradum, cui per se Querela non competebat, beneficio præcedentis gradus, qui obtinuit, admitti; licet simplici jure successionis ab intestato par sit alteri.

6. Ratio, quia successio post Querelam non venit ex simplici ordine Legis, sed vi sententiæ super Inofficioso latæ. Regula autem est certissima, quod res inter alios judicata nec aliis prosit neque noceat, verum quod ei soli prosit victoria, cui jus agendi comparatum fuit *l.* 63. *d. Re judic.*

7. Præterea, respectu fratrum exheredatorum, scripto herede honesto, testamentum jure factum erat, quibus adeo spes omnis, inde ab initio præcisa fuit, nihil obstante *l.* 6. §. 1. *h. nec l.* 19. *eod.*

TIT. III.
De Hered. Petit.

HEreditatis petitio est actio in rem universalis, quâ heres è testamento vel ab intestato petit hereditatem ab eo, qui pro herede vel pro possessore possidet.

2. *Actio*

2. *Actio in rem*; mixtam esse, habetur in *l.* 7. *C. h. t.* at quo sensu explicavimus ad *tit. I. de action. n.* 47. *& seqq.* Tu vide *l.* 25. §. 18. *h.*

3. Est *in rem universalis*; familiæ erciscundæ actio competit etiam de hereditate, sed est generale judicium, quia non datur de cunctis juribus in universum *l.* 4. *Famil. erciſc.*

4. *Quâ heres*; Sub quo & bonorum possessorem intellige, cum in effectu nihil differant *l.* 119. *& l.* 138. *d. V. S.*

5. *E testamento vel ab intest.* Si quis tamen è testamento prius egerit idque vitiosum sit repertum, dein ab intestato petere non prohibetur *l.* 8. *h.*

6. *Petit hereditatem.* Hereditas bifariam sumitur, ut exposuimus ad *tit. I. de reb. corp. & incorp. n.* 3. *& in prælect. ad d. tit.* Hic utraque significatio concurrit: Nam jus sive successio & res hereditariæ petuntur *l.* 50. *h. l.* 24. *d. V. S.* Adeo ut etiam mutua detur hereditatis petitio, *l.* 15. *d. Except. rei jud.* vide *l.* 8. §. 13. *d. Inoff. test.*

7. *Ab eo, qui pro herede vel pro poss. l.* 9. *& seqq. h. t.* Alterutrum titulum possessor edere debet *l.* 11. *C. h. t.* Quis pro possessore, quis pro herede possidere dicatur, habuimus ad *tit. Inst. de Interd. n.* 11.

8. Vendita hereditate à possessore, quia venditor manet heres, idem directe tenetur; emptor, qui titulum habet singularem, rei vindicatione conveniendus *l.* 2. *in fin. C. h. t.* potest tamen & utili hereditatis petitione *l.* 13. §. 4. *& sequ. h.* Quos textus ita, sis, concilia, licet D. Wissenbach de conciliatione desperet *h. t. th.* 7.

9. Etiam contra debitores hereditarios hæc ipsa actio datur *l.* 13. §. *ult. cum ll. seqq. h.* non quâ tales, sed quâ sunt juris possessores *d.* §. *f.* & sane quatenus se pro herede vel pro possessore gerunt; nam si ideo nolint solvere quod dubitent, an actor sit heres, aut simpliciter debitores se esse negent, nec ut hereditatis possessores se gerant, tum utique hereditatis petitione non tenentur *l.* 42. *h. t. l.* 49. *Eod.* 10. De-

10. Denique datur & contra eos, qui dolo poſſidere deſierunt *l.* 13. §. 14. *l.* 25. §. 8. *h.* quibuſcum confer *l.* 95. §. 9. *d. Solut.* & in eos qui ſe liti obtulerunt *l.* 13. §. 13. cum *l.* 45. *h.* ubi tamen vide temperamentum.

11. Reſtitui debent omnia, quæ ſub hereditate continentur, corporalia, incorporalia, exceptis ſervitutibus *l.* 59. §. *ult. h. t.* quæ in bonis, quæ ex bonis ſunt, & præſtationes perſonales *l.* 19. & 20. *h. l.* 25. §. 18. quo ſenſu hæc actio mixta dicitur *l.* 7. *C. h.* etiam hinc eſt, quod bonæ fidei ſit hoc judicium §. 28. *I. d. Act.*

12. Quin & ea quæ poſt litem conteſtatam poſſideri cœperunt reſtituenda *l.* 4. *l.* 18. §. 1. *h.* ſed de rebus, quas ſine dolo malo poſſidere deſiit, de his neque tenetur, *l.* 41. *in fin. pr. l.* 25. §. 1. *h.* Sane, pendente lite, aut prius etiam vendere nihil debet, niſi urgente neceſſitate, vel interpoſitâ ſatisdatione *l.* 5. *pr. h.* nec legata dare ſine cautione, *l* 41. *ff. ad Leg. Falc.*

13. De fructibus m. f. poſſeſſor tenetur indiſtincte *l.* 40 §. 1. *l.* 25. §. 4. *l.* 52. *l.* 56. *h. Bonæ f.* poſſeſſor, quatenus eſt locupletior *d.* §. 1. *l.* 25. §. 11. Bonam autem fidem habere videtur & is, qui in jure erravit *l.* 25. §. 6. *h.* quod ſecus eſt in uſucapione *l.* 31. *l.* 32. §. 1. *d. Uſus.*

14. Tempus, an ſit locupletior, ſpectandum eſt, cum res judicatur *l.* 36. §. *pen. h.* ſed B. ſit an M. fidei poſſeſſor, hoc ab initio & omnino tempore litis conteſtatæ ſpectatur *l.* 25. §. 7. *l.* 40. *h.* quos textus ut deſperatæ conciliationis habet D. Wiſſenbach *ad h. tit. th.* 2.

15. Magis obſtat ei, quod de qualitate malæ fidei per litem conteſtatam acquirendâ diximus. *l.* 25. §. *ult. d. uſur.* quam ſimiliter antinomiam eſſe vult noſter D. Wiſſenbach. *ad tit. de Rei vind. th.* 19.

16. Ego ſic puto; bonæ fidei poſſeſſor, etſi cognoverit fundum eſſe alienum, manet talis, quamdiu fundus evictus non fuerit, hoc eſt, tamdiu pro bonæ fidei poſſeſſore habetur, quatenus de mala fide per ſententiam demum liquebit; fructus quidem percipit, ſed ex poſt facto patebit, an eos reddere debeat, nec

ne; si enim condemnetur, haud dubie reddit quicquid à tempore scientiæ percepit. Cætera de fructibus in hoc judicio *vid. ad* § 2. *Inst de off. Jud*

17. Impensas B. F Possessor indistincte servat per Exceptionem doli mali *l.* 38. *pr.* etiam voluptarias *l.* 39. §. 1. *h. M. F.* Possessor necessarias & utiles impensas deducit, quatenus res melior est *d. l.* 38 *inf.* voluptarias dumtaxat tollere potest, quatenus sine læsione rei tolli queunt *d. l.* 39. § 1.

TIT. IV.

Si pars hereditatis petetur.

QUi ex parte est heres, is eodem jure petit partem, quo totam heres ex asse petit, non considerato, quantum reus possideat, licet is non condemnetur ultra quàm possidet *l.* 1. §. 1. *h.* Petit, inquam, sese heredem declarari sibique restitui quod reus possidet, pro ratâ portionis, ex quâ ipsemet heres est. De casu, quo venter coheres est, vid. *l.* 3. *h. t. l.* 7. *d. reb. dub. l.* 36. *d. Solut.*

TIT. V.

De Possessoria hereditatis petitione.

POssessoria hereditatis petitio datur ei, cui bonorum possessio, hoc est, prætoria hereditas *l.* 138. *d. V. S.* data est, *l.* 1. *pr. h.* prorsus eodem jure, quo civilis *l. ult. h.* ideoque non possessorium sed petitorium hoc est judicium, quia non agitur hic de nudâ detentione rerum hereditariarum, sed de jure illarum pleno atque perfecto. Possessorium judicium de hereditate est Interdictum Quorum bonorum, de quo habuimus ad §. 3. *Inst. de Interd.* Adde *l.* 3. §. *ult. d. Acquir. poss.*

TIT.

TIT. V.

De Fideicommissaria hereditatis petitione.

FIdeicommissaria hereditatis petitio datur heredibus fideicommissariis, non contra fiduciarium sed contra tertium possessorem *l. ult.* §. 1. *h.* nam fiduciarius ex Sc̃to Treb. compellitur.

2. Jus in hac actione idem est, quod in directa & ordinaria petitione hereditatis, de quâ superius dictum. De Sc. Trebell. diximus. ad *tit. Inst. de fideicommissar. hered.*

LIB. VI.

TIT. I.

De Rei Vindicatione.

JUdicium in Rem universale sequitur in rem actio specialis, quæ dicitur rei vindicatio, etsi hoc nomen aliquando generaliter pro quavis actione in rem sumatur §. 15. *I. d. Act. Rubr. π. Si serv. vind.*

2. Est igitur rei vindicatio, actio in rem, qua Dominus rei singularis petit, se dominum ejus declarari eamque sibi â quolibet possessore restitui. *l.* 35. §. 1. *l.* 68. *h. t.*

3. Datur Dominis *l.* 23. *pr. h.* etiam qui revocabile jus habent *l.* 66. *h. l.* 9. *C. h. t.* etiam Patri pro filio, si ex jure Quiritium, quo Pater erat dominus filii, se petere dicat; Attamen hic rectius præjudicio, aut interdicto, aut extra ordinem experitur. *l.* 1. §. 2. *h.*

4. Datur contra possessores, tam qui suo quàm qui alieno nomine possident *l.* 9. *h.* ut & contra eos, qui dolo malo possidere desierunt; sed utiliter ad exemplum Sc̃ti de hered. pet. *l.* 27. §. 3. *h.*

5. Qui se liti obtulit etiam condemnatur, nisi actor sciverit, eum non possidere *l.* 25. & *seq. h. t.* Qui tamen si hac via suum non perceperit, regressum adversus ipsum possessorem habet *l.* 7. *h. t.*

6. Etiam in eum condemnatio fit, qui post litem contestatam possidere cœpit *d. l.* 27. §. 1. *vers. item.* non obstante *l.* 23. *ff. de Judic.* quæ respectu actoris intelligenda.

7. Sed is qui litem contestatam sine dolo & culpâ possidere desiit, haud dubie absolvendus est: si culpâ, tenetur ad æstimationem, sub beneficio cedendarum actionum *l.* 63 *l.* 68. & *seqq. h.* si dolo desierit, tenetur quanti actor in litem juraverit in infinitum *d. l.* 68. vel si jurare nolit, in id quod vere interfuit *l.* 71. *h.* Cautionem de cedendis actionibus petere non potest qui dolo desiit *d. l.* 69. condemnato tamen succurritur, ut cedantur actiones *l.* 12. *d. Re Judic.*

8. Si reus se neget possidere, judicium non procedit, sed actor possessionem habet probandam, cujus alter convictus privatur possessione, eaque cum suo commodo in actorem transfertur *l. ult. h.*

9. Materiam hujus actionis constituunt res singulares & corporales, mobiles & immobiles, etiam quæ ex pluribus numero constant *l.* 1. §. 1. & *ult. l.* 2. & 3. *h. t.* ideo res designanda est *l.* 6. *h. t.* quanquam & incertæ partis datur vindicatio, ubi totum est certum, si res ita ferat *l.* 76. §. 1. *h.*

10. De rebus non vere nostris cessat hæc actio, ut in pecuniam ex re mea redactam *l.* 23. *d. reb. cred. l.* 21. *d. her.* & *act. vind. l.* 6. *C. h. t.* similiter in rem nostrâ pecuniâ emptam, exceptis pupillis, quibus utilis actio indulta est *l.* 2. *Quand ex fact. tut.*

11. Datur tamen & utilis vindicatio illis, qui non sunt domini sed habent jus dominio proximum, quales superficiarii. *l.* 73. §. 1. & *ll. seqq. h. t.*

12. Effectus judicii est, ut, si damnatus rem non restituat, manu militari, officio judicis ei auferatur *l.* 68. *h.*

68. *h.* tametsi prætendat jus pignoris, superficiei, aut simile jus in re: nam de hoc, peculiari judicio experiundum ei est *N.* 18. *c.* 10.

13. Cum re ipsâ, omnis etiam causa restituenda est, veluti id quod interest, si res deterior sit *l.* 13. *l.* 17. §. 1. *h.* item fructus pendentes *l.* 44. *h.* extantes *l.* 22. *C. h. t.* de quibus possessor tenetur.

14. Imo & de consumptis, quatenus est locupletior; quia sic in hereditatis petitione expressum est *l.* 20. §. 6 *l.* 25. §. 11. à qua ad rei vindicationem argumentamur, quatenus non liquet contrarium §. 2. *l. d. Off. Jud.* hic autem ratio est eadem, naturalis æquitas *l.* 14. *d. cond. indeb. l.* 17. §. *pen. de instit. act. l.* 32. *d. reb. cred.*

15. Adde, quod causa acquirendi fructus est ratio naturalis, cura nempe & cultura §. 35. *I. d. A. R. D.* item factum possessoris *l.* 45. *d. Usur.* Proinde cum possessori relinquitur, quicquid ratione facti & culturæ ipsius interest, jus ille suum satis obtinet.

16. Quod ex fructibus consumptis redactum supereſt, officio judicis servabitur, de quo *ad tit. I. de off. jud. n.* 5. *&c.* aut condictione sine causa *per l.* 3. *d. condict. sin. caus.* quanquam hereditatis petitio ipsa quoque de his fructibus detur *d. l.* 20. *& l.* 25. *h. t.* quoniam ibi pretium loco rei succedit *l.* 22. *d. hered. pet. l.* 70. §. *ult. cum ll. seqq. d. leg.* 2. & hoc scilicet est discrimen hac parte inter rei vindicationem & hereditatis petitionem.

17. Interim de consumptis fructibus non quæritur, bene an male effusi sint, ideoque lucrari illos dicitur b. f. possessor *l.* 4. §. 2. *Fin. reg.* nam qui malam habet fidem, tenetur de illis, imo de cunctis *l.* 33. *h.* & sic intelligitur b. f. possessorem de his fructibus non teneri *l.* 22. *C. h.*

18. Nec enim pugnant leges, quæ b. f. possessorem de consumptis negant teneri cum illis, quæ dicunt teneri, quatenus locupletior: nam & pupillum ita condictione indebiti negamus teneri absolute §. 1. *quib. mod. re cont. obl.* rursus pupillum teneri dicimus

quatenus est locupletior, *l. 5. pr. d. auct. tut.* (idem de delictis constat.) *prælect. ad §. 35. I. de A. R. D.* ubi & de usu fori monuimus, eo de consumptis fructibus non teneri b. f. possessorem, etsi locupletior sit. *Sand.* 3. 15. 1.

19. Impensas à fructibus deducunt quilibet possessores *l.* 48. & 65. *b. t.* scil. quæ sunt supra fructus B. F. possessor qualvis deducit, ut de hereditate dictum *in f. t. d. hered. pet.* nisi forte voluptariæ hic tantum tolli possint, quæ illic etiam deducuntur; certè enim marito in rebus dotalibus nihil in voluptariis, quam tollendi facultas conceditur *l.* 9. *d. Impens. in res dot.*

20. Qui est M. F. necessarias servat exceptione doli mali; utiles tollit sine noxa rei ipsius *l.* 5. *C. d. Rei Vind.* ut & voluptarias *l.* 39. §. 1. *d. hered. petit.* nisi cum in alieno fundo novam domum struxit, nam tunc omnia perdit §. 30. *I. d. R. D. l.* 7. §. 12. *π. d. A. R. D.* excipe; si mala fides tantum superveniens fuerit, aut alioqui causa probabilis excusset *l.* 37. *de Rei vind. l.* 2. *C. eod.* quâ de re diximus ad *d.* §. 30.

21. B. F. P. impensas in rem singularem factas recipere non videtur, nisi quatenus res præsenti æstimatione melior est *l.* 58. *d. leg.* 1. *l.* 29. §. 2. *d. Pign. add. l.* 38. *cum æqu. b.* aut si plus pretio fundi accessit, id solum recipit quod impensum est, *d. l.* 38. proinde, si impensæ superent meliorationem, nihil quam meliorationem recipit; si hæc major sit impensis, has tantum consequitur. Semper autem cum impensis & meliorationibus compensare debet fructus etiam ante litem contestatam perceptos, etiam, ut videtur, consumptos & usucaptos, quin & eos qui ex ipsa melioratione ejusve occasione percepti sunt. Sand. *d. decis.* 2. & 3. quod tamen ad hereditatem pertinere non videtur, sed ibi indistincte repetitio datur *l.* 38. *d. her. pet.*

22. Videtur enim in hereditatis petitione, quod est universale judicium, largius agi cum possessore quod ad impensas, quam in singularis rei vindicatione. Primo respectu b. f. possessoris, ut jam dictum; dein, etiam malæ fidei possessoris intuitu, qui impensas

sas utiles, in re singulari tollit duntaxat, in hereditatis petitione etiam deducit, ut paulo ante probavimus.

TIT. II.

De Publiciana in rem actione.

AD similitudinem rei vindicationis, Prætor dat in rem actionem, ubi termini habiles vindicandi desunt, ex solâ æquitate, quia B. F. P. rem ante usucapionem amissam potius habere debet, quàm qui sine causa rem tenet. Hæc est Publiciana, de qua ad *tit. d. Act. n.* 16. quod satis est, diximus. Tantum ibi deest responsio ad *l.* 31 §. *fin. d. Action. empt.*

2 Scil: ibi non liquet, duobus rem fuisse traditam, ut in *d. l.* 9. §. 4. sed idem, cui primum res est tradita, fuit etiam possessor, ut videtur, in *d. l.* 31. vel ut aliis, neuter ibi possidet, sed res est penes tertium, quem uterque Publiciana vult convenire §. 4

3. In eo differt ab Rei vindicatione Publiciana, quod hæc etiam de rebus incorporalibus datur. §. 1. *l.* 11. *h. t.*

TIT. III.

De ager vectigalis, id est, emphyt. pet.

ACtio in rem utilis datur iis, qui quidem non sunt Domini, sed habent jus Dominio proximum, ut qui agros habent vectigales *l.* 1. *in f. h.* & superficiariis *l.* 73. §. 1. *cum l.* 75. *d. R. V.*

2. Sunt autem agri vectigales iidem qui emphyteuticarii, ut *rubr.* indicat. Vectigales dicuntur à vectigali sive à pensione, quæ pro iis solvitur; emphyteuticarii, παρὰ τὸ ἐμφυτεύειν, ab inplantando, *vid. Pac. h.*

3. Definitur Emphyteusis: Contractus, quo dominus prædii sui fructum & jus dominio proximum alteri concedit, ab eo exercendum quamdiu pensionem solvet *d.* §. 3. & *l.* 1.

4. Est *Contractus*, & quidem juris gentium, consensualis, bonæ fidei, *arg.* §. 3. *Inst. de. Loc. cond.* §. 28.

Inſt. de act. ad quem ſcripturam requiri, non probatur per *l.* 1. *C. h. t.*

5. *Dominus*; emphyteuta habet dominum *d.* §. 3. ipſe non eſt dominus *l.* 1. §. 1. *Si ag. vectig.* opponitur emphyteuta reique dominus *l.* 1. 2. 3 *C. de jur. emphyt.* at Græci Principes ſuos emphyteutas appellant dominos *l.* 2. *l.* 4. *l.* 12. *in fin. l. ult. C. de fund. patrim.* & quia datur illis actio in rem utilis *d. l.* 1. §. 1. *l.* 16. §. *f. d. pignor. act.* hinc utile dominium vulgo illis adſcribitur, per abuſum tamen.

6. *Prædii*, *d.* §. 3. maxime agri *Rubr. ff. Si ager vectig.* tamen & ædes dicuntur vectigales *l.* 15. §. 27. *d. damn. inf. N.* 7. *c.* 2. §. 3. *Nov.* 120. *c.* 1. *in fin.* ea tamen non eſt emphyteuſis, propriè, ut etymologia indicat.

7. *Fructum*, quicquid ullo modo ex fundo & ejus occaſione provenit, ut de uſufructuario *ſupra* dictum eſt. Plerique & theſaurum in fundo repertum ei totum addicunt. Schneid. *ad.* § 39. *I. de A. R. D.* Vinn. *ibid.* poteſt in utramque partem diſputari. vid. Wiſſenb. *ad tit. ff. de A. R. D. th.* 14. Magis videtur affirmandum, cum quia fert damna fortuita, uti mox, tum quod habent emphyteutæ.

8. *Jus dominio proximum*, vulgo, inquam, utile dominium, quod plus eis tribuit quam uſufructuariis. poſſunt mutare faciem fundi, transferre jus ſuum *l. ult. C. de jur. emphyt.* non fructuarii, *ut ſupra* intellectum, nec vero ob impenſas derelinquere rem poſſunt, ut fructuarii *l.* 64. *d. uſufr. l.* 1. *in fin. C. de jur. emphyt.*

9. *Alteri*, ſimpliciter aut certæ familiæ. Simpliciter conceſſa tranſit ad heredes quoſvis; eccleſiaſtica tamen ad ſolos deſcendentes *Nov.* 7. *c.* 3. *in pr.* Familiæ relicta perſonas ejus gentis non egreditur; ad feminas tamen æque venit ac ad mares *arg. l.* 1. *d. V. S. l.* 62. *d. leg.* 3.

10. *Concedit*, plerumque per conventionem, poteſt quoque teſtamento *arg. l.* 26. *d. pign. act.* ſimpliciter aut certis pactionibus. Et hæ quidem addi debent, ut bene diſcernatur à locatione; aut ſi non addantur, ſo-

la

la vox emphyteuseos, Belgis, *erfpacht*, ferret ea quæ definitio indicat. *d. l.* 1. *C. de jur. emphyt.*

11. Ab *eo exercendum*; Si quis exercuit hoc jus longissimo tempore, per præscriptionem id acquirit, ut alia jura *l.* 3. *C. de præscr.* 30 *vel* 40. *ann.* quod est ita, si titulum emphyteuseos præ se tulerit, non si ut colonus fundum, licet ultra centum annos, exercuerit, *arg l.* 2. *C. de præscr.* 30. *vel* 40. *ann.*

12. Imo vero si de titulo non constet, per annos autem 30. quis pensionem uniformem solverit, ad emphyteusim contendere potest. Sand. 3. 6. 10. *vers. sane si de tit.*

13. Exercendus ita fundus, ut melior fiat, idque definitioni à multis inseritur; est quidem hic scopus dominorum ut plurimum, in emphyteusi concedendâ, vocaturque jus emphyteuticum simpliciter *melioratio* in *l. ult. C. de jur. Emphyt.* sed de essentia non est; & locatio quoque sub pacto *meliorandi* potest fieri, Sand. *d. def. vers.* 11. *opponunt Biltani &c.*

14. *Quamdiu.* Tempore non finitur emphyteusis, sed durat, quamdiu pensio solvitur *d.* §. 3. *l.* 2. *C. de offic. rer. privat.* potest tamen ad tempus constitui, sed præter solitum & naturam negotii. Sand. *d. def. vers. Quia à Sax.* locatio quoque in perpetuum fieri potest *l.* 1. §. 15. *d. exercit. act.* nec ideo fit emphyteusis. Sand. *d. def. in fin.*

15. *Pensionem*, sive canonem, aut vectigal, ut appellatur in *tit. ff. Si ag. vectig. pet.* hæc plerumque modica est, propter conditionem *meliorandi*, quæ fere adjicitur & periculum quod emphyteuta fert de quovis damno, præter universum interitum *l.* 1. *d. t. C. de jur. emph.*

16. Hoc tamen non est perpetuum; emphyteusis recipit aliquando magnam & locatio minorem pensionem, ut sunt merita circumstantiarum. Sand. *d. def. vers. ajunt Biltani.*

17. Sed hoc sequitur, non licere domino augere

pensionem, quæ semper est uniformis; conventio prima jus perpetuum fundat *d.* §. 3. & *d. l.* 1. *Sand. ibid. vers. Quia à tempore.* nec emphyteutam ob casus fatales remissionem canonis impetrare posse *arg d. l.* 8. *in fin.*

18. *Solvet.* Si per triennium non solverit canonem *l.* 2. *C. de jur. emphyt.* vel si ecclesiastica sit emphyteusis, intra biennium *Auth. Qui rem C. de SS. Eccles. Nov.* 7. *c.* 3 §. 2. *N.* 120. *c.* 8. emphyteuta *jure suo cadit d. l.* 2.

19. Neque moram, oblato post triennium canone, purgare potest, quia commissum legis *ipso jure* perpetratur *d. l.* 2. & *l.* 2. *C. de fund. patrim. in fin.* secus jure Pontificio *c. potuit* x. *locati.*

20. Nec quidem solutione post triennium simpliciter accepta commissum reparatur; quid ni enim pecuniam debitam impune recipere liceat? quin & exigere pecuniam & expellere licere emphyteutam docet *Nov.* 120. *c.* 8. ut tamen facto, nisi per judicem, repelli nequeat *arg. l.* 176. *d. R. I.*

21. Præter cessationem triennalem finitur etiam emphyteusis, si Emphyteuta jus suum vel partem ejus, ignaro domino in alium transtulerit, titulo venditionis. Alii tituli non vetantur *l. ult. C. de jur. emph.* ubi ratio, quod in casu venditionis domino quinquagesima pars pretii, quæ pro consensu debetur, vulgo *laudemium*; item προτίμησις, sive jus prælationis ante alios competit, quæ duo privilegia in aliis titulis non habent usum.

22. Tertio finitur hoc jus, si Emphyteuta non præstiterit apochas publicarum functionum, hoc est, tributa fundi, perinde ac pensionem: ideoque an & huic cessationi triennium videtur esse præscriptum? nisi potius à judicis arbitrio dependeat *d. l.* 2.

23. Postremo amittitur emphyteusis male utendo atque rem corrumpendo, quo nihil magis officio emphyteutæ atque scopo hujus instituti adversum est *d. Auth. qui rem & N.* 8 *c.* 20. *arg. l.* 3. *in fin. C. locati.*

24. Amissa emphyteusi per culpam, emphyteuta quoque

quoque amittit meliorationes, neque distinguitur in *l.* 3. *C. de jur. emph. Nov.* 120. *c.* 8. vulgo tamen ex æquo & bono conceduntur ei meliorationes, quas fecit supra legem contractus. *Sand. l.* 3. *t.* 6. *def.* 6.

LIB. VII.

TIT. I.

De Usufructu, & quemadmodum quis utatur fruatur.

SEquuntur judicia in rem de rebus incorporalibus, quæ sunt servitutes, de quarum natura in genere diximus in *parte I. tit. de servit.*

2. Divisio servitutum est in reales & personales. De his primò agitur in Pandectis, quia majoris momenti sunt & quia usufr. ad dominium propius accedit: est enim in multis casibus pars Dominii *l.* 4. *h.* hoc est, non semper jus à Dominio separatum, sed frequenter integrans Dominii pars est.

3. Hic est, quem vulgo DD. usumfr. caulalem vocant, & de quo accipimus *l.* 63. *h. t.* vid. *l.* 4. *l.* 9. *d. usufr. accresc. l.* 19. *d. usufr. leg. l.* 21. §. *pen. d. exc. rei jud. l.* 58. & *l.* 126. *d. V. O.*

4. Hæc rubr. titulum in duas partes distinguit. Prima est de usufr. altera de modo utendi fruendi. Pars prior constat exegesi definitionis, divisionis & modis quibus constituitur atque finitur usufructus. De omnibus dictum ad *tit. Inst. d. Usufr.* præter modos constituendi, quorum Justinianus ibi non meminit.

5. Constituitur autem vel facto hominis, aut per legem. Facto hominis I. Per ultimas voluntates. II. Per pactiones & stipulationes *l.* 3. *h.* III. Per cessionem à Domino in jure factam *l.* 63. *h. Ulp. tit.* 19. §. 10. IV. Per offi-

officium judicis, cum in judiciis divisoriis alii proprietas, alii ususfructus adjudicatur. *l.* 6. §. 1. *b.* cum quâ confer *l.* 16. §. 1. *Fam. erc.*

6. V. Lege constituitur, veluti cum Patri datur ususfructus in bonis liberorum adventitiis §. 2. *I. p. quas Pers. l.* 6. §. *penult. d. bon. quæ lib.* ut & in *l.* 3. §. 1. *C. d. Sec. Nupt.* ubi mater ad secunda vota transiens amittit proprietatem & retinet usumfr. earum rerum, quas à priore marito adepta erat.

7. Constituitur tam sub conditione quàm pure, & pendente conditione usufr. apud proprietatem est, licet hæc deducto usufr. sit legata *l.* 4. *si Usufr. pet.* nec est contrarium in *l.* 16. *Quib. mod. usufr. am.*

8. Etiam pro parte constitui potest *l.* 4. *b.* Usufructus, scilicet, est dividuus ratione fructuum, qui divisim percipi possunt *l.* 19. *d. usu & habit. l.* 1. §. 9. *l.* 81. *ad L. Falcid.* cum alioqui servitutes sint individuæ *l.* 11. *l.* 17. *d. servitut.*

9. Tam quoque in omnibus quàm in certis rebus, præsentibus etiam & futuris statui potest, per *l.* 35. §. 4. *C. d. Donat.* ut tamen in dubio ad futura non pertineat: quia separatio emolumenti à dominio contra ejus naturam est. *add. l.* 7. *d. aur. & arg. leg.* & quod ad *Inst. h. n.* 12. diximus.

10. Sequitur altera pars Rubr. de modo utendi fruendi. Huc spectat primo; si potestas alienandi & diminuendi substantiam addatur, non erit usufr. sed proprietas, cum onere fideicommissi, quâ de re vid. Fachin. 5. *Controvers.* 45. Schotan. *exam. b.*

11. Cujusmodi tamen transformatio non videtur fieri, prohibitâ alienatione fructuario *d. lib.* 5. *c.* 44. multo minus, factâ prohibitione, ne fructuarius domum usufructu tenus legatam altius tollat. Fachin. *ibid.* D. Wissenbach. ad *h. tit. th.* 3. Diss. Bachov. ad Treutl. *vol.* 1. *disp.* 16. *th.* 16. *lit. E.* per *l.* 19. *h.*

12. Casus alios, quibus sub vocabulo usufr. proprietas relicta intelligitur, vide *in l. ult. d. Usufr. ear. rer. l.* 34.

l. 34. §. 7. *d. leg.* 2. *l.* 15. *d. aur. & arg. leg. adde l.* 4. *l. pen.* §. 1. *d. alim. leg.*

13. Verſari in rebus ita debet fructuarius, ut ne deteriorem proprietarii cauſam faciat *l.* 13. §. 7. imo nec meliorem, ſi tota rei facies mutetur, ut ſi ex viridariis faciat hortos olitorios. *d. l.* 13. §. 4. vel mutet ædes, etſi meliores repoſiturus *l.* 7. *in fin. l.* 8. *h. t.*

14. Fert etiam onera fructuarius, ut tributa *l.* 7. §. 2. *inf. l.* 27. §. 3. *h. t.* & impenſas, de quibus *ad tit. l. n.* 10. *& ſeqq.*

TIT. II.

De Uſufr. Accreſcendo.

CUm duobus ejuſdem rei uſusfr. eſt legatus conjunctim, pars deficientis accreſcit alteri conjuncto: Quid autem ſit jus accreſcendi & quotuplex conjunctio, dictum eſt ad *tit. Inſt. de Legat. n.* 48. *& ſeqq.*

2. Hic obſervanda duplex differentia juris Accreſcendi inter proprietatem & uſumfructum legatum. 1. quod in proprietate jus accreſcendi ceſſat, quam primum legatarii ſuam quiſque partem agnoverunt; ſed in uſufructu locum habet jus accreſcendi non tantum ab initio, verum ſemper, quocunque tempore fructuarii moriantur *l.* 1. §. 3. *h.* ubi & ratio redditur.

3. Alterum diſcrimen eſt, quod in proprietate portio accreſcit portioni, non ſecus ac alluvio adjicit incrementum fundo. Proinde is qui partem ſuam amiſit, non gaudet hoc jure *l.* 33. §. 1. *d. uſufr. l.* 14. §. 1. *d. Except. rei jud.* ſed in uſufructu portio deficiens accreſcit perſonæ, licet forte ſuam portionem amiſerit *l.* 10. *h. t.*

4. Pacius *hic* tertium diſcrimen refert; quod verbis conjuncti, in uſufructu non gaudeant jure accreſcendi; at hoc ex *l.* 1. *h. t. in pr. l.* 3. *l. pen. Eod.* non probatur, ut alias diximus. *tit. l. de legat. n.* 67. *in prælect.*

TIT.

TIT. III.

Quando dies Usufr. Leg. cedit.

QUid sit cedere diem, aliàs dictum est *tit. I. de leg. n.* 78. Regulariter dies legati cedit à morte statim, *l.* 5. §. 1. *Quand. dies leg. ced.* etiam in annuo Legato *l.* 12. §. 3. *d. tit.* Sed dies usufr. legati cedit ab adita hereditate *l. un.* §. 2. *h.* ubi & ratio.

2. Cui adde, quod in reliquis legatis dies statim à morte cedat, ut immediate ad heredes transmittatur, quod cum in usufr. nequeat, deficit ratio, cur hic cessio factum heredis, à quo naturaliter pendet, præcedere debeat. Idem est in usu legato *l.* 2. & 3. *Quando d. leg. ced.*

TIT. IV.

Quibus mod. Usufr. amittitur.

MOdi, quibus amittitur usufr. sunt in §. *pen. Inst. d. Usufr.* & explicati *ad. d. tit. n.* 23. & *seqq.* nisi addere velis hoc; Si usufr. alternis annis legetur, tempore etiam duplicato opus est *l.* 28. *quib. mod. Usufr. amitt. junctâ l.* 7. *Quemadm. serv. amitt.*

2. Non tantum rei interitu, velut inundatione *l.* 23. & *seqq. h. t.* sed & mutatione essentiali finitur usufr. ut si ex agro stagnum, vel ex stagno ager fiat, si ex sylva arvum, ex arvo sylva, *d. l.* 10. §. 2. 3. 4.

3. Massæ usufr. perit etiam, vasis inde factis, *d. l.* 10. §. 5. etsi secus de dominio constet §. 25. *I. d. A. R. D.* imo quadrigæ usufr. uno pereunte equo, extinguitur. *d. l.* 10. §. *ult.*

4. Item, si ex balneo habitatio, ex taberna diæta sit facta, perit usufr. *l.* 12. *pr. h.* imo & servi histrionis perit, si nomenclator factus *d. l.* 12. quia in omnibus his speciebus res amisit suum formale, sub quo legata erat.

5. Postre-

5. Postremo usus fructus civitati legatus perit, non modo diruta urbe *l. 21. h.* sed etiam post Centum annos *l. 56. d. Usufr.*

TIT. V.

De Usufr. earum rerum, quæ usu consumuntur.

RES, quarum usus substantiam minuit & consumit, non recipiant usumfr. sed jus simile usuifr. in illis constitutum est, mediante cautione, qua promittit fructuarius, se tantundem restituturum §. 2. *in fin. I. de Usufr. l. pen. h. t.*

2. Quo exemplo res etiam aliæ, in quibus est verus usufr. mediante tali cautione, ad instar quasi usufr. redigi possunt, quod sit in illis, quorum usus non expedit, nisi adsit facultas consumendi, ut in vestimentis, animalibus &c *l. 62. §. 1. d. Usufr.*

3. Idem in equis, bovibus, vaccis, ovibus plerumque ità fieri solet, ut & in metallifodinis, quæ non renascuntur, & cespitifodinis in his regionibus; Vid. Sand. *lib. 5. tit. 3. def. 2. junct. def. 3. temperamenti caus.*

4. Scilicet, illarum rerum fit æstimatio & usufructuarius æstimationem vel pecuniæ tantundem, finito usufructu, cavet se restituturum *d. §. 2. l. pen. d. usufr. ear. rer.* ita ut ususfructus tum consistat in usu gratuito illius pecuniæ. Nam rerum ipsarum fructuarius tum fit dominus; siquidem æstimatio dominium necessario transfert. *l. 5. l. 10. C. de jur. dot.*

5. Sed monendus est fructuarius, qui tales res per modum q. usufr. æstimatas recipit, ne aliter quam multo intra verum pretium æstimationem admittat, quia stricto jure posset illis rebus uti ad extremum, & quia post æstimationem tenetur ad pretium, licet rebus casu fortuito deperditis, per *l. 10. D. & C. d. jur. dot. l. 9. C. d. pign. act. l. 11. d. reb. Cred.* Reliqua ex Instit.

TIT.

TIT. VI.

Si Usufr. petetur, vel ad alium pertinere negetur.

USufructuarius, aequisito usufructu, (si tantum sit promissus, actio tantum in personam esse potest) habet actionem confessoriam, in qua & fructus & aliæ accessiones veniunt *l.* 1. *pr. l.* 5. §. 3. *& ult.* quæ vero domino non datur *l.* 5. *pr.* sed huic competit negatoria actio adversus eum, qui vindicat usumfr. §. *ult. d. l. Plura. infr. ad tit. Si Serv. vind.*

TIT. VII.

De Operis Servorum.

OPetis servi aut jumenti legatis, usus intelligitur §. 3. *de Us. & hab. l.* 5. *h.* imo fructus *l.* 4. *pr. eod.* imo neuter *l.* 1. §. 9. *ad Leg. Falcid.* Tu dic; proprie tertium genus faciunt *d. l.* 1. §. 9. sed impropriè, quia sunt plus quam usus, ideo fructus dicuntur; & quia minus sunt quam fructus, ideo usus vocantur.

2. Operæ servi peculiare hoc ab usu & fructu habent, quod nec capitis diminutione, neque non utendo, neque morte ejus, cui relictæ sunt, sed morte tantum, vel usucapione servi extinguuntur *l.* 2. *d. usufr. leg.*

TIT. VIII.

De Usu & habitatione.

UT dominium materialiter continet proprietatem & usumfr. ita ususfr. & usum comprehendit & fructum. Potest n. fructus ita constitui, ut penes alium sit Usus, qui tum habet id quod necessitas postulat; fructuarius reliquum emolumentum, quin & nuda proprietas apud tertium esse potest *l.* 14. §. *ult. h.*

2. Quan-

2. Quanquam si usus fr. simpliciter constituatur, usum quoque comprehendit, velut totum suam partem, ita cape *d. l.* 14. §. 1. cum quo sic non pugnat *d. l.* 14. §. 1. *l.* 5. §. 1. *usu fr quemadm. cav.* ut Budæus putat. Alioqui vocabulo fructus idem quod usus fr. significatur *d. l.* 14. §. 1. Reliqua de usu & habitatione diximus ad *tit. ejusd. Rubr.* in parte I.

TIT. IX.

Usufr. quemad. cav.

DE cautione fructuaria diximus *ad tit. Inst. de usufr. pos.* 18. *& seq.*

2. Obliti sumus explicare ibi dicere, quid caveatur in quasi usufructu; scil. Tantundem vel pretium, quo res æstimatæ sunt, restitutum iri, finito usufructu §. 2. *Inst. de Usufr. vers. itaque. l.* 8. *d. usufr. ear. rer. l.* 7. §. 1. *h.*

3. Dictum ibi, Testatorem non posse remittere cautionem, sunt tamen casus, quibus Lex eam remittit.

4. I. Si proprietas alicui in diem, ususfructus pure sit legatus, quia certum est, proprietatem ad eum, vel ejus heredem perventuram *l.* 9. §. 2. *h.*

5. II. Fisco, qui semper locuples intelligitur *l.* 1. §. 18. *Ut Legat. serv. cauf.* III. Patri in bonis filii adventitiis *l. ult.* §. *Sin autem C. de bon. quæ lib.*

6. IV. Donatoribus, qui proprietatem, reservato usufructu, donaverunt. *arg. l.* 28. *d. R. I. D.* Schotan. *exam. h. t.*

LIB. VIII.

TIT. I.

De Servitutibus.

SEquuntur ſervitutes reales, quas prædia præſtant prædiis; quæ per excellentiam ſervitutes vocantur, ut hic & §. 9. *Inſt. de Legat.* & *paſſ.* de quibus repetantur ea, quæ ad tit. Inſt. de ſervitut. dicta fuere *parte I.* Ad hanc Rubricam pertinet, definitio & ejus exegeſis, diviſio, & modi, quibus conſtituitur ſervitus.

2. Definitionem habes à *pr. d. tit.* diviſionem in *n.* 4. & *ſeqq.* ſcilicet in *prædiales* & *perſonales* ſervitutes: tertium genus ſervitutum, quando perſona ſerviat rei, non datur: nam ſervilis conditio, de qua agitur in *l.* 44. *d. man. teſt.* abhinc aliena eſt.

3. Quin & ipſæ ſervitutes *ruſticæ* ac *urbanæ* non tam ſpecificis differentiis quam crebris accidentibus opponuntur, nam ruſticæ ſervitutes fieri poſſunt urbanæ, ſi urbano prædio debeantur, & vice verſâ *l.* 7. §. 1. *l.* 14. *in pr. Commun. Præd.*

4. Aliquando etiam reales ſervitutes poſſunt fieri perſonales ex accidenti, ſi perſona, cui debeantur, expreſſa ſit *l.* 4. *in fin.* & *l.* 5. *d. S. R.* eoque referri poteſt quod de aquæ hauſtu legitur in *l.* 14. § *ult. d. alim. leg.* quanquam emendatio ejus loci ſpecioſa circumferatur. quanquam vix eſt, ut illa propriè ſervitus dicenda ſit *l. pen. eod. l.* 6. *d. ſerv. leg. l.* 13. *pr. Com. præd. l.* 12. *d. am. leg.* Modos & cauſas ſervitutum habes ad *d. tit. n.* 24. &c. ubi & de præſcriptione.

5. Ita ſe refert hæc ſervitus ad prædium, ut ſi uſum ejus egrediatur, deſinat eſſe ſervitus, veluti, Si conſtituatur commercii *l.* 5. *inf. d. S. R.* aut voluptatis ergo, quæ in phantaſia cujusque hominis conſiſtit *l.* 8. *pr. h. Non obſt l.* 19. *h. t.* à voluntate diverſa videtur amænitas præ-

prædii, quæ civilem recipit æstimationem *l.* 3. *d. aq. quot.* vel dic, ibi hactenus valere aquæ ductum amœnitatis causa, ut interdictum detur *l.* 1. & 12. *eod.* dix. *ad tit. Inst. n.* 3. *de servit.*

6. De causis, quibus servitutes constituuntur, diximus etiam ad *Instit. h. t.* Usucapio non convenit servitutibus *l.* 43. §. 1. *d. A. R. D. l.* 32. *d. S. U. P.* quanquam olim analogica quædam usucapio in usu fuerit; quia lex Scribonia servitutes usucapi vetuit *l.* 4. §. *ult. d. Usucap.* quam fuisse biennalem, etiam in rusticis, testatur Paulus, 1. *sent.* 17 §. 1. & *Agg. Urb. in Frontin. d. limit. In l.* 14. *h. t.* alia redditur ratio, cur usucapi nequeant servitutes. Denique & ex præscriptione servitutum competit tantum utilis actio *l.* 10. *Si servit. vind.*

7. Servitutes ipso jure non recipiunt diem vel conditionem, sed per exceptionem duntaxat *l.* 4. *h.* quomodo hoc intelligendum? de causis remotis non potest: quia pacta & stipulationes indistincte diem conditionemque recipere notissimum est; nec de patientia usus, quoniam illa terminos habiles temporis aut conditionis apertè respuit.

8. Nec de testamentis, quia legata omnigenas adjectiones recipiunt *tot. tit ff. d. C. & D.* nec secus esse in servitutibus probat *l.* 3. *sub. fin. de serv. leg.*

9. Unde reliquum est, ut hoc tantum de cessione; quæ in jure fit, usum habeat; hæc enim est actus Legitimus, quæ non recipit diem vel conditionem *l.* 77. *d. R. I.*

10. Ideoque non est necesse, ut cum Bachovio *ad tit. Inst. de servit.* dicamus, conventione nuda, cui soli prohibitio diei vel conditionis conveniat, servitutem hic constitui, qua de re diximus *in lib.* 4. *Digress. cap.* 7.

11. Jure civ. igitur pactum venditoris de servitute non obligabat emptorem ad patiendam servitutem, nisi venditor cessionem vel patientiam præstitisset. Confer *l.* 31. *d. S. R.*

12. Sed moribus hodiernis, quia ceſſiones raro in uſu ſunt, ita fere obtinet, ut ſi plenè de Servitute convenerit, fine & uſu juris expreſſo, tunc valeat ſervitus, maximè ſi traditio inſtrumenti aliave externa demonſtratio accedat: autores vid. apud Zutphen. *tit. de Serv.* §. 9.

TIT. II.
De Serv. Urb.

SErvitutes Urbanas novimus ex Inſt. Præter illas, ſit hoc tenue ſpecilegium: Eſt adhuc ſervitus projiciendi & protegendi, per quam licet aliquid emittere è pariete noſtro, ut ſuprà alienum quidem provehatur, at in eo tamen non requieſcat, qualia ſunt mœniana & ſuggrundæ *l.* 2. *h. l.* 242. §. 1. *d. V. S.* vid. Briſſon. in voce Suggrundæ: ubi ſuggrundas ait à Græcis appellari *γεισοσηποδίσματα*; quorum tamen deſcriptio cum *d. l.* 242. *d. V. S.* non convenit.

2. Protecta videntur eſſe prominentiæ tignorum & tegularum domus noſtræ ſuper alienam aream, ad parietes noſtros contra pluviam protegendos *l. ult.* §. *ult. h. t.*

3. Datur & ſervitus luminum, diſtincta à ſervitute luminibus non officiendi, & videtur eſſe jus capiendi lumen per alienum parietem *l.* 4. *l. pen. h. t.*

4. Eſt etiam cloacæ ſervitus, ad immittendam colluviem in ſolum vicini *l.* 7. *d. Servit.* Servitus effundendi aliquid in locum vicini *l.* 8. §. 5. *Si ſervit. vind.* Fumum immittendi in ſuperius vicini ædificium *d. l.* 8. §. 5. Aliquid poſitum habendi in fundo vicini *l.* 17. §. 1. *Si ſervit. vind.* cæteraque iſtis ſimilia.

TIT.

TIT. III.
De Servitutibus Rusticis.

NIhilo plus de his Servitutibus, quod repetamus, offertur; nisi addere libeat, omnia servitutum quarundam, de quibus ad *Instit.* non meminimus, ut est, jus cogendi fructus coactosque habendi, pedamenta sumendi, lapides projiciendi, cædendi, provolvendi, exportandi, *l.* 3. *h. t.* eximendi lapides, cædendi sylvam, habendique tugurium, quæque his similes esse queunt *l.* 6. *h. t.* ut est adhuc jus navigandi per lacum alienum *l.* 23. §. 1. *d. Servit. Rust.*

2. Quid autem est, quod ait Jctus *in l.* 2. *in pr. h. t.* rusticorum prædiorum servitutes sunt, licere altius tollere & officere Prætorio vicini vel cloacam habere licere, vel protectum; quæ sunt ipsissimæ urbanæ servitutes; nisi rustica prædia vocet, quæ ruri ædificia sunt; ut Prætoria, tabula & horrea, cæteræque domus?

3 De reliquis servitutibus vid. *l.* 3. & 6. *h. t.* & §. 3. *Inst. de Serv.* & de juribus atque oneribus quæ prædiis rusticis imponuntur sine servitute *l.* 12. *d. Ann. Legat. l. ult.* §. *ult. d. Contrah. empt.*

TIT. IV.
Communia Prædiorum.

COmmunia utriusque servitutis, præter ea, quæ ad definitionem & modos constituendi pertinent, de quibus ad *tit. Inst. de servit. in pr.* §. 28. & *ult.* & *supra de servitut.* sunt hæc potissimum.

2. Utræque servitutes sunt individuæ utræque tota prædia afficiunt, positis terminis habilibus *l.* 13. §. 1. *d. S. R.* hinc socius prædio communi pro indivifo servitutem imponere vel acquirere, aut remittere nequit *l.* 2. *l.* 11. *l.* 17. *d. Servit. l.* 19. *l.* 34. *d. S. R.* secus in fundo communi pro divifo *l* 6. §. 1. *h.*

3. Licet autem in se & actu primo omnes prædii partes serviant, in usu tamen actuque secundo determinanda est servitus, ut cæteræ partes liberæ sint *l.* 13. §. 1. *d. Servit. R. l.* 23. §. 3. *Eod.* jus determinandi datur aut servienti *l.* 26. *d. S. R.* aut etiam dominanti *l.* 9. *d. Serv.* uter prius id occupaverit, modo sine captione alterius fiat.

4. Tertium commune est, quod omnis servitus causam habet perpetuam, ita ut semper exerceri queat *l.* 28. *d. S. V.* non ut ipso actu exerceatur *l.* 14. *d. Serv.*

5. Hinc ex lacu vel stagno servitus aquæ dari nequit, neque ex cisterna *l.* 1. §. 4. *d font. l.* 1. §. 5 *d. aq. quotid. & æst.* non obst. *l.* 9. *de S. R.* unde liquet nec jus arenam aut argillam aut cespites fodiendi aut lapides cædendi posse concedi, si non continuo renascantur, aut lacus respectu aquæductus sint perpetui *l.* 23. §. 1. *d. S. R.*

6. Nec servitus foraminis, proluendi pavimenti causa, constitui potest, quia non habet causam perpetuam, quod manu fit *l.* 28. *d. Serv. Urb.*

7. Atqui servitus fumi immittendi recte constituitur *l.* 8. §. 5. *si serv. vind.* etsi nihilo magis causam habeat perpetuam, ac servitus foraminis: nisi dicas, focos suo modo esse etiam perennes, ut Martialis dixit, & minus assiduo manum requirere quam foramen.

8. Quod si aqua coelestis defluat in foramen, jam valet servitus *d. l.* 28. nec tamen ex cisterna, quam coelestis aqua implet, constitui potest *d. l.* 1. §. 4. *d. Font.* quia aquæ haustus ex cisterna necessarius est, etiamsi de coelo nihil cadat, & sic deficere potest, sicco cœlo. Sed foramen, quod ad aquam cœlestem emittendam habetur, ut & stillicidium nunquam habet usum, nisi aqua cadente, ideoque nunquam deficere potest.

9. Quanquam autem Servitus ita constitui nequeat, ut causa perpetua careat, *v. gr.* voluptatis vel commercii causam habeat, tamen si quis ejusmodi fundo suo jus acqui-

acquisiverit, quod usum habeat non prohibitum, tuendum esse eum, qui hoc adeptus est, habetur in *l. 2. h. t.* per interdictum scil: *arg. l. 1. §. 11. & 12. d. Aq. quotid.* nec non per actionem è contractu, quo jus illud constitutum est *l. 13. in pr. h.*

10. Nec est tamen inanis illa subtilitas; non poterant neque debuerunt ejusmodi jura, quæ non examussim fundo conveniebant, ita stabiliri in prædio, ut semper ei inhærerent, actionemque adversus quemlibet possessorem producerent, siquidem servitutes hasce non homo debet sed res *l. 6. §. 2. Si servit. vind.* Atqui facere, voluptas, commercium sunt qualitates personales, nec Rebus conveniunt.

11. Quartum commune est, quod quæque servitus requirit id, sine quo libere exerceri nequit; hinc, qui iter habet, solum serviens, si nimis altum sit, potest demoliri, aut in clivos vel gradus distinguere *l. 20. §. 1. d. S. V.* adde *l. 3. §. f. d. S. R. l. 21. d. S. V.*

12. Hinc judicetur, qualis vicinia requiratur, de quâ litigant Interpp. Tu dic, non alia, quam ut quæque servitus postulat, in oneris ferendi, tigni immittendi &c. vicinitas immediata requiritur, prospectus è longinquo esse potest. Sic etiam inter rusticas aquæ haustus. vid. *l. 1. pr. d. S. V. P. l. 14. §. f. d. Serv. l. 7. §. ult. d. S. R.*

13. Quintum commune est, quod servitus à sociis diversis temporibus inter vivos constituta valet, quia unus actus alterum expectat: secus in testamento: quia hoc à morte pendet, quæ est ultima linea rerum; excipe, si hereditas utriusque simul adeatur, nam & tunc utraque constitutio in unum coalescit *l. ult. h.*

TIT. V.
Si Serv, vind.

SErvitus, cum sit jus in re constitutum, parit actionem in rem confessoriam; cui opponitur negatoria. De utraque dictum est *ad tit. Inst. de Action. n.* 11. *& seqq.* Adde, quod utilis *confessoria* detur creditoribus ac emphyteutis *l.* 16. *d. Serv.*

2. Si plures sint Actores, singulis in solidum actio datur, aut, uno agente, omnibus victoria prodest *l.* 4. §. 3. *h.* etsi pro se remiserit servitutem, quia pro parte remitti nequit *tit. præc. n.* 3. si plures sint, contra quos agitur, hi quoque in solidum tenentur *d. l.* 4. §. 4.

3. Habet usum hæc vindicatio, non modo, cum simpliciter aliquis prohibetur uti servitute, sed & quoties aliquid fit, ex quo servitus tollitur aut coarctatur, ut si stillicidium deprimatur *l.* 20. §. *pen. d. S. V.*

4. Aliquando confessoria verbis exprimitur negativis & negatoria affirmantibus; ut in servitute altius non tollendi; *Ajo te non posse altius tollere domum tuam*, est actio confessoria, quasi dicam, *domus tua sic mihi servit:* contra, possum *altius tollere*, quia domus libera est, hæc est negatoria *l.* 4. §. 7. *Si servit. vind.* sed cum agitur de servitute altius tollendi, tum formulæ actionum more solito concipiuntur; ita est in §. 2. *l. de Action.*

5. Veniunt & fructus in hanc actionem, hoc est, id quod interest *l.* 6. §. *pen. eod.* Est & judicis officium jubere caveri de jure agentis non imminuendo aut impediendo *l.* 7. *l.* 12. *d. tit.*

6. An liceat manu prohibere eum qui servitutem in nostro usurpat, vid. *l.* 29. §. 1. *Ad L. Aquil.*

TIT. VI.

Quemadm. servitutes amittuntur.

AMittuntur servitutes quinque modis, confusione, remissione, non utendo, finito jure concedentis & Rei interitu.

2. Confusio fit, cum idem utriusque prædii Dominus est factus *l.* 1. *h. l.* 10. *Comm. præd. l.* 27. *d. S. R. l.* 7. *d. Fund dot* nec reviviscit, nisi expresse renovata *l.* 30. *pr. d. S. V.* ubi nota, pro parte confusionem non fieri, ex ratione *l.* 8. §. 1. *d. Servit.*

3. Remissio est vel expressa vel tacita, quæ intelligitur, cum dominans servienti aliquid servitutis exercitio contrarium permittit. Exemplum vid. *in l.* 8. *h.*

4. Non utendo amittitur longo tempore *l. ult. C. d. Serv.* nempe, si neglecta sit: nam si impedimentum sit ex re ipsa, ut si fons exaruerit, præscriptio cessat *l.* 34. §. 1. *& seq. d. S. R.* vid. tamen *l.* 14. *h.*

5. Et quidem rustica servitus simplici non usu tollitur: sic, ut tempora emptoris & venditoris, quibus non usi sunt, conjungantur *l.* 18 §. 1. *h.*

6. Sed urbanæ servitutes non pereunt, nisi adversarius facto servituti contrario initium quasi præscriptionis fecerit, quæ usucapio libertatis vocatur *l.* 6. *l.* 32. §. 1. *d. S. V. l.* 18. §. 2. *h.*

7. Neque tempora usucapionis inter emptorem & venditorem conjunguntur *d. l.* 32. §. 1. quod tamen an non secus est hodie, per §. 8. *I. de Usuc. l. un. C. d. usucap. transform* ?

8. Si quis aliter usus sit servitute quàm instituta erat, siquidem mutatio totius generis sit, ille non uti videtur & longo tempore amittit *l.* 10. §. 1. *h.* alioquin is qui plus sibi sumit quàm jure poterat, duntaxat in ordinem redigitur *l.* 11.

9. An [illegible]itur servitus non amittitur ita, sicut usus-fructus, non utendo per modum & tempus? Non videtur de modo *d. l.* 11.

10. Quæalternis annis aut menſibus habetur ſervitus, ei duplici tempore præſcribitur *l.* 7. *h.* etſi una ſervitus eſt *l.* 13. *d. uſufr. leg.* cujusmodi duplex tempus etiam abſentibus conceditur *l. pen. C. de Servit.*

11. denique nota, ſervitutem ab eo conſtitutam, qui non habet jus perpetuum, ſoluto ejus jure, ſtatim finiri *l.* 11. §. 1. *h.*

12. Idem de emphyteuta & vaſallo conſtat, etſi proprie ſervitutes illæ non ſint; nam ut jus in re conſtituatur, opus eſt dominio *l.* 2. §. 1. *Siſerv. vind. l.* 23. *pr. d. R. V.* & quidem pleno: nam proprietarii & fructuarii, invitis alteris, ſervitutem ſtatuendo nihil agunt.

13. Imo, ne conſentientes quidem poſſunt, ſi fides textui in *l.* 15. §. *ult. & l. ſeq. d. Uſuf.* quod tamen cum ratione difficulter conciliatur.

14. Addendo particulam *non* ſanat vitium Buſ. *ad d. l.* 15. ſine chirurgia Connanus *l.* 4. *com. c.* 3. *n.* 3. hoc ſenſu, dominus proprietatis poteſt imponere ſervitutem, etſi ne quidem conſentiat fructuarius, at non niſi talem, quæ huic non præjudicet, *ἐυσόχως*!

15. Denique, Rei interitu ſervitutem, quæ eſt prædii qualitas, interire neceſſum eſt *l.* 14. *h. t.* quanquam domo deſtructâ novaque ædificata, ſervitutes urbanæ nihil interim mutantur *l.* 20. §. 2. *d. Servit. urb.* ſed de viâ publicâ ſciendum, eâ vi fluminis amissâ, vicinum proximum ad eam reſtituendam teneri. *d. l.* 14 §. *f.*

LIB.

LIB. IX.

TIT. I.

Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.

FUerunt judicia in rem; ſequuntur actiones in rem ſcriptæ, cujusmodi noxales & propter affinitatem cum illis, Legis Aquiliæ judicium, & dein mixtæ, tam in rem quam in perſonam dictæ.

2. Prima noxalis eſt de pauperie, de qua dictum in Inſt. *l.* 4. *tit.* 9. ubi & caſus, quibus hæc actio ceſſat: quos inter;

3. Si pecus gramina depaverit, vites arroſerit; cum hoc fit juxta naturam generis, hæc actio ceſſat & datur de paſtu pecoris ex L. XII. tab. vel ſi impulſum fuerit, ex L. Aquilià *l. ult. C. de L. Aquilia l.* 14. § *f. d. Præſcr. verb.* eadem lege, dominus agri tenetur, ſi pecudem violentius expulerit *l.* 39. *in pr.* & §. 1. *d. l. Aquil.*

4. Quando pecus pecudem occidit, ſi provocatum perlit, hæc actio datur, non ſi provocans ceciderit *l.* 1. §. 11. *h. t.* quod eſt veſtigium τῶ, τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι.

TIT. II.

De Lege Aquilia.

HOc etiam caput plenâ manu executi ſumus in parte I. *l.* 4. *tit.* 3. Adde.

2. Tenetur hac lege, etiam is, Qui fructus alienos diſſecuit, immaturos; nam ſi maturos, duntaxat impenſas amittit *l.* 27. §. 25.

3. Si naves occurſu mutuo ſint læſæ, datur actio in reum culpæ; ſi non liqueat, neuter tenetur, & ſuum quiſque fert caſum *l.* 29. §. 4. *h.* moribus fere contributio fit.

4. Qui

4. Qui metu incendii latius evagaturi vicinas ædes intercidit, non tenetur, etsi ignis eo non pervenerit *l.* 49. §. 1. nisi metus haud cordati hominis fuerit *l.* 7. §. 4. *Quod vi aut clam. arg. d. l.* 49. §. 1. verb. *magnâ vi cogente.* Tutius hæc res magistratibus relinquitur.

5. Casus alios & historias vide, sis, in *l.* 30. §. *pen. l.* 45. §. 3. *l.* 52. §. 1. & 2. *d. tit.* & toto passim titulo.

6. De incendio in ædibus conductis facto crebra est quæstio, an conductor teneatur. De casu fortuito certum est non teneri. De culpa levissima ex locato etiam non. Lege Aquilia tenetur quidem, sed persona demonstranda est; nam præsumptio, quod incendium culpa habitantium sit ortum, ex *l.* 3. *d. off. præs. vig.* nimis generalis est: hactenus tamen contra habitantem valere videtur, ut probandum sit ipsi & in delectu domesticorum & in omni cura, se fecisse, quod diligentem decet patremfam. Forte adeo, ut si constet nec θεῦ βίαν adfuisse, teneri debeat. vid. *l.* 27. §. 9. 10. 11. Sand. *lib.* 3. *decis. tit.* 6. *def.* 9.

7. De testamentis chirographisque deletis datur etiam actio Legis Aquiliæ, vel furti, siquidem animum adfuerit furandi; scil: iis quorum interest, ut heredibus & legatariis. Testatori non datur; nisi forte injuriarum *l.* 41. *pr.* & §. 1. *h. t.*

8. Datur hæc actio in eos, qui damnum dederunt: non in heredes, nisi locupletiores inde sint *l.* 23. §. 8. contra plures damni dati participes in solidum singulos, tam si constet omnes fecisse quam si non constet; nam cum scimus, qui fecerint, hi soli tenentur; unius solutio reliquos non liberat *l.* 11 §. 2. & §. 5. Idem est in actione furti aliisque delictis *d. ll. l.* 51. *in fin. h. t.*

9. Si alius mortifero vulnere percusserit, alius postea examinaverit, prior de vulnere, de cæde tenebitur alter, ut censet Ulpianus *d. l.* 11. §. 3. contra disputat Julianus *in l.* 51. *eod.* sane si continuis ictibus homo percussus sit, uterque tenebitur *arg. d. l.* 11. §. 2. & 4. sed uterque Jc. ponit intervallum. Julianus addit

dit, *si primo ictu certum esset hominem moriturum*; hoc cape pro medio conciliandi; dicuntur enim & mortifera vulnera, etsi haud plane ἀμάχως certum sit, non posse non sequi mortem. *l.* 7. §. 5. *h.l.* 1. §. *fin. ff. ad Sc. Silan.*

TIT. III.

De his qui dejecerunt vel effuderunt.

DUo hic sunt edicta, quæ habuimus in Inst. *tit.* de *quasi delictis.*

2. Primum est in *l.* 1. *pr.* adversus eum, ex cujus habitatione aliquid solidi dejectum vel liquidi effusum est, *l.* 5. §. 5. *h.*

3. Alterum in *l.* 5. §. 6. §. 8. *& ult.* quo mulctantur, qui in suggrunda vel protecto positum aliquid aut suspensum habuere, quod si cadat, alicui nocere possit.

4. Quando id quod positum est, actu decidit & nocuit, tum is qui posuit vel suspendit utili actione tenetur *d. l.* 5. §. 12. si non constet, quis posuerit, videtur utilis ex priori edicto dari *l.* 1. §. 3. *h.*

TIT. IV.

De Noxalibus Actionibus.

ETiam de noxalibus actionibus ex parte I. constat, nec usum habent hodie, quia servis caremus & in liberis jam olim cessavit. Diximus abunde ad *tit. Inst. de Noxal. action.*

2. Hoc tamen indictum; si domino sciente & non prohibente, cum posset, servus deliquit, eum ad integram litis æstimationem, perinde, ac si jussisset, obligari *l.* 2. *cum* 3. *ll. seqq. h.t.*

3. Ut etiam, si dolo servum possidere desiit, aut per mendacium neget, se habere eum potestate, aut deferente adversario nolit jurare, se nec habere nec dolo illum habere desiisse *l.* 5. *l.* 21. §. 2. *& seqq. h.t.*

4. Qui

4. Qui non est dominus ad dedendum non tenetur, quoniam dominium, quo caret, transferre non potest *l.* 27. §. 3. *ad L. Aquil.* tenetur tamen, ut ferre vum dedat qualitercunque *l.* 13. *h.* quos textus ita concilia *arg. l.* 11. *h. t.*

LIB. X.

TIT. I.

Finium Regundorum.

SUccedunt actiones, quæ mixtæ dicuntur, in rem & in personam; eædemque duplices, quia in his singuli litigantes & rei & actoris partes sustinent *l.* 13. *d. jud. l.* 2. §. 3. *fam. ercisc.* mixtæ autem quo sensu dicantur, explicavimus ad *tit. de Action. n.* 46. *& seqq.*

2. Est autem hæc actio in personam, quâ confines agrorum contendunt, ut veteres fines declarentur, aut novi judicis arbitrio constituantur.

3. Est *in personam* actio, ut habetur in *l.* 1. *h. t. Licet pro vindicatione rei est*, additur; hoc est, licet effectum rei vindicationis habeat, per consequentiam prolatis enim finibus, terra mihi accedit, perinde acsi vindicata esset. Pro vindicatione, id est, loco vindicationis.

4. Inter confines agrorum datur; In prædiis urbanis non opus est hoc judicio, quia domuum fines nulli sunt, nisi latitudo hortorum terminos habiles faciat *l.* 4. §. *pen. h. t.*

5. Domus satis parietibus distinguuntur *d. l.* 4. Spatia, quæ inter insulas stillicidii causa relinqui solent, communia sunt pro diviso & quisque suam partem ædificando potest occupare, modo stillicidium excipiat

piat *l.* 20. §. *ult. d. S. V.* neque ſolum alii ſervituti ſit obnoxium *l.* 20. *pr. d. S. R.* nec inter eos, quorum agri via publica vel flumine diſtinguuntur, locum habet *d. l.* 4. §. *ult. l.* 5. Si rivus interfit, non ceſſat *l.* 6.

6. Inter ſocios quoque ceſſat hæc actio *l.* 4. §. 6. ne quidem ſi juxta fundum communem aliter ſociorum habeat proprium *d. l.* 5. §. 6. & 7. ſed inter emphyteutas, uſufructuarios & creditores datur utile judicium *d. l.* 4. §. 9.

7. *Contendunt*, utrimque ſcilicet, nam eſt duplex judicium, ut & duo ſequentia, uterque ſe ut reum & actorem habet *l.* 10. *b.* diximus ad *tit. l. de Judic. n.* 17. & 18. nec tamen ſemper hoc eſt judicium duplex; quid enim ſi alter ſe tantum lædi queratur & ſolus provocet ad judicem?

8. Verba ultima definitionis indicant partium intentionem & officium judicis, ut nempe veteres fines declarentur, aut ſi id fieri nequeat, dirigantur novi *l.* 2. §. 1. *b. t.* In quem finem conſulendi adfines, domini priores, vetera monumenta, denique agrimenſores *l.* 8. §. 1. *l.* 11. & 12. *b. l.* 8. §. 1. *l.* 11. & 12. *b. t.*

9. Sæpe fit, ut fines recta inter agros utriuſque duci nequeant, tum particula ex unius agro decerpitur, alterique adjudicatur, pro qua tum hic in pecuniam alteri dandam condemnatur §. 6. *l. de off. jud.* cujuſmodi adjudicationes dominium transferunt §. *ult. eod. tit.*

10. Hoc eſt, quod diximus in definit. *Arbitrio judicis:* nam Arbitrariam hanc eſſe actionem magis videtur, per *l.* 4. §. 3. *b. t.* ut Pac. hic & Bacchov. *de actionib. diſp.* 7. *th.* 19. qui legem 7. quoque allegant, ſed hâc non utimur. Diſſ. D. Wiſſemb *ad tit. th.* 5.

11. De fructibus idem hic ſervatur, quod in Rei vindicatione *l.* 4. §. 1. & 2. *b.* at præſcribitur huic actioni 30. annis, *l. ult. C. b. t.*

TIT.

TIT. II.

Famil. Erciſcundæ.

FAmiliæ erciſcundæ judicium dari inter coheredes ad dividendas res hereditarias, notum eſt ex Inſt. nam definitiones earumque exegeſes, quæ ad hunc tit. pertinent, habuimus in *tit. Inſt. d. obligat. ex quaſ. contr. n.* 13. *& ſeqq.*

2. Actio familiæ erciſcundæ utiliter competit inter eos qui heredes non ſunt, jure civili aut Prætorio, ſicuti qui habent quartam D. Pii. *l.* 2. §. 1. & fideicommiſſariis *l.* 40. *h. t.*

3. Non datur hæc actio, niſi hereditate adita *l.* 49. *ſub fin.* & inter coheredes *l.* 1. *pr. l.* 24. §. 1. *h.* nemo tamen hac litis conteſtatione jus heredis nanciſcitur *l.* 37. *h. t.* quod vero falſus heres in erciſcundo accepit, ut indebitum condici nequit *l.* 36. *eod.* forte per hereditatis petitionem reſtituetur *l.* 1. *Si pars hered. pet. arg. l.* 17. *d. hered. pet.*

4. Nomina non venire in hanc actionem dictum eſt ex *l.* 4. *l.* 25. §. 1. *in fin. h. t.* quod ſi res debita ſit individua, res loquitur, ſingulos pro partibus agere aut convenire non poſſe, quo etiam pertinet *l.* 78. §. 2. *d. contrab. empt.* ubi unus heredum emptoris, qui pactus erat, ut ſoluta pecuniâ res ei traderetur, offerendo partem ſuam ex emto agere non poteſt, *quoniam ita contractum æs alienum dividi non poteſt.*

5. Fit tamen & nominum diviſio tam per mutuas heredum ſtipulationes, quam judicis officio, quo non jus mutatur, ſed incommodum per partes exigendi tollitur *l.* 3. *h. t.*

6. Efficacior tamen eſt diviſio in activis (ut ita loquar) quam paſſivis actionibus; nam in illis reliqui coheredes excluduntur, & ille ſolus, cui aſſignata eſt actio, cum ſuo, tum procuratorio nomine agit *d. l.* 3. *h.*

7. Sed

7. Sed in paſſivis creditores, non obſtante diviſione, cum ſingulis recte experiuntur, qui tamen ſubſtituere poſſunt, per modum defenſionis eum, cui nomen hoc injunctum eſt, quod intellige, ſin edamno creditoris *d. l.* 3. *in fin.*

8. Juxta res veniunt & præſtationes ex facto perſonali oriundæ *l.* 16. §. 4. *& ſeqq. & l.* 17. *h. t.* debent autem ex omnium perſonis præſtationes ſimul æſtimari; nam ſi una ſit omiſſa, ne quidem in cæteris valent adjudicationes aut condemnationes. *l.* 27. *h.*

9. Prælegata coheredi, ut præcipua adjudicanda *l.* 2. *l.* 42. *h. t.* nec non id quod defunctus ei debuit *l.* 20. §. 1. *l.* 51. *h.* ſed expenſæ ſtudiorum non computantur filiis ſtudioſis *l.* 50. *h.* At hoc ſimiliaque ad caput de collationibus reſervanda.

10. Officium judicis in hac actione expoſitum eſt ad *tit. inſt. de off. Jud. n.* 13. *& ſeqq.* quibus hoc addimus; ſi teſtator uni heredum onus æris alieni injunxit, id ei eſſe ferendum uſque ad dodrantem ſuæ portionis *l.* 20. §. 5. *h.* non ſecus ac inæqualem rerum diviſionem.

11. Quod ſi non omnia, ſed pars rerum inæqualiter à Teſtatore diviſa ſit, in cæteris æqualitas ſervanda. pro virilibus aut hereditariis partibus *l.* 32. *D. & l.* 21. *C. Famil. erciſc.* quos textus noli putare contrarios eſſe, ut aliqui volunt, etiam Wiſſemb. ad *h. tit. ff.*

12. Poſſet etiam res vendere judex & pecuniam partiri, vel coheredes ad licitationem admittere *arg. l.* 6. *h.* ubi diſplicet licitatio in communibus inſtrumentis: hæc enim manent penes eum, qui majorem habet conſortii partem, iſque reliquis exempla dabit; niſi ex causa placeat ſors aut depoſitio in æde ſacra *l.* 4. §. *f. cum ſeq. Famil. erc.*

13. Denique, jusjurandum exigere debet judex à partibus non ituros ad infitias nihilque ſuppreſſuros, maxime ab his, qui rebus præfuere, vel in cuſtodia illas habuere *l.* 44. §. 4. *eod. tit.* idque omnium primo faciendum.

14. Amplius quàm ſemel hoc judicium inter eoſdem heredes non exercetur regulariter *l.* 20. §. 4. *h. t.* quod ſecus eſt in hered. *petit. l.* 10. *d. hered. pet.* inter diverſos heredes de eadem hereditate quominus ſæpius agatur, nihil impedimento eſt *l.* 20. §. 4. *h. t.*

TIT. III.

Communi dividundo.

QUod ſuperius judicium eſt de hereditate, hoc præſens de rebus ſingulis, ut dictum ad *tit. I.* §. 3. *d. q. contract. n.* 5.

2. Differentia ejus ab actione pro ſocio regretur hic denuo collocari; Hæc actio datur ad dividendas res communes tam per ſocietatem quam ſine ſocietate & de præſtationibus perſonalibus, quæ tempore diviſionis intercedunt: ſed actio pro ſocio competit ob præſtationes ſolas ſine diviſione, & quidem ex ſocietate.

3. Nam alioqui hoc ipſum quoque judicium, de præſtationibus ſolis utiliter reddi poteſt, ubi res communis perempta fuerit *l.* 11. *h. t.*

4. Quod ſi & illa res perempta communis ex ſocietate fuerit, adhuc utilis communi dividundo actio datur, ſiquidem & ſocii memorantur in *d. l.* 11. *l.* 14. §. 1. in med. *h.*

5. Igitur actio pro ſocio de iis tantum præſtationibus datur, quæ ex culpa dolove ſocii, durante ſocietate commiſſis oriuntur §. *ult. Inſt. proſoc.* Valdè adeo in arctum pro ſocio actio ab hac communi dividundo, redigitur.

6. De qualitatibus hujus actionis, quod ſit civilis, mixta, duplex, bonæ fidei, ſpecialis, nihil hic; quatenus ex locis communibus ad *tit. de action. & judiciis*, ea poſſunt ac debent intelligi; quod ſemel monitum volumus, ſæpe uſus veniet.

7. Officium judicis in hac actione colligi poteſt ex eo, quod *tit. præced. n.* 10. *& ſeqq. dictum eſt.*

Ad

8. Addatur hæc species; Paries communis est in confinio utriusque soli, alter partem dimidiam quæ est in areâ sua, altius sustulit, quod alteri displicet; Judex arbitratus est id licere, quæritur, an rectè. Videtur ita, nam etsi lapides indistincte communes sint, paries tamen est singulorum pro parte, quà solum cujusque premit *arg.* §. 29. *I. d. A. R. D.* & sic memini judicatum esse, adde *l.* 40. *d. S. V. P.*

COMMUNIA UTRIUSQUE JUDICII.

9. Communia huic & præcedenti judicio sunt, quod tam inter quosdam quàm omnes socios competunt *l.* 8. *pr.* (sociorum enim appellatio generalis est, tam cùm, quàm sine conventione *d.* §. 3. *I. h. t. l.* 23. *h.*)

10. Secundum commune, quod divisio possit fieri, quamdiu communio rerum durat. *l.* 77. §. 20. *de leg.* 2. communio durat, quamdiu alter non provocat ad judicium, idque sine fine temporis; proinde & divisio semper ac sine fine temporis fieri potest. Unde clarum est, quo sensu dicatur, judiciis divisoriis non posse præscribi. *d. l.* 77. §. 20. *l.* 26. §. 4. *d. Condict. Indeb.* D. Wissemb. *ad h. tit. th.* 23.

11. Utrumque judicium ita semper fieri potest, ut nec conventio perpetua (secus si temporalis sit) in contrarium valeat, *l.* 14. §. 2. & 3. *h. l.* 70. *pro soc.*

12. Utraque actio, quod ad præstationes personales, hanc habet conditionem, si non aliter quàm in communi res geri potuerit, alioqui negotiorum gestorum agendum est *l.* 6. §. 2. *h. t. l.* 25. §. 15. & 16. *fam. ercisc.*

13 Utrobique ob enormem læsionem, licet infra duplum datur restitutio, si absque judice res gesta sit; secus si per judicem, idque sive sententia sit dicta, sive interventu judicis partes consenserint *l. ult. fam. erc. l.* 3. *C. Com. utr. jud.* Adde Cujac. *paratit. Cod. h. t.*

TIT. IV.

Ad Exhibendum.

ACtioni in rem & mixtæ omnibusque restitutoriis præparatoria esse solet ad exhibendum actio *l.* 1. *l.* 3. §. 3. *h. t. vid. tit. I. de off. jud. n.* 12.

2. Sed habet etiam hunc extra ordinem usum, ut id quod interest consequamur, licet certum sit, rem ipsam non extare *l.* 9. §. 1. *h. l.* 1. §. *ult. ff. d. tign. junct. l.* 37. *d. Donat. int. V. & U.*

3. Actio hæc in personam est, quia non habet pro causa jus aliquod rem ipsam afficiens *l.* 3. §. 3. *h.* sed æquitatem, quatenus æquum est, ei, cujus interest, rem exhiberi *l.* 3. §. 3. 9. & 11. *in fin.* 12. & 14. *h. t.* quo ultimo loco sola æquitas contra rationem ordinariam actionem hanc producit; quod fieri posse exemplo liquet actionis in *l.* 32. *d. Reb. Cred.*

4. Debet autem actoris utroque tempore interesse & litis cont. & rei judicandæ *l.* 7. §. *ult.* adeo autem propriè interesse oportet, ut ad testamentum exhibendum nemo præter heredem agere possit *l.* 3. §. 8. *h.*

5. Oportet etiam causa probabilis sit ejus quod interest *l.* 13. *h.* quâ de re textus elegans est *in l. pen. h.* Nec enim alius rem certo meam, in quam nihil ipsi juris est, hac actione persequi potest; nisi quandoque magnâ è causâ detur in factum actio *l.* 3. §. 14. *h.*

6. Possessor quilibet hac actione tenetur, adeoque est in rem scripta hæc actio, fere ut de rei vindicatione est dictum *l.* 3. §. *ult. l.* 7. §. 4. 5. 6. *h.* Etiam heres qui possidere cœpit, *l.* 8. *h.*

7. Rem debet exhibere in eadem causa *l.* 9. §. 5. & *seqq.* & cum eo quod interest ob culpam vel moram §. *ult. eod.* alioqui sine detrimento rei, sumptibus actoris *l.* 11. §. *pen. h. t.*

8. De rebus immobilibus non posse dari hoc judicium, cum ipsæ per se pateant, res ipsa abunde loquitur. *vid. l.* 3. §. *fin. l.* 5. §. 1. *l.* 6. *h.*

9. In

9. In foro hac actione plerumque per libellos defunguntur, ut tamen si res altioris sit indaginis, aliquando rescribatur, *partes remittantur adjudicium.*

LIB. XI.

TIT. I.

De Interrogationibus in jure faciendis.

ACtio ad exhibendum fuit accessio præcedentium judiciorum: sequuntur aliæ quædam appendices, aut medii generis actiones, inter judicia in rem atque contractus, de quibus incipit sequens liber.

2. Interrogatoriæ actiones, de quibus hoc tit. sunt cujusvis generis actiones, munitæ responsionibus adversariorum ante litem contest. factis: hoc enim sibi volunt verba rubricæ *in jure*, id est, *ἐν βήματι pro tribunali*, ut græci interpretantur & indicat *l.* 1. §. 1. quanquam & latius ad judicium extenditur *l.* 4. *pr.* & §. 1.

3. Igitur non fuerunt distinctæ actionum species, sed tantum adjectitiæ qualitates aliarum actionum. Sic Ulpianus *lib.* 18. *ad Edict.* scripserat, eum qui respondit, suam non esse quadrupedem, si tamen sit, in solidum teneri *l.* 1. §. 15. *si quadrup. pauper.* Idemque *repetitur* in *l.* 7. *h. t.*

4. Unde liquet; eandem esse actionem quadrupedariam & interrogatoriam, quod etiam diserte est in *l.* 11. §. 9. *h. t.* Qui *interrogatus responderit, sic tenetur quasi ex contractu obligatus*; Non ex peculiari specie quasi contractus; sed ex eodem *pro quo pulsabitur, dum ab adversario interrogatur.*

5. Erant autem necessariæ interrogationes, quoties

actor qualitates rei controversæ ignorabat, sine quibus scil. formulam agendi concipere non poterat *l.* 1. *pr. l.* 2. *h. t.* unde patet, quam bene subjungatur hæc rubrica titulo *ad Exhibend.*

6. Dicitur autem interrogatio tunc necessaria, cum in personam fit actio *l.* 1. *in pr. h. t.* quod ita credo accipiendum, ut maximè sit necessaria in personalibus.

7. Nam & in realibus fiunt aliquæ interrogationes, cum & hereditatis possessor respondere debeat, utrum pro herede, an pro possessore possideat *l.* 11. *C. d. hered. petit.* & possessor sine dubio respondere debet, utrum possideat rem singularem, nec ne, *l. ult. d. Rei vind. l.* 20. §. 1. *h.*

8. Sed abolitis postea formulis, *tit. C. de formul.* & *impetr. subl.* hæ quoque actiones interrogatoriæ neglectæ aut negatæ sunt, quia quod erratum erat, salvâ ejusdem judicii instantiâ corrigi poterat §. 34. & *seq. I. d. Act.* ideo legitur in *l.* 1. §. 1. *h.* sed ex interpolatione Triboniani.

9. Loco illarum surrogatæ sunt interrogationes post litem contest. plerumque ad judicis interlocutionem, quas tam reus, quam actor invicem sibi proponunt, ut vice probationum fungantur *l.* 1. §. 1. *h.*

10. De quibus intelligenda & illa, quæ de pristinis interrogationibus hic memorantur: nempe, ut vel confitendo quis vel negando sese oneret, ut is qui tacuit vel obscure respondit pro confesso habeatur *l.* 4. *in pr. h.*

11. Qui mentitus est ex mendacio tenetur, ita ut si heres ex quadrante dixerit, se heredem esse ex asse, prorsus ex asse teneatur, & qui ex semisse heres, dixit è quadrante, in solidum conveniatur *l.* 11. §. 2. 3. 4. & *seqq.* justo errore tamen excusatio §. 10. datoque ad pœnitendum regressu, sine captione adversarii §. *ult.*

12. Neque vero aliter confessioni creditur, quam si juri atque naturæ rei sit consentanea *l.* 14. *in fin. h.*

13. Aliis

13. Aliis quàm qui interrogaverunt actio ex hac causa non datur *l. ult. h.* nec alius respondendo præjudicat alii *l.* 9. §. 4. *l.* 19. *h.*

14. Denique nota: judicem quacunque parte judicii interrogationes facere posse, idque vel de plano, vel causa cognita, quæ vulgo *puncta officii* appellantur *l. pen. h. t.* Gail. 1. *observ.* 79. & 95. *D. Schotan. exam. h. t. in not.*

TIT. II.

Quibus ex causis ad eundem judicem eatur.

ETiam hæc rubrica observationem accessoriam ad judicia maximè duplicia continet: nempe ut plures litis consortes compendii causa communem litem, apud eundem judicem agant, eum scil. Quem Prætor dederit: aut, ubi non sunt judices dativi, apud eum qui omnium aut plurium ex illis est communis, aut ubi res sitæ sunt, vel ubi lis primum ex habili principio fuit inchoata *l.* 1. *h. t.*

2. Tres sunt causæ propter quas diversi litigantes ad eundem judicem mittuntur. Connexio rerum, Reconventio, & diversitas jurisdictionum. Prima causa proprie in *hoc tit.* tractatur.

3. Ejus ratio est, ne continentia causæ dividatur, hoc est, ne pluribus judiciis, quod uno fieri potest, partes distringantur, *l.* 10. *C. de Judic.*

4. Eaque ratio non tantum convenit judiciis duplicibus, de quibus est in *l.* 1. *h. t.* sed etiam simplicibus, quorum plures consortes sunt, ut exemplo tutelæ docetur in *l.* 2. *h. t.*

5. Hinc & de proprietate rei agendum est, ubi de possessione est actum *d. l.* 10. *C. d. Jud.* quamquam enim origine & fundamento diversa sunt *l.* 12. §. 1. *d. acq. poss.* tamen probatione & agendi modo, qui hic spectatur, conveniunt.

6. Imo favor hujus continentiæ reconventionem introduxit, per quam reus potest actorem compellere,

ut de alia causa apud suum judicem experiatur *l.* 11. §. 1. *d. Jurisd.* idque quavis parte judicii *l.* 14. *C. d. Sentent.* & imprimis *Nov.* 96. *c.* 2.

7. Est, inquam, Reconventio nihil aliud, quam Reciproca actio, per quam Reus actorem apud suum judicem de alia causa compellare potest *l.* 11. §. 1. *d. Jurisd. l.* 14. *C. de Sentent.*

8. *Reciproca actio*; sic malo, quàm ut alii, mutua petitio; quia hic terminus de compensatione usurpatur in *l.* 6. *C. de Compens.* à qua diligenter separanda reconventio.

9. *Reus actorem*; Reus actore favorabilior est *l.* 125. *d. R. I.* at compendium litis effecit, ut reus, ne quidem, si velit, durante conventione, actorem alibi convenire queat *d. Nov.* 96. *c.* 2. §. 1.

10. *Apud suum judicem*; & quavis judicii parte; nam ratio reconventionis est, quod actor recusare non debeat judicem, quem elegit & quo reum vocavit *d. l.* 14. & *d l.* 11. quæ res subjicit actorem jurisdictioni præsentis judicis, quamdiu lis ea durat, maxime tamen in principio *d. N.* 96. *c.* 2. §. 1.

11. *De alia causa.* Sine distinctione, qualis sit, modo ne criminalis *l.* 5. *d. Publ. jud.* nec confusionem judicio inferat: velut, si in possessorio aliove summario judicio reconventio petitoria, vel ordinaria instituatur, aut talis, quæ ab officio judicis aliena est.

12. *Compellare*, & judicium absolvere, an & pari passu? Ita expedit, nec regulariter valet sententia de una tantum re lata; quanquam & potest fieri, ut valeat, per *l.* 1. §. *ult. Quæ Sent. sin. appell. rescind.*

13. Quid enim si conventio sit juris, Reconventio facti quæstio; Illa statim finietur, hæc probationi delegatur, & sæpe vidi factum, executione tantisper suspensa *d. l.* 1. §. *f.*

14. Denique, si post interlocutionem de probando fiat reconventio, potest actor urgere suam causam, utera suo ordine peragendâ; Sunt enim revera diversæ

versæ actiones: forum mutatur quidem reconventione, sed judicia non fiunt eadem. Regulariter tamen id agendum est, ut paripassu utraque instantia procedat.

15. Tertia causa veniendi ad eundem judicem, est diversitas jurisdictionum.

16. Quando plures ejusdem causæ rei habitant in diversis jurisdictionibus, non cogitur actor scindere litem in tot judicia, quot sunt personæ, sed omnes ad eundem judicem vocare potest *l.* 1. *in fin. h.*

17. Quis est idem ille judex? ob diversitatem jurisdictionum vocandi sunt ad judicem omnibus communem, ut est Suprema Provinciæ Curia; sed ob connexionem causarum, judex idem erit, apud quem causa prius legitime est inchoata.

18. Nam & judices inferiores hoc jure gaudere, quod omnes causæ consortes ad unum judicium venire debeant, patet ex *l.* 1. & 2. *h.* ubi judicis simpliciter fit mentio, voce autem hæc absolutè posita, judicem pedaneum intelligi notum & dictum est alias.

TIT. III.

De Servo Corrupto.

SEquuntur alia quædam accessoria varii generis, quæ tamen ad præcedentia pertinere videbantur. Sic actio servi corrupti est ἀποστασιμάτιον Legis Aquiliæ, nec inepta conjectura est, Caput secundum Legis Aquiliæ de servo corrupto fuisse conceptum.

2. Qui servum alterius, corruptis moribus, dolo malo deteriorem fecit, in duplum tenetur *l.* 1. *l.* 3. *pr. l.* 5. §. 1. *h.* cui tamen inest simplum *l.* 14. §. 5. *h.* nec tantum æstimatur id, quanto vilior servus est factus, sed etiam rerum, quæ hâc causa perditæ sunt *l.* 9. §. *ult.* & *l.* 10. vide tamen temperamentum in *l.* 11. §. 1.

3. De liberis corruptis datur utilis actio *l.* 14. §. 1.

etiam credo de famulis. Nec non de servo hereditario *l.* 13. §. 1. *h.*

4. Quamvis autem prætoria & pœnalis hæc actio sit, tamen est perpetua, heredique datur, in heredem non datur *l.* 13. *pr. h.*

5. Atqui, *si mixta est hæc actio, ut est revera d. l.* 14. §. 5. *saltem quatenus est rei persecutoria in heredem danda erat.* Ego inquit noster D. Wissemb. ἐπέχω *mihi* τῦ ἐπέχειν *exigua* apparet ratio. dix. ad *tit. Inst. de perpet. & temp. action. n.* 15. & 16.

TIT. IV.
De Fugitivis.

POst generalem titulum notantur duæ species corrumpendorum servorum, si quis suaserit fugere & aleâ ludere. Ita Cujacius *parat. h.* Est a. fugitivus qui eâ mente fugit, ne ad dominum redeat *l.* 17. §. 1. & *seqq. d. Ædil. Ed.*

2. Qui servum alterius fugitivum celavit, furti tenetur *l.* 1. *pr. h. Ex l.* 4. *C. h. t.* ipsum fugitivum cum alio simili vel cum XX. solidis reddere debet; secundâ tertiaque vice pœna duplicatur & triplicatur. Qui servum fisci celat, præter ipsum in XII. Libras auri condemnatur *l. pen. C. h. t.*

3. Cæterum, modus inquirendi fugitivos est in *l.* 1. §. 2. & *l.* 3. *h. t.* nec sufficit non celâsse, sed & producere alienos servos oportet *l.* 1. §. 3. *h.* idque in aliis rebus furtivis & furibus usum habere potest.

TIT. V.
De Aleatoribus.

QUanquam occasio hic agendi de aleæ sit corruptio servorum filiorumque *l.* 26. *d. injur.* locus tamen de Alea generaliter hic tractatur, uti mos est juris Conditoribus.

2. Alea

2. Aléa est omnis ludus incerti eventus, sive ab sola pendeat fortunâ, seu mixtus sit industriâ *l. 1. h. & l. 1. C. h. t.*

3. Edictum de Aleatoribus est in *l. 1. pr.* ubi, cum primo negat prætor se judicium daturum, id non modo de pœna, sed & rei persecutione intelligit, *l. 1. §. 3.* quo tamen non excluditur officium Præfecti Urb. cui hoc proprium est, ut in quotidiana maleficia animadvertat *l. 1. pr. d. off. Pr. Urb.*

4. Pars altera edicti est, in *l. 1. §. ult.* adversus eos, qui per vim homines ad aleam compellunt, quos punit prætor pro jure suo modicæ coercitionis, ut aut pecuniâ mulctet, aut in latumias, vel in vincula publica duci jubeat *l. 1. §. ult. h. t.*

5. Cæterum, usus aleæ prohibitus est, adeo ut nec peti possit, quod hoc nomine debetur *l. 1. C. h.* imo repeti quod solutum est; *d. l. 1. l. ult. §. 1. ff. l. ult. C. h. t.* eoque non repetente, qui solvit, quivis alius ei condictione, maxime pater vel defensor civitatis, exigere potest *l. 1. & 2. C. h. t.*

6. De rebus tamen modicis ludere non est vetitum *d. l. ult. pr. h. l. 3. C. h. t.* quod argumento est, non prohiberi aleam ob religionem sortis, sed ob incommoda consequentiæ: nam de sorte videtur dicendum, eam per se non esse illicitam, si fiat animo indifferenti, nec cum intentione nimis acri ad casum determinandum.

7. Ludi virtutis causâ permissi quinque recensentur in *l. 2. §. 1. h.* si quis certet hasta vel pilo jaciendo, item currendo, saliendo; luctando, pugnando.

8. In *l. 1. C. h. t.* recensentur etiam quinque species sed ab istis diversæ, cursus vel saltus sine conto, μονόβολον; κοντομονόβολον, id est, saltus cum conto Libratio Quintiana à quodam Quintio sic dicta, absque aculeo & ferro. 4. Lucta. 5. Aurigatio sive equorum agitatio.

9. Haud tamen ultrà unum nummum singulis commissionibus interponere certandi causa licet *d. l. 1. C. h. t.* in græco est, νόμισμα, Interpres reddit, assem & rur-

rursus, solidum; atqui solidus est aureus, as facit quinque æreos minutissimos.

10. Igitur aureus intelligatur, quia Cæsar addit, ditioribus unum nummum interponere licere, quod de asse, nimis putidum fuerit, maximè cum sequatur; *cæteris autem longo minori pecuniâ.*

11. Cujacius scholium Βασιλικῶν *lib.* 60. *tit.* 8. ubi sic est; τὸ περὶ ἑνὸς νομίσματος ἃ κειται ἐν Βασιλικῷ, vertit etiam, per solidum. Ergo nihil dubii. Licet nummus, νόμισμα, de asse plerumque sumatur.

TIT. VI.

Si mensor falsum mod. dix.

HIc titulus cum Cujacio, pro appendice judicii finium regundorum habendus est; in quo plerumque agrimensores adhibebantur *l.* 8. *Fin. regund.* juncta *l.* 1. *pr. l.* 3. §. 4. *h. t.*

2. Mensores, qui in metiendis agris dolo malo falsum retulerunt, vel etiam lata culpa, tenentur actione prætoria in factum, in id quod interest *l.* 1. *pr.* & §. 1. extenditur ad omnes aliarum rerum mensores *l.* 5. §. *ult. l.* 6. 7. *pr.* atque utiliter adeos, qui non quidem mensi sunt, verum aliter in modo aut in computatione fefellerunt *l. ult.* §. 2. & *fin. h.*

3. De culpa levi non tenentur, quia solius actoris utilitas vertitur, quod enim accipit mensor, non est merces, sed honorarium. *d. l.* 1. *pr.*

4. Plures in solidum tenentur, sed unus tantum solvit *l.* 3. *pr.*

5. Datur actio non domino qua tali, sed ei cujus interest *l.* 3. §. 1. ejusque heredi *d. l.* 3. §. 5. *h.* contra eum qui renunciavit, non qui mensus est tantum *l.* 1. §. *ult.*

6. Contra heredes non datur *l.* 3. §. *pen.* sed tamen est perpetua *l.* 4. quia pœnalis non est *d. l.* 1. *pr. h.*

TIT.

TIT. VII.

De Religiosis & sumptibus funerum & ut funus ducere liceat.

Titulus de Religiosis vel est appendix Rei vindicationis, ut vult Cujacius, de quâ proditum est antea, non dari illam de locis religiosis *l.* 43. *de R. V.* vel quod propius est, Judicii familiæ erciscundæ, inquam non veniunt sepulchra, prout apparet ex *l.* 6. *b. t.* quam vide omnino.

2. Rubrica indica tres hujus tituli partes. I. de religiosis; quid ea sint, notum est ex Institut.

3. Sepulcra dividuntur in familiaria & hereditaria. *l.* 5. *b.* cum *l.* 6. Nempe in dominio non sunt, aliquo modo tamen in bonis, quod ad usum: quia jus de illis & actio competit. vid. *l.* 3. §. 2. *d. Interdict.*

4. Primum de his edictum est in *l.* 2. §. 2. adversus eum, qui mortuum intulit in locum alieni juris. Ille tenetur actione in factum, ut vel tollat cadaver, vel loci pretium solvat. *d. l.* 2. §. 2. *in f.* ac insuper multari potest *d.* §. 2. *l.* 2. *b. add. l.* 8. *in pr.*

5. Alterum edictum est in *l.* 12. §. 2. de actione funeraria, quæ datur ei, qui in funus alienum sumptus fecit, adversus eos, ad quos funus pertinet, ut sunt heredes *l.* 14. §. *ult.*

6. Restitui debet quicquid necessario impensum fuit, habita ratione temporis, dignitatis atque facultatum *d. l.* 14. §. 3. & 6.

7. Non aliter tamen datur hæc actio, quàm si alia deficiat *d. l.* 14. §. 12. quia extraordinaria est, bono & æquo accommodata.

8. Igitur, si heres mandaverit, actio mandati datur; qui tamen heredis quasi negotium gessit, is adhuc Funerariam habet *d. l.* 14. §. 16. licet Cujacius, tum negotiorum gestorum det, sed imitatur illam Funerariam.

9. Cessat

3. Contrahere id possunt, qui & Domini sunt eorum suarum habent administrationem, tam Respub. quàm privati. At illæ non aliter obligantur, quàm si pecuniæ in utilitatem publicam versæ sint: alioqui soli administratores, qui contraxerunt, tenebuntur *l. 27. h.* Si universitas speciale mandatum dederit, tum indistincte tenetur. Sand. 3. 2. 3.

4. Si etiam hi, quibus regimen civitatis liberum permittitur, mutuum nomine publico acceperint, actio simpliciter in civitatem dari videtur. Ratio est, quoniam hi civitatem repræsentant, & quod fit per illos, civitas ipsa facere videtur.

5. Sed hoc de civitatibus municipalibus adfirmare non licet, verum de iis duntaxat, quæ Regalia habent, quæque tributa & præstationes pecuniarias civibus jure suo imponere possunt.

6. Denique; privati per eos, quibus specialiter hoc mandarunt, vel quos generaliter rebus suis præposuerunt, obligantur, etsi pecuniæ in rem eorum non sint versæ *l. ult. d. exerc. act. l. 13. d. Inst. act.*

7. Præsides provinciæ, pecuniam mutuo dare vetantur *l.* 33. *h. t.* mutuam vero pecuniam accipere non vetantur *l.* 34. §. 1. *h.* sed qua judices, id est, à litigantibus prohibentur, imo qui mutuaverit, is exilio punitur; ut & ille qui honorem ambienti mutuam dederit pecuniam *l.* 16. *C. Si cert. pet.* quod hodie facto magis quàm jure non servatur.

8. Mutuum à non Domino datum consumptione b. f. facta convaleſcit, aut prius, si pecuniam sibi reddi stipulatus sit *l.* 11. §. *ult. h.* 13. *h. t. l.* 56. §. 2. *de furtis.* interim ille, cujus nummi sunt proprii nullam habet actionem, nisi dum extant, vindicationem, postea vicessionis conditionem *l.* 2. *C. h.* nisi alter nomine Domini pecuniam numeraverit; quo casu sine cessione tam personalis actio quàm jus pignoris acquiritur *l.* 2. *C. per quas person. cuique acquir.*

9. Cæterum, non Dominus, qui absque stipulatione pro

ne proprio nomine nummos alienos mutuo dedit, is neque contra debitorem, neque adversus fidejussorem, nisi post consumptionem agere potest *d. l. 2. C. h. d. l. 56. §. 2. a. Fidej.*

10. Denique, si is, qui dat mutuum non habeat administrationem, ex post facto demum convalescere potest, sive per consumptionem §. *ult. I. quib. alien. lic.* quemadmodum, si à furioso, quem mentis compotem putabas, acceperis *l. 12. h.* vel superveniente dominio, velut si heres pecuniam legatam mutuo dederit, quam Legatarius dein repudiaverit *l. 8. vers. item fin. h. t.*

11. Possunt quoque nummi mutuo dari, sub conditione ut accipientis fiant; isque sit obligatus, si hoc aut illud factum sit *d. l. 8. h.*

12. Denique Condictio certi, quæ est Actio mutui, *fin. pr. I. de Oblig. quæ Re contr.* nascitur & datur triplici respectu. I. quatenus re contractum & numeratio facta est §. 1. *in pr.* quo sensu bene convenit hæc ipsa actio condictioni indebiti §. 1. *d. tit.*

13. II. Quatenus stipulatio ad reddendum, numerationi adjecta est, quod plerumque fiebat & fit hodie salvâ tamen unitate contractus; tum condictio certi nascitur è stipulatione *l. 6. §. 1. & l. sequ. d. novat.*

14. Ac inde quandoque solum nascitur, si mutuum dans non fuerit dominus & pecuniam sibi tamen reddi stipulatus sit *l. 2. C. Si cert. pet.*

15. III. Datur condictio certi, ubi nec stipulatio nec mutuum est, eo quod vel dominus non fuit is qui dedit, vel alienandi jus non habuit, tum ex consumptione bona fide factâ nascitur condictio §. *ult. in pr. Quib. alien. lic. l. 11. §. ult. l. 13. d. reb. cred.*

16. Solet ad hunc quoque titulum de obligatione Literarum agi, quâ de re diximus *ad tit. Inst. de Liter. obl.*

TIT. II.

De Jurejurando, &c.

JUsjurandum à Laberio dictum refert Cujacius emplaſtrum æris alieni; hinc, quia frequentiſſimè de & circa mutuum præſtabatur, ei titulo ſubjungitur, & quidem in Codice ſub unâ Rubricâ conjunguntur.

2. Eſt autem jusjurandum nihil aliud, quam divini nominis invocatio cum imprecatione noſtri, ad id quod agitur confirmandum. Ideoque plenum Jusjurandum duas habet partes, *παράληψιν θείαν*, invocationem numinis, & imprecationem noſtri.

3. Primæ tamen parti altera videtur implicita; Nam qui Deum invocat teſtem, ſatis intelligit, ſe invocare eum, qui non ſit otioſus ſpectator, ſed habeat vindicem oculum, *ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα*.

4. Solus autem invocandus, qui *καθ' ὁτιοῦν γνώσης*, Deus ipſe, non ſancti aut mater *θεοτόκος*, ſed nec adſeveratio Mennonitica apud nos, neque Principum per fidem ſuam pro juramento ſufficit, quia terror numinis obſtringens animos deficit.

5. De quæſtione, an jurare liceat, vid. Grot. *lib. 2. de jur. bell. & pac. tit. 19. n. 21.* Wiſſemb. *ad hunc tit. in pr.* Non minorem hac parte metum religionis fuiſſe paganis quam hodie Chriſtianis, videre licet in *l. 8. d. condit. inſtit.* Adde Iſocrat. *ad Demon.* Ἕνεκα δὲ χρημάτων, μηδένα θεῶν ὀμόσῃς, μηδ' ἀνύορκεῖν μέλλῃς. *Rei pecuniariæ causâ per nullum Deum jurato, ne quidem ſi recte vereque juraturus ſis.* Diviſiones ſequuntur.

6. In univerſum, Juramenta vel litis cauſa vel extra litem præſtantur. Quæ abſque causâ litis, nuſquam leguntur habere vim ullam, niſi parem pacto *l. 7. §. 16. d. Pact.* exceptâ ſpecie *l. 7. d. oper. libert. aut Jacramenta puberum C. Si adv. vend. l. 41. C. d. Tranſact.* de ratione hujus rei diſſeruimus *in Prælect. ad tit. Inſt. de Act. n. 11.*

7. Nihil alioqui intereſt, promiſſoria an confirmatoria

toria sint; neque enim contractus invalidi juramento confirmantur, sive jure gentium; sive civiliter tantum prohibeantur *d. l.* 7. §. 16. *d. Pact. l.* 112. §. *ult. d. leg.* 1. *l.* 5. *C. d. Leg.*

8. Sed jure Canonico omne Juramentum de re, quæ salvâ conscientia fieri potest, servari debet. *cap. si vero* 8. *c. cum contingat.* 28. *x. de jurejur.* qui non servat, perjurus habetur. *c. brevi* 16. *eod.*

9. Ejus quod litis causa interponitur hæ sunt species. 1. Judicio sistendi, de quo ad *tit. l. de Satisd.* 2. calumniæ *ad tit. d. pœn. tem. litig.* 3. testimonii dicendi, de quo infrà *de Testib.* 4. æstimationis causa, de quo *tit. seq.* Denique litis decidendæ gratia.

10. Litis decisorium in duas species dividitur *l.* 1. *h. t.* aut enim ex pactione litigatorum, vel ex autoritate Judicis venit. Prius est duplex, delatum & relatum. Defertur juramentum tam extra quàm in judicio. Sed quod extra judicium defertur, id referri nequit. *l.* 17. *h.* ideoque id sine dubio est voluntarium, quia & libere defertur & libere præstatur.

11. Sed quod in judicio defertur, id vel præstandum est, vel referendum *l.* 38. *h. t.* tamen & hoc voluntarium dici potest, quia & libere refertur & ab altero præstari & non præstari potest, sine dispendio causæ.

12. Sed quod relatum est, id vel præstandum, vel causa perdenda est, neque enim iterum referri potest *l.* 34. §. 7. *& seqq. h.* ideoque hæc species necessaria esse potest, ut tum judiciale sit, non quod in judicio, sed quod à judice defertur. Aliter Latini Interpp. quos sequitur D. Schotan. *h.*

13. Deferre possunt, qui res suas libere administrant: *l.* 17. §. 1. & 2. *l.* 20. *in fin. & ll. seqq. l.* 35. *pr. &* §. 1. *h.* non prodigi, furiosi, mente capti, nec pupilli sine autoritate tutorum; nec proinde minor annis 25. habens curatorem, utique cum effectu, per *l.* 3. *C. de restit. min. dd. ll.* sed qui curatore caret, is potest sub beneficio restitutionis in integrum *l.* 9. §. 4. *h. t.*

14. Tutores quoque & curatores deferre ita, quemadmodum alienare; possunt *d. l.* 17. §. 2. *d. l.* 35. *pr. h.* idem de procuratoribus *l.* 17. §. *ult. l.* 18. & 19. *h.* servus, filiusfam. possunt, si libere administrent peculium *l.* 20. & 22. *h.*

15. Deferri potest omnibus nec ætate nec sexu distincto, etiam, quod mirere, pupillis, licet illi non pejerent *l.* 26. *pr. h. t.* quippe sibi imputare debet, qui ab religione puerili jus suum suspendit; utique recusari à pupillis potest, & hoc est quod dicitur in *l.* 34. §. 2. *Pupillo jusjurandum non defertur.* Clerici jurare prohibentur *l.* 25. §. 1. *in fin. C. de Epis. & cler.*

16. Locum habet in omnibus causis, quæ ad patrimonium spectant quæque pendent à cujusque arbitrio, nam jurijurando vis inest transigendi *l.* 2. *h. l.* 21. *d. dol. mal.* cessat igitur in iis rebus, de quibus pacisci non licet; ideoque etiam in causa matrimoniali, saltem quatenus contra matrimonium tenditur, quia certum est, matrimonio Pactis non posse renuntiari. Enimvero judices rectè etiam contra matrimonium deferunt juramentum, idque fit omni diè.

17. In delictis quoque privatis juratur à patribus, quatenus de pecuniâ quæstio est *l.* 13. §. 2. *l.* 28. §. 5. 6. 7. & *pen. h.* non si criminaliter agatur; quia Prætor de agentibus, non de accusantibus loquitur, & quia res ipsa abhorret, ob periculum perjurii.

18. Deferens primo omnium jurat de calumnia, alioqui frustra petit, ut jurat alter vel referat jusjurandum *l.* 34. §. 4. *h.* quo præstito, etsi nihil probato, alter jurare aut referre debet, aut solvere *d. l.* 34. §. 7. *l.* 25. *pr. l.* 38. *h. t.* Est tamen, ut is cui refertur habeat causam recusandi *l.* 11. §. *ult. d. act. rer. amot.* adde *l.* 34. §. *pen. h. t. l.* 25. §. 1. *d. Const. pec.*

19. Etiam quod defertur æque potest recusari 1. si justa sit ignorantiæ causa *l.* 34. *f. pr. h.* quod valet maxime in causa aliena *d. l.* 34. §. 3. *l.* 4. *d. in lit. jur.* ex quibus dicendum, juramenta in animam alterius plane esse

esse improbanda, licet in foro recepta. *vid. d. l.* 11. §. *pen. d. Act. rer. amot.* nec obstat *l.* 9. §. *pen. h.*

20. 2. Propter conceptionem juramenti improbatæ religionis *l.* 5. §. *pen.* 3. quia deferens non habet jus deferendi *l.* 35. §. 1. 4. quod is, cui defertur in eo loco forum non habeat *d. l.* §. *ult.* 5. quod jam semel juratum sit *l.* 18. *b.* item quod pupillus sit *d. l* 34 §. 2.

21. Adde, quod jam probatum sit, quia Jusjurandum ob defectum probationum adhibetur, & supervacuum improbatur. *l.* 8. *in pr. d. condit. inst.*

22. Judiciale juramentum est, quod in dubiis causis alterutri litigantium à judice defertur *l.* 31. *b. l.* 3. *C. de reb. cred.* causa dubia est, ubi judex nescit, absolvere an condemnare debeat. Actori quidem aut probandum & tunc cessat juramentum, aut reus absolvendus *l.* 4. *C. d. Edendo.* Reo quidem præsumptionibus gravato juramentum omni die defertur, sed hoc est purgationis, quod, ut & suppletorium, à judiciali juxta alios distinguunt Donell. 29. comment. c. 10. Ant. Matth. *de judic. disp. de Jurejur. th.* 21. *junctâ th.* 58. vide *l. ult. C. de fid. instrum. vers. duntaxat.*

23. Mihi nondum potuit liquere usus juramenti judicialis, si à purgatorio & suppletorio differant. Velim igitur liceat dividere judiciale istud in duas species, suppletorium, inquam; & purgatorium. Illud, quod actori deferatur, qui sic probavit, ut judex non dubitet, quin res ita se habeat, nec sit tamen omnibus numeris plena probatio. Purgatorium, quod judex reo defert non convicto, sed præsumptionibus gravato. Hoc in foro usitatissimum, alterum rarius, ut dixi. *Auth. novo jure. C. de pœn. jud. qui male judic.*

24. Effectus Jurisjurandi est, 1. recusati condemnatio *l.* 34. §. 6. *h.* & *l.* 31. *b.* Præstiti aut ab adversario remissi effectus est victoria. Sic ut nihil probandum sit, quàm juratum esse *l.* 5 §. 2. *b. l.* 1. §. 1. *l.* 28. §. *ult. h.*

25. Hoc sensu juramentum dicitur species quasi no-

vationis *l.* 26. §. *ult. h.* nam quod vere novatio non sit, patet ex *l.* 13. §. 3. 5. *h. l.* 7. §. 7. *d. Public. act.*

26. Proinde actio ex Jurejurando non tam est species actionis nova, quam adventitia qualitas aliarum *dd. ll. Dix. in Prælect. ad tit. Inst. de Action. ad* §. 11. & *de Except. ad* §. 5.

27. Validius tamen est conventionale Juramentum, quàm judiciale, cujus ratio & usus est in *l.* 31. *in f. h. l. ult.* §. 1. *d. Appell.* ubi sententia lata ex conventionali propter instrumenta noviter reperta non potest retractari, secus ac in Judiciali.

28. Item à sententia lata ex Jurejurando conventionali non potest appellari, quod de Judiciali contrà sese habet *d. l.* 31. & *l. ult.* §. 1. Ratio utriusque, ex eo quod, delato jurejurando, transactum videtur *l.* 2. *l.* 40. *h.*

29. Conventionale, ne quidem probato perjurio, retractatur *l.* 21. & *seq. d. dol. mal.* excepta specie *l. ult. C. d. Reb. Cred. l.* 9. §. 5. *h.* neque adversus exceptionem jurisjurandi replicatio doli datur, *l.* 15. *d. Except.* & hoc est quod dicitur in §. 4. *Inst. de Except. Iniquum est de perjurio queri.* Etsi perjurium plane impunitum non sit. *arg. l.* 23. *d. dol. l. ult. d. Stellion. l.* 41. *C. d. Transact. l.* 13. *C. d. Testib.*

TIT. III.

De Jurejurando in litem.

JUramentum in litem præstatur ab actore ad æstimandam rem, quæ per dolum aut contumaciam rei non restituitur. *pass. h. t.*

2. Dividitur vulgo, quod sit aut veritatis, aut affectionis. Sed male, ut docet textus, unde probant divisionem *l.* 2. §. 1. *h.* semper enim jurat actor in infinitum, non exclusâ tamen Judicis moderatione *l.* 4. §. 2. *h. t.*

3. Defertur à Judice, non ab alio *d. l.* 4. §. 1. Præstatur

ſtatur ab eo, qui litem ſuo nomine conteſtatus eſt *l.* 7. Tutores & curatores inviti non juſant *l.* 4. *pr.*

4. Cauſa eſt dolus vel contumacia *l.* 2. §. 1. culpa excluditur *l.* 5. §. 3. ut tamen lata culpa pro dolo habeatur, *l.* 2. *C. h. t.* De dolo defuncti adverſus heredes non obtinet, niſi lite cum defuncto conteſtata *l.* 4. & 5. *C. h. t.*

5. Locum habet in actionibus in rem, ad exhibendum, & in b. f. judiciis, quibus de reſtituendo agitur *l.* 5. *pr. h. l.* 3. §. 2. *Commod. l.* 1. §. 26. *depoſ. l.* 48. §. 1. *Locat.*

6. Etiam in judiciis ſtrictis poſſunt eſſe termini habiles, ut in *l.* 5. §. *ult.* non tamen regulariter *l.* 6. Termini autem habiles ſunt, cum ſpecies debetur, eaque periit & mora facta eſt *d. l.* 5. §. *ult.*

7. Denique, in inſtrumentis, quæ quis non exhibet, actori permittitur in litem jurare, quanti ſua intereſt, ea proferri *l. pen. h.*

TIT. IV.

De condict. cauſa dat. cauſa non ſec.

COndictionis vocabulum late, quamlibet actionem in perſonam ſignificat §. 15. *I. d. Act.* ſtricte ejusmodi perſonales, quæ non habent nomen ſpeciale. Quales tit. ſeqq. tractantur.

2. Prima datur iis, qui ob cauſam licitam aliquid dederunt eorumque heredibus, *l.* 2. *l.* 3. *l.* 6. *C. h.* ad repetendum quod datum eſt, quamdiu cauſa impleta non fuerit *h. t. paſſ.*

3. Locum igitur præcipue habet in contractibus innominatis, qui à datione inchoantur; non qui à facto, cum factum infectum fieri nequeat; ſed quæ data ſunt, ob ſolam pœnitentiam revocari poſſunt *l.* 3. §. 2. & 3. *h.* ſecus tamen in his quæ data ſunt ob factum negativum eſſe videtur, veluti, ne ad judicem eatur, ne ſervus manumittatur *d. l.* 3. *pr.* & §. 1.

4. Frustra quæritur alia causa hujus actionis; quàm ex ipso contractu innominato, cujus hæc præcipuè à nominato differentia est, quod non habeat terminos stabiles & quod ideo retractari possit, quamdiu res ab utraque parte non desiit esse integra. Bachovius *not. paratit. h. t.* causam hujus condictionis vult esse quasi contractum; sed ut videtur, absque ratione.

5. Igitur, si dolus, culpa, mora, vel factum ejus qui accepit arguatur, non est dubium, quin repetitio competat. Si casus fortuitus obstiterit, multis modis distinguitur. vid. D. Wissembach. *disp. 25. part. 1. Pandect. th.* 3. consule *l. ult. vers. & ideo h. l. 15. §. 6. Locat.* confer *l.* 38. §. 1. *eod.*

6. Dicendum videtur: in permutatione si res pro re vicissim non detur, licet ob casum fortuitum, esse repetitionem, secundum *l. ult. h.* non obstante *l. 5. §. 1. d. præscr. verb.* ut *infra.* in cæteris regulam esse, condictionem ejus quod superest cessare, nisi impedimentum fortuitum à parte ejus qui accepit profectum sit, aut inde sit locupletior *l.* 3. *l. 5. pr. h. l. pen. C. h. t.*

7. In foro cessare hanc condictionem ob pœnitentiam dantis, monet D. Schotanus *exam. ad h. t.*

TIT. V.

De Condict. ob turpem vel injustam causam.

Qui ob turpem vel injustam causam aliquid accepit, tenetur ad restituendum, modo non actoris vel solius, vel pro parte turpitudo probetur *l.* 1. §. *ult. l.* 3. *l.* 4. §. 2. *h.*

2. Ad turpitudinem utriusque tu refer speciem *l.* 4. §. 3. *h.* missa subtilitate Ulpiani *in. d. l.* 4. §. 3.

3. *In l.* 2. §. *ult.* exemplum est, quo diverso respectu factum aliquod jus actionis habet, & alibi punitur. Nam condictio datur ei qui dedit argentum, ut secundum se in bonâ causâ judicetur, idemque nihilominus plectitur.

4. Pro-

4. Promiſſio turpis ipſo jure nulla eſt *l.* 26. *l.* 123. *d. V. O. l.* 5. *C. h.* Imo non eſt, quia per exceptionem petitio repellitur *l.* 8. *h. t.* Dic, ſi res dubia ſit *arg. l.* 9. *pr. d. jurej.* aliter Wiſſenb. *hic.*

TIT. VI.

De condict. indeb.

DE Condictione indebiti diximus exacte ad tit. *Inſt. de Quaſi contract. n.* 21. *& ſeqq.* Eſt è quaſi contractu, tacitoque vel præſumpto conſenſu *l.* 66. *h.* nam ſi quis ſciens ſolvit, nihil repetit, etſi hac mente det, ut poſtea repetat, *l.* 1. §. 1. *l.* 50. *h. t.*

2. Eſt igitur in perſonam actio §. 15. *Inſt. de Action. Unde* ſequitur, eam non dari cóntra tertium, cui ſolutio profuit *l.* 49. *d. Condict. indeb.* ſequitur etiam inde, re ſoluta, dominium in accipientem eſſe tranſlatum *l.* 53. *h. arg. l.* 36. *d. A. R. D.*

3. Eſt etiam certi vel incerti. Hæc, quando condicitur poſſeſſio, quam quis falsa alii ſe debere putabat; eaque datur etiam poſt tempus uſucapioni præſcriptum *l.* 15. §. 1. *h.* ubi & eadem condictio competit ei, qui nummos alteri non ſuos dedit.

4. Diſtingui ſolet indebitum, quod ſit ex re, vel ex perſona. Ex re, quando id quod ſolutum eſt plane non debetur. Ex perſona, quando ſolutum debetur quidem, at non ab eo, qui ſolvit, vel non ei, cui ſolutum eſt. *vid. d. tit. Inſt. n.* 26. & confer *l.* 55. *h.*

5. Naturale debitum condici nequit, *dix. d. tit. Inſt. n.* 25. niſi tale ſit, quod lex omni effectu priver, ut debitum è teſtamento imperfecto *l.* 2. §. 1. *h.* niſi tantum juris error fuerit *l.* 2. *C. de fideicomm.* debitum quoque pupilli *l.* 41. & mulieris intercedentis *l.* 40. *h. t.* aliter in filiofam. reſpectu mutui *d. l.* 40. ubi & ratio differentiæ *l.* 9. §. *pen. ad Sc. Macedon. l.* 14. *d. Reb. Cred.*

6. Ad hoc pertinet etiam, ſi quis ſortis vere debitæ

uſuras ſolverit indebitas; nequidem licet ultra modum legis ſolutæ, condici queunt; at hæ tamen ſorti imputantur *l.* 26. *in pr. d. cond. indeb.*

7. Perinde quod ex obligatione, de cujus causâ non conſtat, ſolutum eſt, repeti nequit, quia ſaltem natura debet, qui ſe volens obligavit, etſi lex id infirmet, *ſupr. de inutil. ſtipul. n.* 28. ſi vero conſtet, nullam eſſe cauſam, ne quidem naturaliter tenetur & dabitur condictio; per *l.* 66. *d. cond. indeb.*

8. In diem debitum non condicitur *l.* 10. *h.* Excipe, ſi dies ſit incertus, *l.* 56. *h.* quod rurſus limita ex *l.* 17. *h.* De conditionali debito vide *l.* 16. & 18. *h.*

9. Cum autem naturalis ſit hæc condictio, fructus aliæque acceſſiones ſunt etiam præſtandæ *d. l.* 15. *in pr.* ita videlicet, ut natura ſtricti juris actionis fert, quâ de re dix. ad §. 28. I. *de Action.*

10. Caſus ceſſantis hujus condictionis *vid. in d. tit. Inſt. n. ult.*

11. Adduntur adhuc duæ exceptiones I. In dote data à propinquis *l.* 32. §. 2. *d. t.* II. In transactione *l.* 65. §. 1. *eod.* Vinn. *ad. d.* §. *ult.* Male, nam in *l.* 32. dos ſupponitur ex cauſa pietatis data, quæ impedit repetitionem jure communi, ut aliàs dictum. In transactione datur æque condictio ac in aliis cauſis *l.* 23. *in pr. eod.* ſed in *l.* 65. §. 1. fuit debitum è transactione, licet transactum fuerit de non debito; quæ multum differunt.

TIT. VII.

De Condictione ſine cauſa.

COndictio ſine cauſa eſt complementum reliquarum, idque duplici ſenſu; Nam primo, uſurpari poteſt omnibus illis caſibus, queis reliquæ condictiones dantur, veluti cauſa non ſecuta, & ex cauſa turpi *l.* 1. §. 1. *& ſeqq. h.*

2. Dein, competit etiam, quando reliquæ ceſſant, veluti in dubiis cauſis, ut *l.* 5. *h. t.* ubi nulla potius quàm

quàm turpis causa intelligitur, ob probabilem mulierum ignorantiam. Species aliæ sunt in *l.* 2. *l.* 3. *b. l.* 3. *l. ult. C. b. t.*

LIB. XIII.

TIT. I.

De Condict. Furtiva.

FUres multis actionibus tenentur, accusatione criminali *l. ult. d. Furt.* actione furti, Rei vindicatione, actione ad exhibendum, condictione furtivâ *l.* 7. §. 1. *b. t.* de qua hoc titulo agetur.

2. Est autem condictio furtiva, in personam actio, qua Dominus rei furto sibi ablatæ agit contra furem vel ejus heredem, ut aut rem aut ejus æstimationem sibi restituat.

3. Estque vel certi vel incerti. Illa plerumque; Hæc datur non domino condicenti possessionem, velut creditori, cui pignus est surreptum *l.* 12. §. *ult. h.*

4. Non esse ex furto hanc actionem patet primo, quia datur in heredem *l.* 9. *h.* furti autem, utpote delicti, ratio mere personalis est. Secundo, quia non est famosa *l.* 36. *d. O. & A.* quod autem ex furto est, famosum esse oportet, per *l.* 1. *d. his qui inf. not. adde l.* 10. §. 2. *d. Compensat.* Conf. *tb.* 15. *tit.* 1. *de perpet. & temp. act.*

5. Causa igitur hujus actionis est lex; & ratio, odium furum; quo plures in eos actiones darentur §. 14. *I. d. Act.*

6. Termini quoque diversi hic sunt atque in furti actione; datur enim solis Dominis adhuc tempore litis contestatæ existentibus *l.* 10. §. 2. & 3. *h.* contra solos, qui furtum corporaliter commiserunt *l.* 6. *h.*

7. Res

7. Res ipsa existens præstari debet, uti nunc est, fine deductione impensarum, imo si perierit, æstimatio facienda est; non quatenus in re fuit tempore furti, sed prout postea sumptu quoque furis, aucta & ornata fuit *l.* 13. *h.* id est, quanti res unquam plurimi fuit *l.* 8. §. 1. Non obstat *l.* 2. §. 3. *d. priv. del.* Tempus enim judicii accipiendi illic est, quo judicium debuit accipi.

8. Adde quæ dix. *in Prælect. ad §. ult. Inst. de oblig. ex del.* ubi responsio ad *l.* 6. §. 4. *d. Act. rer. amot. junct. l. ult. C. eod. & ad l.* 9. §. *ult. cum l.* 10. *d. Tut. & rat. distr.* quæ opponuntur *l.* 9. *h.*

TIT. II.

De condict. ex Lege.

QUoties lex obligationem producit, neque actionem dictat, *ut in l.* 6. *d. Pact.* toties condictio ex lege oritur, quemadmodum ex Edicto Prætoris actio in factum descendit *l.* 11. *d. præscr. verb.*

2. Exempla habemus in omnibus pactis legitimis *d. l.* 6. in donatione nudo pacto facta *l.* 35. §. *ult. C. d. Don.* actione ad supplementum legitimæ *l.* 30. *C. d. inoff. test.* actione condictitia contra executores litium §. 25. I. *d. Act.* item contra plus petentes §. 24. *eod.*

3. In casu inventarii facti duæ dantur hujusmodi condictiones in *l. ult.* §. 5. & 6. *C. de jur. delib.* Aliud in *l.* 1. *C. h.* ubi fiscus agit ante tempus ex causa primipilari; quin infinita earum exempla esse possunt, quoties novæ leges à Principibus conduntur.

TIT. III.

De Condict. Tritic.

HÆc condictio æque generalis est, & proinde ultimo loco proponitur, qua petuntur omnes tam certæ quam incertæ, sola excepta pecunia *l.* 1. *h.*

2. Exceptionis ratio est, quia præcipue hæc condictio

ctio ad æstimationem pertinet, quæ non cadit in pecuniam. Πάντα νομίσματι μετρεῖται, pecunia res cunctas æstimat, ipsa non æstimatur *d. l.* 1. vid. *l.* 3. & 4. *b.*

3. Æstimatio fit hic, quanti res plurimi fuerit à tempore moræ usque ad sententiam vel interitum rei, pro judicis arbitrio *l.* 3. *b.*

4. Articulus hic de æstimatione rerum deperditarum difficilis est; Summam regulam habemus in *l.* 3. §. 2. *Commod.* In b. f. judiciis rei judicatæ, in strictis litis contest: tempus spectatur.

5. Sed ad conciliandos textus varie loquentes, dicendum, illa tempora non in puncto spectari, verum ἐν πλάτει, *l.* 3. *b.* sicut terminos, quousque æstimatio extendatur, ut is qui in mora est, in strictis præstare debeat, quanti res plurimi fuerit ad usque litem contestatam, in b. f. judiciis usque ad sententiam.

6. Ratio est, quia alioqui posset fieri, ut per moram longiorem conditio debitoris fieret melior, contra *l.* 173. §. 2. *d. Reg. jur.* nec modo non arctior, sed & sæpe lenior esset præstatio in strictis quam in b. f. judiciis. Ita non obstant rationes D. Wissemb. *part.* 1. *ff. disp.* 25. *th.* 12.

7. Huic explicationi bene conveniunt *l.* 3. *d. condict. tritic. l.* 3. §. 3. *d. act. empt. l.* 8. §. 1. *d. condict. furt. l. pen. rer. amot.* nec repugnant *l.* 59. & *Jeqq. d. V. O. l.* 37. *pr. mand.*

8. Sane, si convenerit de tempore ineundæ æstimationis expresse vel tacitè, hoc sine dubio servandum, quò pertinet *l.* 22. *d. reb. Cred. l.* 22. *d. O.* & *A. l.* 28. *d. Novat. Sand.* 3. 4. 8. *vers. at concors.*

TIT. IV.

De eo, quod certo loco dari oportet.

COndictio de eo quod certo loco, est; Quâ id quod certo loco dari debuit, alio loco petitur; facta commemoratione loci, quo dari debuit. Cujac. *parat. h.*

2. Etenim

2. Etenim qui ſtipulanti certo loco aliquid dare promiſit, tenetur ex ſtipulatu eodem loco; ſed alibi actio inſtituta egreditur terminos ſtricti juris; quia id quod intereſt ratione loci (quod latè patet *l. 3. h. t.*) non fuit in conventione; ideoque nova qualitas huic actioni ſuperaddenda fuit, qua judex terminos conventionis egredi poſſet *l. 1. h.*

3. Non eſt igitur diſtincta ſpecies hæc actio, ſed manet ſtricti juris. Quod enim arbitraria dicitur, id longe alio ſenſu fit, quam in §. 31. *I. d. Act.* ſita ut arbitraria qualitas hic ſit adjectitia ſtricti juris potius, quàm nota novæ ſpeciei vid. Quæ dix. *in Prælect. ad* §. 33. *Inſt. de Action.*

4. Datur hæc actio ſtipulatori quidem, non tamen ſemper in ejus utilitatem, ſed tam in commodum rei quàm actoris, ſi per hunc ſteterit, quominus certo loco ſolveretur *l. 2. pr.*

5. In b. f. judiciis hæc adjectitia qualitas neceſſaria non eſt, quia natura illorum facile id quod intereſt complectitur, licet extra conventionem *l. 7. pr. h.* niſi reſpectu ſtipulationis alicujus acceſſoriæ §. 1. *eod.*

6. Ubi non certus locus, ſed alternatio locorum ſtatuta eſt, ibi actoris eſt electio, circa judicis arbitrium *l. 2. §. 3. h.* ubi & ratio, cur ſecus in alternatione rerum obtineat.

7. Cæterum, cum is cujus intereſt loco convento non eſſe ſolutum, accepit pecuniam ſine proteſtatione, pœnam remiſiſſe intelligitur. *l. ult. inf.*

8. De officio judicis in æſtimando eo quod intereſt vid. *l. 2. §. ult.* ſententia legis Centum Capuæ *h. t.* pertinet ad caput de fidejuſſoribus. Vide, ſis, Buſium ad *d. l.* & D. Wiſſenbach. *d. h. t. th. 15.*

9. Denique nota, eum, qui alio tempore petit, quam quo convenerat, nullam qualitatem novam inferre judicio, quoniam id quod hactenus intereſt, actione ex ſtipulatu per ſe poteſt peti *l. 114. d. V. O. l. 4. pr. h.*

10. Ratio differentiæ inter locum & tempus videtur, cum,

cum, quod adjectum tempus non solet aliàs mutare naturam actionis, neque vim eius suspendere, neque tollere ut dix. *ad* §. 2. & 3. *Inst. d. V. O.* tum, quod utilitas ratione temporis, multo promptius æstimari potest, quam locorum diversitas, quatenus pretia rerum & usuræ pecuniarum singulis fere locis variant, ut ad §. 35. *Inst. de Action.* Theophilus exponit.

TIT. V.

De pecunia constituta.

QUando homines id agere volunt, antequam res in judicium veniat, ut petendi facultas alio vel loco vel tempore constituatur, in eum finem Constituta comparata sunt *l.* 3. §. *f. l.* 4. & 5. *h.*

2. Est Constitutum, finiente Cujacio, nihil aliud quam conventio, quâ quis spondet citra stipulationem, soluturum se, quod ipse vel alius debet.

3. Fundamentum hujus actionis rectè à Dd. pactum geminatum statuitur, in quo cessat ratio juris Romani, ne quis temere promisisse videatur.

4. At hac ratione nihil opus est, si, quod Cujac. tradit, hic *in paratitl.* constitutum est contractus; quæ sententia magis textu quam ratione destituitur.

5. Potest constituere quilibet, tam pro alio quam pro se, etiam pro invito; hinc etiam per denuntiationem veri debitoris ne solvat liberari nequit is qui constituit *l.* 27. *h.*

6. Oportet verum debitum sit, quando constituitur, saltem naturale *l.* 1. §. 7. non civile tantum *l.* 3. §. 1. non conditionale, ut purum fiat, sed contra potest *l.* 19. *pr.* & §. 1. etiam alii quam creditori potest *l.* 5. §. 2. etiam, si non appareat debitor *l.* 11. *pr. d. tit.*

7. Cessat hæc actio, si die constituto aut prius per creditorem steterit, quominus acciperet *l.* 16. §. *ult. cum l. sequ.* salva creditori actione priori, quia per constitutum non fit novatio *l.* 18. §. *ult. l.* 28. *eod.* sed confer *l.* 25. *h.*

8. Potest

8. Potest quoque Constitutum fieri per literas inter absentes, cujusmodi exempla sunt in *l.* 5. §. 3. *l.* 24. *l.* 26. *h.*

TIT. VI.
De Commodato.

Commodati interpretatio non est difficilis, habetur in *l.* 1. §. 1. Est edictum, *ait Prætor*, de commodato in *l.* 1. quod tamen adjuvandi potius quam supplendi juris civilis gratia propositum videtur. Mirum enim fuerit, ni civilis hæc actio sit, quæ descendit ex contractu tam frequente. Tu vide, sis, partem, *I. lib.* 3. *tit.* 15. *n.* 13. *& seqq.*

2. Re duobus communi periculo commodata, singuli pro partibus tenentur, ut aliàs semper, quando plures contraxerunt *l.* 21. §. 1. *h.* sed re duobus simpliciter commodatâ, duo quodammodo rei sunt debendi *l.* 5. §. *ult. h. t.* Heredes tenentur pro partibus hereditariis, nisi unus facultatem totius rei tradendæ habeat; is enim in solidum tenetur. *vid.* Wissembach. *th.* 10. *ad h. t.*

TIT. VII.
De Pignoratitia actione.

Huic Rubricæ satisfactum est in parte I. *lib.* 3. *tit.* 15. *n.* 38. *& seqq.* Quæ autem de pignoris jure supersunt, opportunius ad *Tit. de pignor. infra* collocabuntur.

2. Heic nota, quod in *fin. pr. l.* 18. *commod.* culpæ æstimatio fit in hoc contractu, sicut in pignoratitio contractu, cum quo confer quod dixi ad *d. tit.* 15. *n.* 38. & inde collige, nihil opus esse emendatione in *l.* 13. §. 1. *h. t.*

LIB. XIV.

TIT. I.

De Exercitoria Actione.

POst condictiones, quæ aliud nomen non habent ut erant condictio certi, triticaria & cæteræ, transit Imperator ad condictiones, quæ oriuntur è contractibus nominatis, primo realibus, quorum unum scil. Mutuum præmiserat, dein commodatum & pignus explicavit. Sequebatur depositum; sed prius agitur de accessoriis qualitatibus actionum.

2. Ratio obscura est hujus methodi: Pacius & Cujacius nullam sciunt; Gotofredi nihilo melior, & rursus huic quæstioni obnoxia est, cur ita potissimum in Edicto perpetuo fuerit dispositum.

3. Videtur, quia pignoratitius, est accessio contractuum aliorum, occasionem sumpsisse conditor juris, de reliquis accessoriis actionibus agendi, quemadmodum sæpe fit, ut proximorum titulorum magis, quam materiæ universæ appareat connexio.

4. Ratio juris est, quod per alium nihil juris, sive dominium sive actio sit, acquiratur, nec per alium alius obligetur, nisi parentes & si qui præterea ex facto suo quasi tacito consensu, vinculo obligationis implicentur; quod fundamentum est actionum, quæ hoc *lib.* & *seq.* traduntur.

5. Prima est exercitoria, de qua diximus in *parte I. lib. 4. tit. 7. n. 4. & seqq.*

TIT. II.

Ad. L. Rhod. de jactu.

AD nautas pertinet lex Rhodia de jactu, quam Romani adsciverunt, quatenus nihil in ea juri communi adversatur *l. 9. h. t.*

2. In illa cavetur, ut si jactus mercium naufragii vitandi causa factus sit, omnium, pro rata mercium, contributione damnum sarciatur *l. 1. h. t.*

3. Merces intelliguntur quælibet, etsi nihil habeant ponderis *l. 2. h. t.* sed excipiuntur cibaria, quæ vescendi causa in nave sunt & corpora libera, non vestimenta & ornamenta *d. §. 2.*

4. Naufragii causa jactum esse requiritur. Sed amissæ navis damnum non sarcitur *l. 5. l. 7. h.*

5. Quod si merces alibi jacta, alibi navis submersa sit, adhuc contributio ex his, quæ servata sunt, fieri debet *l. 4. §. 1.*

6. Conferre autem omnes debent pretio præsente rerum, sed deperditæ pretio, quo emptæ sunt, æstimantur *l. 2 §. 4* Ut tamen & ipse qui fecit jactum contribuat, tam pro iis quas servavit, quam pro mercibus projectis *l. 4. §. 2.* ubi & nota, extra casum jactus de fortuitis casibus neminem teneri.

7. Cæterum, ejectas merces manere dominorum est in *l. 2. §. ult. l. 8. h. t. dix. in Prælect. ad § ult. l. de A. R. D.*

8. Actio, qua petitur contributio, contra magistrum instituenda est ex locato aut ex conducto, ut ille merces aliorum retineat, aut sua actione contra eos experiatur: *l. 2. in pr. h.* nam ei, qui jecit contra reliquos nulla videtur actio dari, cum inter eos nihil sit actum; licet æquitas extraordinarium remedium flagitaret, quod in foro haud dubiè dabitur.

TIT.

TIT. III.
De Institoria Actione.

HUic titulo satisfactum in parte I. *lib.* 4. *tit.* 7. *n.* 4. & *seqq.* ubi pariter hæc cum Exercitoria traditur. Differentias tamen Institoriæ atque Exercitoriæ, quoad effectum heic ponemus.

2. Prima est: Magister mutuam pecuniam accipere potest in usum earum rerum, quibus est præpositus, nec creditor plus probare debet, quam ita convenisse & rem in tali statu fuisse, licet magister pecuniam eo non converterit *l.* 1. §. 8. & *l.* 7. *d. Exercit. act.* de institore nihil tale reperio, sed eum mutuis pecuniis oportet esse præpositum *l.* 13. *l.* 19. *d. Inst. act. vid. d. l.* 7. *in fin.*

3. II. Magister alium substituere potest, per quem exercitor etiam ignorans & invitus obligatur *l.* 1. §. 5. ubi ratio, cur non idem respectu institoris obtineat, addo *pr. d. l.* 1. Si tamen exercitor publice prohibeat, utique non tenebitur. *arg. l.* 11. §. 2. & *seqq. de Inst. act.*

4. III. Filiusfam. magister Patrem exercitorem obligat in solidum; filiusfam. institor tantum quoad merces, in quibus negotiatus est *l.* 1. §. 20. *d. Exercit. act.* ubi & ratio.

TIT. IV.
De Tributoria Actione.

DE hoc tit. vide partem I. *lib.* 4. *tit.* 7. *n.* 14. & *seqq.* Adde si placet.

2. Quisque creditor de iis, ad quas credidit, mercibus agit, de aliis actione de peculio utendum est *l.* 5. §. 15. & *sequ. eod.* & in merces à se venditas quisque præfertur, nisi itum sit in creditum §. 18. *d. l.* 5.

TIT. V.

Quod cum eo qui &c.

Hæc Rubrica poterat esse communis omnibus titulis *hoc libro & sequente* contentis, sicut est in Institutionibus. Quid heic significet, intelliges.

2. Filiusfam. valide obligatur & recte convenitur tam existens in potestate, quàm liberatus; *l.* 39. *d. O. & A.* sed ne novi Patresfam. confestim ob vetera debita opprimantur, habent privilegium in illis actionibus, quarum causæ extiterunt, dum in potestate erant.

3. Et quidem emancipati simpliciter: at morte patris sui juris facti, non aliter quam ubi sunt exheredati, vel hereditate abstinere coacti, vel ex minima parte instituti *l.* 2. *h.*

4. Excipe, si post multos annos, ex quo filiusfam. sui juris factus est, agatur *l.* 4. §. 4. Condemnatus autem fuerit, vivo patre vel secus, non refert *dd. ll.*

5. Summa beneficii est, ne teneantur ultra quam facere possunt *d. l.* 2. *pr. & pass. h. t.* quid autem hoc sit, & quibus præterea casibus detur hoc beneficium, habuimus ad *tit. de Action. n.* 68.

TIT. VI.

De Scto Maced.

Filiorumfam. apud veteres Rom. non fuisse bona nomina ex mutuo, probat Alex. *l.* 1. *c.* 7. idque patet ex Orat. Cicer. *pro M. Cœlio.* ubi sic ille: *Tabulas qui in patris potestate est, nullas conficit.* idem Terent. in Phorm. *pulchrè dixisti*, inquit *Geta* servus ad Patrem, *siquidem quisquam crederet, te vivo.* Sed haud dubie post mortem patris agi potuit.

2. At Macedonianum Sctum prohibuit mutuum filiorumf. omni modo, ut in *pr. hujus tit.* de quò in *Inst. l.* 4. *tit.* 7. *n.* 23. *& seqq.* ubi & casus, quibus cessat hoc beneficium, habuimus.

3. Da-

3. Datur autem exceptio ex hoc Sc. *l.* 11. & 19. *h.* unde manifestum, actionem summo jure competere; nihil obstante; quod in ipso Sc. *l.* 1. *h.* negari dicitur actio, & quod in *l.* 10. naturalis obligatio manere dicitur. Nam actio negari dicitur, quatenus effectu caret, juxta *l.* 112. *d. R. I. arg. Rubr. ff. de quibus rebus actio non detur*; unde quod filiofam. creditur, perdi dicitur *l.* 3. §. 2. *h. t.* Eodem sensu naturalis actio manet, civilis tollitur; eventu videlicet inspecto. **D.** Wissenbach. *ad. pr. h. t.*

LIB. XV.

TIT. I.

De Peculio.

ACtum est de actionibus, quæ ex contractu eorum, qui in potestate sunt, oriuntur: iisdem convenit tractatus de peculio & actio inde orta.

2. Quid & quotuplex sit peculium, dix. *l.* 2. *Inst. tit.* 9. adde sis, casus sive species peculii Adventitii, quibus nequidem jure novo, ususfructus acquiritur patri.

3. Casus illi sunt aut è successionibus, aut inter vivos; è successione primus est, quem posuimus *d. tit.* 9. *n.* 11.

4. Alter est in legato militiæ, id est, functionis *agentium in Rebus*, quorum schola & *militia* dicebatur, eratque in commercio *l.* 3. §. 7. *in fin. d. Minor.*

5. Tertius casus est, ab intestato, cum frater una cum patre succedit fratri suo *N.* 118. *c.* 2. & 3. IV. tam testati quam intestati, quando filius invito patre, acquisivit hereditatem, quod potest hodie *l. ult. in p. C. de bon. quæ lib.*

6. Inter vivos sunt tres casus 1. Rerum à Principe donatarum *l.* 7. *C. de bon. quæ lib.* 2. Si pater dolose versatus sit in bonis filio restituendis *l.* 50. *ad Sc. Trebell.*

7. Tertius & ultimus, cum pater divortium fecit illegitimum à matre liberorum. Ejusque bona pro besse liberis pleno jure cedunt, triens monasterio, cui includitur. *Nov.* 134. *c.* 11.

8. Talia Glossarium Gr. pro quasi castrensibus habet *in voce* πεκούλια. Ita sane *l.* 7. *C. de bon. quæ lib.* de rebus à Principe donatis. Sed magis est, ut reliqua sint adventitia, ut *inferius.*

9. Naturam actionis de peculio habes *ad tit. Inst. Quod cum eo qui in al. pot. n.* 16. E delictis veris vel quasi talibus non datur §. 2. *Inst. de oblig. q. quas. è del.* etsi scrupulum movet *l.* 15. *d. Judic.*

TIT. II.

Quando de peculio actio annalis est.

ACtio de peculio in se est perpetua, quia non aliter datur, quam ex contractu, ut in parte I. diximus; at postquam mortuus vel emancipatus est filius, vel servus manumissus, annum duntaxat hæc actio durat *l.* 1. *pr. h.*

TIT. III.

De in rem verso.

DIxi quod satis sit, in parte I. *lib.* 4. *tit.* 7. *n.* 18. *& seqq.*

TIT. IV.

Quod jussu.

VIde positiones 2. & 3. *D. tit.* 7. *Inst. Quod cum eo qui in al. pot.*

LIB.

LIB. XVI.

TIT. I.

Ad Sct. Vellejanum.

SImiles his, qui in aliena poteſtate ſunt (de quibus eſt Sc. Macedonianum) mulieres eſſe videntur: & hæc ratio redditur, cur hic de Scto Vellejano agatur, quod alioqui pertinet ad fidejuſſiones.

2. Scilicet, interceſſiones mulierum hoc Scto invalidæ pronuntiantur, ob imbecillitatem ſexus, & quod interceſſio patrocinium videatur, quod non decet mulieres *l.* 1. §. 1. *l* 2. *h.*

3. Interceſſio fit, ſeu alienam obligationem totam in ſe recipiant, ſeu participes fiant: utrumque tam in veteri quam in nova obligatione fit; mulieres veterem totam in ſe recipiunt expromittendo *l.* 8. §. 8. *h.* Novam, accipiendo mutuum pro aliis *d. l.* 8. §. 14. *l.* 1. §. 1. *verb. quod ad fidejuſſiones & mutuationes &c.*

4. Participes fiunt veteris obligationis fidejubendo, conſtituendo *l.* 2. §. 1. *h.* pignori & hypothecæ dando *l.* 5. 7. & 12. *C. eod.* in judiciis alium defendendo *l.* 2. §. *ult. h.* Novæ particeps fit mulier, quando pecuniam alicui credi mandat. Unde Rubric: *de fidejuſſor. & mandatorib.*

5. Succurritur mulieri per exceptionem *l.* 6. 7. & 8. §. 4. *h.* aut per replicationem in terminis habilibus *l.* 17. §. 1. *l. ult.* §. 2. *eod.* quin etiam, ſi res integra non ſit, per actionem *d. l.* 8. §. 3. *l.* 40. *d. cond. indeb.*

6. Non eſt igitur ipſo jure nulla mulieris interceſſio, niſi jure novo, cum pro marito ſe interponit. *auth. ſi qua mulier C. eod.* & generaliter, quoties aliter quam publico inſtrumento tribus teſtibus munito intervenit *l.* 23. *infin. & ſeq. C. h. t.*

7. Si alius cum muliere interceſſerit, in hunc omne onus incumbet *l.* 48. *pr. d. fidejuſſ.* non obſtante *l.* 18. *h.* ſi ſola mulier, actio in debitorem principalem integra competit, non modo ſi particeps, ſed & ſi rea ſola mulier facta ſit *l.* 1. §. 2. *l.* 14. *h. t.* perinde ſive vetus ſive nova tuerit obligatio *l.* 8. §. 7. *ejuſd. tit.*

8. Non paucis tamen caſibus ceſſat Sctum. primo ratione cauſæ, velut ſi pro libertate *l. pen. C. h.* ſi pro dote interceſſerit *l. ult. inf. C. h. t.* 2. in cauſa mulieris propria, ſaltem indirecte, *l.* 3. *h.* adde *l.* 8. §. 13. ubi mulier debitori priſtino ſucceſſit. 3. Si pro obligatione minori competente fidejuſſerit, neque is à debitore ſuum conſequi poſſit *l.* 12. *d. Minor.*

9. Non eſt fidejuſſio, quando mulier pignus reddidit, etſi pignoris datio ſit interceſſio *l.* 8. *pr. h.* nec ſi mater indemnitatem filio promiſerit, in hoc, ne prædia ejus diſtraherentur *d. l.* 8. §. 1. quanquam alioqui mater pro filio intercedens non caret Scto *l. 6. h.*

10. ex facto mulieris ceſſat Sctum: 1. ſi pecuniam pro interceſſione acceperit *l.* 16. *pr. d. l.* 23. *C. eod.* 2. ſi poſt biennium repetierit interceſſionem *l.* 22. *C. h. t.* 3. Si adierit hereditatem ejus pro quo interceſſerat, *l.* 95. §. 2. *d. Sol.* 4. ſi dolus mulieris intervenerit *l.* 2. §. 3. *h.* quo refer, ſi diſſimulaverit ſe intercedere, idque creditor neſciverit *l.* 11. *h.* ſecus ſi ſcivit *l.* 12. *l.* 28. §. 1. *h. cum* qua confer *l.* 13. *C. h.* quæ contraria videtur. Summa reſponſi hæc eſt, in *l.* 13. fuit ſuſpicio, in *l.* 28. §. 1. certa ſcientia creditoris.

11. Etenim facti ſpecies ſunt diverſæ; in *l.* 28. uxor fundum ſuum pro viro obligaverat, mox pecuniam quæſivit, & Creditor ſciens hoc unice agi, mutuo dederat. Satis aperta fraus Scto. In *l.* 13. mulier pro viro nihil adhuc inſtituerat, rogavit pecuniam pro ſe, marito dedit, hoc eam in animo habere ſciebat creditor; tamen non geſſit uxor viri negotium immediatè, poterat ſibi retinere pecuniam; hoc in *l.* 28. non poterat credi, cum illic fundum ſuum pignori jam obligaſſet. Aliter D. Wiſſenb. *adh. tit. th.* 14. 12. Poſ-

12. Postremo, amittitur Sctum renuntiatione, tam extra quam in judicio *l. ult. §. penult. h. l.* 21. *C. eod.* facta tamen in publico instrumento, tribus testibus munito *l.* 23. *C. d. t.* nisi forte privatum tribus testibus munitum ita sufficiat *arg. Nov.* 73. *C.* 2. si tamen juramentum accesserit, sufficit instrumentum privatum sine triade testium, modo falsi non arguatur, ex jure Canonico *Sand. l.* 3. *tit.* 11. *def.* 5.

13. Authenticæ, *si qua mulier C. h. t.* quæ uxorias intercessiones pro viris nullas esse jubet, non renuntiat validè *arg. pr. Inst. Quib. alien. lic. vel non*; nisi perinde juraverit mulier ex eodem jure Canonum, adeoque concurrat ibi & publica forma & juramentum. Sand. *d. tit. def.* 4.

14. Volunt etiam mulierem, quæ jurato renuntiavit *huic* Sto, non videri *Auth. si qua mulier* renuntiasse Sand. *d. decis.* 4. quæ tamen nimia subtilitas videtur, est enim Authentica nihil aliud quam caput adjectum sententiæ Sti; ut ratio contrarium dictare videatur.

TIT. II.

De Compensationibus.

IN judiciis pecuniariis, de quibus adhuc actum, frequens est compensatio, quæ definitur in *l.* 1. *h. Debiti & crediti inter se contributio*; etiam mutua petitio *l.* 6. *C. h.* quâ voce alioqui reconventio significatur, quæ tamen ut à compensatione differat, ex collatione hujus & tit. *de quibus rebus ad eund. jud. eatur*, intelligi potest.

2. Quemadmodum & aperte à retentione differt, cum quis ob impensas aliudve debitum, rei incumbere pergit, dum sibi satisfiat *l.* 48. *d. R. V.*

3. Compensari possunt quælibet debita, etiam naturalia, licet exigi nequeant *l.* 6. *h. t. junctâ. l.* 7. *pr. & §.* 4. *d. Pact.* Bronchorst. 2. *antinom.* 45.

4. Non possunt debita civilia tantum, quæque per exceptionem perimi possunt, *l.* 14. *h.* ut quibus præ-

ſcriptum eſt; Nec etiam debita illiquida ſive controverſa *l. ult. C. h.* De quibus *reconventio* datur, ut tamen non quælibet controverſia rem illiquidam faciat *l.* 8. *h.* adde *l.* 15. *h. t.*

5. Etiam culpæ & debita ex maleficiis compenſantur *l.* 10. §. 2. non tamen de gravioribus criminibus *l.* 13. §. 5. *ad l. jul. d. Adult.* ſed modica admiſſa penſatione mutua tolluntur *l.* 36 *d. dol. l. ult.* §. 3. *d. eo per quem fact.*

6. Nihil refert, Uſurarium ſit utrumque debitum, an neutrum, an alterutrum *l.* 11. *h.* Nihil quoque privatum, an publicum ſit debitum.

7. Sed de publico vide exceptiones in *l.* 1. & 3. *C. h. t. l.* 17. & *l.* 20. *h.* in mutuo fœnebri civitatis, in causâ tributorum & vectigalium, alimentorum quæ piis locis debentur, in fideicommiſſo civitati relicto, copiarum militarium. denique in diem quod debetur non penſatur, quia cum effectu peti nequit, ne quidem æquitate naturali *l.* 7. *h. t.* confer tamen *l.* 16. §. 1 *Eod.*

8. Dein, res ejusmodi eſſe oportet, quæ functionem in ſuo genere capiant: compenſatio enim eſt quædam functio unius pro altero, neque per naturam fieri poteſt, ubi diſpar æſtimatio vel affectio rerum ſit *l.* 26. §. 4. *d. cond. ind.* quod latius expoſuimus *in Prælect.* ad §. 30. *Inſt. de Action. n.* 19. *verſ. denique Juſtinianus.* vid. D. Wiſſenb. *th.* 1. *ad h. t.*

9. Porrò jus compenſandi datur omnibus contra omnes *l.* 2. *h.* etiam filius recte compenſat id quod patri debetur, ſub cautione de rato *l.* 9. §. 1. Nota tamen *l.* 16. *pr. h.*

10. Procurator quoque in rem ſuam id quod cedenti debetur tam poſt litem conteſtatam *l.* 18. *pr. h.* quam ante; quia tunc quoque loco domini habetur *l.* 55. *d. Procur.* & pignorum quoque perſecutionem habet *l. 6. l.* 7. *C. d. O. & A.*

11. Idem patitur quoque compenſationem nomine cedentis, ſi directe agat, ſemper, & ſi voluntaria ſit ceſſio, ſemper; ſecus ſi utili actione & ceſſio neceſſaria ſit *l.* 33. §. *ult. d. Procur.* 12. Imo

12. Imo forte an & tunc, modo debitum reciprocum tempore cessionis exstiterit; tunc enim plus cessum intelligi non potest, quam quod, deducto eo quod vice mutua debetur, supererat. Reconventionis, de qua in *d. l.* 33. diversa ratio est.

13. Sed procurator in rem alienam ob proprium debitum conventus, id quod domino debetur, non compensat *l.* 9. *C. h. t.* nec ipsi viciſſim suo nomine agenti id quod dominus debet, objicitur, nec patitur compensationem sui debiti, nomine domini agens. Nec Tutori pupillorum nomine exigenti compensatio proprii debiti objicitur *l. pen. h.*

14. Fit hodie compensatio ipso jure *l.* 4. *l.* 21. *h. t.* h. e instar solutionis, ut effectum quoque habeat ante litem contest. quod secus in exceptionibus, quæ non habent effectum, nisi postquam oppositæ sunt; id enim vult oppositio, inter *ipso jure* & *per exceptionem*, quo de *alias*

15. Hinc compensans dicitur *non compensare*, id est, actum aliquem compensandi exercere, sed ab initio minus ab eo peti *l.* 21. *h.* tunc non *compensat*, cum opponit eam, quia dudum perpetrata fuit.

16. In strictis judiciis olim exceptione opus erat §. 30. *I. d. Act. ubi dix. in Prælect.*

17. Necesse tamen est, ut debitum habile sit ad compensandum, tempore petitionis; ideo, si tum obstat exceptio, quæ non obstabat oriente causâ debiti, ut in casu præscriptionis sæpe fit, id debitum non venit in compensationem, oportet enim ejusmodi sit, quod tempore litis motæ solvi debeat, per *l.* 14. & *l.* 21. *h. t.*

18. Effectum quoque post sententiam habet compensatio *l.* 2. *C. h.*

19. Tametsi quis juravit se soluturum, is tamen, salvâ religione compensare potest, per *l.* 20. §. 2. *d. Statu lib. l.* 4. *Qui pot. in pig. l.* 19. *d. Lib. caus. l.* 76. *d. V. S.* Imo qui solvit, cum posset compensare, non cogitur id propriâ actione petere, sed condicere potest ut in debitum *l.* 10. §. 1. *h.* 20. Cæ-

20. Cæterum, objici & allegari debere compensationem non est dubium *l. pen. h. l. 7. l. ult. §. 1. C. h. t.* nisi judici ultro liqueat, per *l. ult. d. her. pet. inf. l. 3. d. resc. vendit. Dix. in Prælect. ad. d. §. 30. I. de Action.*

21. Cessat compensatio in invasione rei immobilis & in depositio *l. ult. §. pen. & ult. C. h. t.* nempe ut restitutio rei invasæ depositi æque tali obtentu differatur; nam alioqui pecuniam ex hac causa debitam recte compensari dubium esse nequit.

22. Sed an propter impensas in rem depositam factas res queat, aut nequeat retineri, variant Interpp. Negandum videtur, ut tamen cautio de impensis exigi queat, per *l. pen. in fin. cum auth. subj. C. depos.*

TIT. III.

Depositi vel Contrâ.

DEpositum ex professo traditum est: *adtit. Inst. quib. mod. re contrah. obl. n. 28. & seqq.* Rei immobilis custodia commissa mandatum est, non depositum, ut ibi dictum. Tu dices, an differentia *mobilis* & immobilis rei, discrimen latæ atque leviſſimæ culpæ inferre potest? Ita videtur, nam qui rem soli custodiendam suscipit, is factum recipit, depositarius nullum; sed deposita res, tantum in loco servanda relinquitur, quæ si maneat, ubi sita est, depositarius satis fungitur; ubi plus exigitur, depositum excedit, ut exemplum est in *l. 1. §. 13. h.* Et hinc ratio petitur, quare depositum in rebus immobilibus consistere non posse arbitremur, ut disputavimus *in Prælect. ad d. tit. Inst. n. 10.*

2. Datur quoque ita, ut eadem res in specie reddatur, licet quantitas sit; nisi id actum sit, ut eadem in genere reddatur, quod tamen est anomalum. De usuris nihilominus in tali specie naturam depositi sequimur *l. 24. l. 25. §. 1. l. 28. l. 29. §. 1. h. t.*

3. Contraria videtur etiam quovis tempore ad recipien-

piendam rem inſtituti poſſe, non tamen ſi terminus cuſtodiendi ſit adjectus, per *d. l.* 1. §. 45. Quæ ſit *utilis* actio depoſiti, vide *l. pen. C. ad Exhib. l.* 26, *h.*

4. Sed eſt diviſio depoſiti, quod tale ſit in ſpecie vel ſequeſtratio. De priori dictum eſt, inquam, *ad Inſtit.* Sequeſtratio eſt depoſitum rei litigioſæ, quod à pluribus in ſolidum deponitur hac conditione, ut ei qui vicerit, ea res reddatur, cujus depoſitarius ſe queſter appellatur. *l.* 6. *l.* 17. *pr. h. l.* 110. *d. V. S.*

5. Eſtque rurſus duplex, voluntaria ſive conventionalis & neceſſaria. Illa partium conſenſu *l.* 5. §. 1. *l.* 17. *h. t. l.* 39. *d. Acquir. poſſeſſ.* hæc fit judicis auctoritate, parte utraque ſive alterutrâ invita *l. un. C. de prohib. ſequeſt.* Conventionalis ſemper eſt licita *dd. ll.*

6. Neceſſaria vel eſt corporum vel quantitatum. Sequeſtratio rerum corporalium licita eſt propter juſtas cauſas, veluti, ſi periculum ſit, ne partes ad arma proſiliant *arg. l.* 13. *d. ſoluto matr.* ſi perſona fugæ ſuſpecta de re mobili cavere nequeat *l.* 7. §. *ult. qui ſatiſd. cog.* Quin & homo, de cujus ſtatu litigatur, poteſt ſequeſtrari *l. ult. C. Quib. ad libert. proclam. l. un. C. de aſſert. toll.*

7. De pecunia ſanctionem habemus *in d. l. un.* ſequeſtrationem ejus eſſe prohibitam, quia, ut Cujac. *ad d. tit.* Quantitas interverti non poteſt. Atqui poteſt, ſi debitor cuncta ſua bona, ex quibus pecunia redigenda, dilapidet, quo maxime reſpectu fit ſequeſtratio. Ideo licet tam frequenter quantitatum non ſit facienda ſequeſtratio, tamen illo evidenti periculo poteſt ſine dubio; idque res ipſa loquitur minime perplexè, ut fere agunt Bronch. 1. *miſcell.* 63. Wiſſenbach. *ad h. t. th.* 20.

8. Eſt & alia ratio prohibitæ ſequeſtrationis, ne quis ſolvere cogatur, antequam liqueat, eum debere. Cui tamen non repugnat praxis, qua is, qui convenitur ex chirographo, agnoſcens manum ſuam, ſequeſtrare cogitur id quod petitur in judicio, quod creditor ſub cautione tollere poteſt, vid. Stat. Frif. *lib.* 3. *tit.* 15. §. 1.

9. Alio-

9. Alioqui jure communi oblatio cautionis non tollit sequestrationem, nisi ob inopiam cautionis factam *l.* 7. §. *ult. Qui satisd. cog.* In reliquis contrarium judicis imperium expectatur *l.* 14. *d. re jud.*

10. Est etiam frequens pecuniarum sequestratio in concursu creditorum, qui de protopraxia convenire nequeunt; tantisper enim, dum hæc deciditur, pecunia apud judicem deponitur: quod si sponte creditorum fiat, est voluntaria; si, ut plerumque, uno alterove petente, jussu judicis, est necessaria sequestratio, (vulgo consignatio dicitur) cujus usus abususque satis docet, non de nihilo esse sanctionem *d. l. un.*

11. Affinis sequestrationi est ea consignatio, quæ fit omni die, cum debitor tuto solvere non potest, denunciationibus impeditus, aut si creditor sit obæratus & hypothecis obstrictus, quam tamen creditor, cautione præstita, tollere potest.

12. Datur in sequestrum actio depositi sequestraria, cujus directa competit victori, aut ei, cui ex transactione jus ad repetendum rem sequestratam competit *l.* 5. §. 1. *l.* 12. §. 2. *Dep.* sed lite nondum finita, nec procedente per culpam adversarii, tunc depositor actione præscriptis verbis rem repetere debet *l.* 9. §. 3. *d. dol. mal.*

13. Eadem actio præscriptis verbis datur ei, qui apud alium deposuit pecuniam, hac lege, ut eam Titius haberet, si hoc aut illud feciſſet, ad repetendum quod depositum est, si Titius non fecerit *l.* 18. *d. præscr. verb.* qualis depositarius non recte sequester appellatur *d. l.* 18. *in fin.* verum si pariter arbitrium sponsionis eo delatum sit, tum *sculna*, vocabulo antiquo dicitur apud Macrob. *l.* 2. *Saturn. c.* 17. Cujac. *paratitl. C. de prohib. sequestr.*

14. Contraria datur vicissim sequestro per *l.* 12. §. 2. *h.* quippe res loquitur, si ex sequestratione datur actio depositi, non modo directam adversus eum, sed & ipsi contrariam dari, ut is qui vicit, rem recipiat sibique præstet id quod ei abest.

15. An

15. An & quando & quomodo sequester officio exonerare se possit ante rem transactam, disces ex *l.* 5. §. 2. & quomodo teneatur, si rem non exhibeat, ubi convenerat, ex §. 1. *ejusdem* L.

16. Culpa hic eadem, quæ in deposito, præstatur, nisi quod judex pecuniis sequestratis eam debere curam videtur, quam ratio muneris publici postulat, quæ cis officium diligentis patrisfam. consistere non debet; cui accedit, quod nec gratis judices hoc officium impertiuntur.

LIB. XVIII.

TIT. I.

Mandati vel Contra.

SEquuntur contractus consensuales, quorum duo Mandatum & Societas implent librum septimum decimum. Reperies de illis actum esse, quod satis ad paratitlare institutum, in parte I. *lib.* 3. *tit.* 26. & 27.

2. Velim adhuc observes, mandatarium non cogi semper ipsum per se exequi mandatum, sed alium substituere posse *l.* 8. §. 3. *h. t.* quod & in Tutelâ obtinet *l.* 5. §. 3. *ff. de administr. & peric. Tut.* & in locatione conductione factorum *l.* 48. *in pr. d. Locat.* nisi, videlicet, interfit mandantis aut locantis, vel nisi prohibitum sit, quæ tamen prohibitio non præjudicat substituto ignoranti aut tertio, per *l.* 1. §. 5. *vers. tamen d. Exercit. act.* Confer *l.* 30. *h.* & *l.* 30. *d. neg. gest.*

3. Nec alioqui distinguimus cum Gotofredo ad *l.* 15. §. 2. *d. diverf.* & *temp. præscr.* inter negotium minoris majorisque momenti; quasi tum prævia domini permissione opus sit; nec enim opus est ea distinctione

ad

ad amoliendam objectionem *d. l.* 15. cujus alia ſpecies & uſus eſt.

4. Mandatum eſſe generale vel ſpeciale diximus in *parte I. h. tit.* ſed generale iterum diſtingui ſolet in ſimplex & cum liberâ ex §. 42. *I. de A. R. D. l.* 9. §. 4. *eod l.* 58. *d. Procurat.* juncta *l.* 63. *eod.* & *l.* 16. *C. eod. tit.* quorum priores textus dant, poſteriores negant procuratori generali vim alienandi, ut ope diſtinctionis hujus illi textus concilientur: ſed tu vide quod dix. *ad tit. de A. R. D. n.* 109. ubi alia conciliatio.

5. Procurator ſimplex omnium bonorum habet jus novandi *l.* 20. §. 1. *d. novat.* tranſigendi *l.* 12. *d. Pact.* juſjurandum deferendi *l.* 17. §. *ult. d. jurejur.* exigendi *d. l.* 58. *l.* 34. §. 3. *d. ſolut.* ſolvendi *l.* 87. *eod.* ergo alienandi. Clauſula, *cum liberâ*, abundat. *coll. dd. ll.* quam & Baſilici omittunt *in d. l.* 58.

6. Diſtinximus etiam mandatum in rem ſuam vel in rem alienam. De Mandato in rem ſuam, quod aliter Ceſſio, egimus *d. tit. Inſt. n.* 6. & *ſeqq.* Hic tamen addemus ſequentia capita. 1. à quo & in quos hoc mandatum ſive ceſſio. poſſit fieri. 2. Quænam actiones ita cedi ſive mandari queant. 3. In quibus cauſis neceſſaria ſit ceſſio. 4. Quando fieri debeat. 5. Effectus ejus. 6. Finis.

7. Quod ad primum attinet, Ceſſio conſtat duabus partibus, titulo proprietatis, ut eſt venditio, donatio, ſolutio ſimileſque, & mandato, ſicut diximus *d. n.* 6. & *ſeq.* Nemo igitur cedere poteſt, niſi qui jus habet mandandi & alienandi Qua de re vid. tit. I. *Quib. alien. lic. vel non.*

8. Ex hoc duplici ceſſionis fundamento palam eſt, eam non intelligi tacite factam, in eum qui exhibet inſtrumentum obligationis, in quo ſcriptum eſt, debitorem ſoluturum ei qui inſtrumentum exhibuerit, licet ita vulgo uſurpent. Sand. *de act. ceſſ. c.* 2. *n.* 17.

9. Sed adſignatio, quâ debitor creditori ſuo mandat, ut ab alio pecuniam ſibi debitam exigat, etſi alte-

rius

rius tituli mentio non fiat, pro cessione tamen haberi potest. Sand. *ibid. n. ult.*

10. Specialiter Tutores & Curatores non possunt accipere cessiones à pupillis & minoribus, nec adversus eos *Nov.* 72. *c.* 5. nec advocati à clientibus suis pro parte vel in totum per *l.* 5. *l.* 6 §. 2. *C. de Postul. l.* 6. & *l.* 7. *h.* juncta *l.* 53. *d. Pact.* Sand. *cap.* 4. *n.* 13. Eadem interdictio pertinet ad medicos, *l.* 3. *d. Extr. cogn. l.* 9. *C. de Profes. & Med.*

11. Quod ad *secundum*, cedi possunt omnes actiones, quæ commodum pecuniarium cedentis continent, exceptis iis, quæ rationem merè personalem habent, ut est actio injuriarum, actio quæ datur ad revocandam donationem, ob ingratitudinem, querela inofficiosi. Sand. *c.* 5. *n.* 11. & 12.

12. Item petitio fideicommissi universalis, *l.* 59. §. 1. *d. jur. dot.* jus retractus, jus quoque servitutis. Sand *ibid. n.* 25. & *seqq.*

13. Denique nec litigiosæ actiones cedi possunt, hoc est, de quibus lis contestata, vel ab actore saltem inchoata est *l.* 2. *C. de litigios.* in actionibus in rem, solâ in jus vocatione vitium litigiosi contrahitur *Auth. litigiosa eod.*

14. III. Regulariter liberum est cedere vel non. Sunt tamen casus, quibus aliqui cedere coguntur, ut;

15. Heres fiduciarius in fideicommissarium *l.* 73. *ad Sc. Trebell.*

16. Possessor hereditatis in heredem *l.* 16. §. *f. l.* 20. §. 17. *l.* 40. §. 2. *d. Petit. hered.*

17. Creditor emptori pignoris, à quo res evicta est *l.* 38. *d. Evict.*

18. Idem creditor debitori post solutionem, ad recuperandum pignus ab ejus emptore, juxta pactum creditoris *l.* 13. *d. Pignor. act.*

19. Coheredes interse *l.* 2. §. *f. Famil. ercisc. l.* 33. *Eod.*

20. Venditor emptori, re vendita, necdum traditâ *l.* 35. §. 4. *d. Contrab. empt. l.* 13. §. 12. *d. Action. emp.*

21. Procurator domino *l. 2. per quas person. l. 49. §. ult. d. Acquir. poss.*

22. Minor creditori, adversus quem restituitur *l. 24. d. minor. l. 27. §. 1. eod. tit.*

23. Dominus rei furtivæ fulloni pretium rei offerenti *l. 25. §. ult. Locati.*

24. Dominus bonæ f. possessori, qui sua culpa rem amisit *l. 21. vers. si vero l. 63. d. R. V. 12. de Re judic.*

25. Creditor fidejussori, qui solvit solidum *l. 29. §. 3. in f. Mand.*

26. Denique omnes, qui jus in re habent, quam possident & quam potioribus cedere coguntur, ab ipsis vicissim exigere possunt cessionem sui juris. Sand. *d. tract. c. 6. n. 61.*

27. IV. Fieri debet cessio, quando vivit adhuc actio; Res enim ipsa loquitur, quod non est, aut jus extinctum non posse mandari & in alium transferri *l. 76. d. Solut. l. 1. C. de contr. tut. jud.* quod juris autem hac parte sit in fidejussione aliisve contractibus, alibi dictum aut dicendum est. Tu vide Sandium *d. tract. cap. 7.*

28. V. Sequitur effectus cessionis; Titulus proprietarius hoc efficit, ut emolumentum actionis ad cessionarium pertineat. Mandatum facit, ut actionem nomine mandantis instituere queat *l. ult. d. transact.* directam scilicet; nam utilis datur etiam sine mandato, *l. 7. C. de Hered. vel act. vend.*

29. Directam qui movet, is ex mandato vel nomine cedentis agit. Utilem instituit, qui mandati non meminit, sed translationis solummodo titulique proprietarii *l. 34. & 35. d. Procurat. Sand. d. tract. d. 8. n. 16. & seqq.*

30. Directa tam à cedente, cui etiam solvi potest, quam à cessionario moveri potest, ut tamen cessionarius cum utili suâ præferatur *d. l. 55. d. Procur. l. 5. l. 8. C. h. t.*

31. Cessionarius agens directâ tenetur ad defendendum in reconventione cedentem, nisi cessio sit necessaria

faria *l.* 33. §. *f. d. Procur.* Utiliter agens non sustinet reconventionem, nisi cessio facta sit in fraudem *l.* 34. *eod.* Sand. *d. cap.* 10. *à. pr.*

32. Directe agenti cessionario obstant omnes exceptiones, quæ cedenti potuissent opponi, cum idem adhuc agere videatur. In casu utilis actionis distinguitur; exceptiones reales, quæ causam feriunt, indistincte opponuntur cessionario *l.* 3. §. 1. *d. pignor. l.* 4. §. 27. & §. *pen. d. Excep. dol.*

33. Exceptio personalis, ut est doli mali, *l.* 4. §. 33. *d. dol.* & *met. except.* ut pacti, *ne a me petas*, competentiæ quæ dicitur & similes, cessionarium utiliter agentem non excludunt, si ex causâ onerosa actionem adeptus sit *l.* 3. *C. de peric.* & *comm. rei vend. l.* 4 §. 27. 28. & 31. *d. dol. except.* secus, si ex causâ lucrativâ *d. l.* 4. §. 29. & 31. *Sand. d. tract c.* 17.

34. Actio utilis non finitur morte cedentis aut cessionarii, cum sit in ejus patrimonio, neque directa, si heres cedentis exter, eo enim casu durat *l.* 1. *C. de oblig.* & *Act. l.* 5. *in pr. Ut legat. nom. cav.* Sand. *d. tract. cap.* 14.

35. Potestne cessio facta retractari à partibus, ut debitori non sit jus ex constitutione Anastasii in *l. pen.* & *ult. C. Mand.* de qua *inferius*? Potest, si emptor debitorem non fecerit certiorem de cessione facta, aut cum eo cœperit agere, vel partem debiti jam acceperit *l.* 3. *C. de Novation.* Sand. *lib.* 3. *tit.* 7. *def.* 2.

36. Ad mandatum quoque pertinet *Cambium*, quo moribus hodiernis nihil frequentius, ad usus promiscuos in diffitis locis.

37. Cambium est conventio, qua ego tibi mando, ut Tertio summam pecuniæ pendas, quam alius mihi jam dedit, vel de quâ fidem illi habeo.

38. Exemplum; *Ego* sim mercator Amstelodamensis. *Tibi* mercatori Veneto, *Mando*, vel rogo & scribo, nam perinde est *l.* 1. §. 1. *Mand.*

39. Ut *Tertio* peregrinatori *Summam pecuniæ*, non

eoſdem in ſpecie nummos, qui mihi hic traditi ſunt; nam in hoc commodum rei vertitur.

40. Pendas aut ſtatim aut certa die, octava, quindena aliave poſt exhibitionem literarum.

41. Quam *alius*, parens aut amicus peregrinantis, qui res ipſius curat in Patriâ.

42. Mihi *jam dedit*, cum mandato curandi, ut tertio peregre tantundem adnumeretur.

43. *Vel de qua fidem illi habeo.* Hinc liquet, duplicem in hoc negotio contractum verti, unum inter mæ & eum qui dat mihi pecuniam, vel repromittit; alterum inter me & Te, cui ſcribo ut pecuniam Tertio pendas.

44. Accipiens illud mandatum aut die dicta ſolvere debet, aut ſtatim remittere cum proteſtatione.

45. Quo caſu Tertius non accipiens pecuniam, regreſſum habet adverſus me, quo indemnis præſtetur.

46. Quod ſi Tertius, mutato conſilio, nolit accipere, renuntiare poteſt, dummodo ſine captione.

47. Si vero tu acceptaſti & ſolvere cunctaris, parata executio eſt. Vide Grot. *manuduct. lib.* 3. *c.* 13.

TIT. II.

Pro Socio.

DE ſocietate ſimiliter remittendi ſunt Auditores ad Inſtitutiones. Adde,

2. Societas à collegio differt; nam in hoc, quod pluribus placuit, minor pars ſequi debet. In ſocietate aliave communione ſingulis prohibendi jus eſt *l.* 28. *Commun. divid.* nec admitti poteſt limitatio D. Schotani *h. t. ſi quid inſoliti ſit.* Attamen pervicax unius procacia ope judicis in ordinem redigi poteſt. *l.* 84. §. *ult. d. leg.* T. Sand. *l.* 3. *t.* 8. *def.* 1. utique ſi res non ferat; ut ſocietas diſſolvatur: alioqui hoc tutiſſimum eſt remedium adverſus præfractam unius turbandi libidinem.

3. In-

3. Inter conjuges Jure Civili est societas vitæ, nulla rerum atque bonorum.

4. Pluribus Europæ populis hodie placuit communio bonorum inter conjuges universalis, quâ vir participat omnia bona uxoris & illa vicissim mariti, ni pactis dotalibus aliter sit cautum; *Grot. introd. jur. Holl. lib. 2. cap. 11. & 12.*

5. Frisiis aliisque media placuit consuetudo, qua patrimonia singulis conjugibus propria manent, lucra vero & damna, matrimonio durante, communia sunt *lib. 1. stat. Fris. tit. 3.*

6. Medium hoc consilium præstare duobus extremis patet inde, quod Juris Romani rigor hac parte nusquam servatur, & universa communio, in locis ubi recepta est, à prudentioribus per dotalia pacta fere ad modum nostratem redigitur.

7. Lucra & damna communicantur *ipso jure d. t. 3. art. 1.* ita ut non sit opus ulla cessione vel traditione, nec interfit utrius facto pecuniâquo, vel utrius ex bonis lucrum provenerit, aut utrius nomen sit usurpatum, *Sand. d. t. 5. def. 6.*

8. Communicantur igitur fructus rerum, inter quos donativa colonorum. *Sand. d. t. 5. def. 3.*

9. Etiam reditus annui, quando perpetui sunt, nam qui ad vitam habentur, finito matrimonio restituuntur ei cujus fuerunt, idemq. est in usufructu quem alter conjugum intulit in matrimonium, ut quidem videtur. Sarmient. *lib. 3. select. interp. cap. 10. num. 5. & seq. dix. in Ausp. collat. pag. 33. & seqq.*

10. Non idem est in pecuniariis munusculis vel xeniis, quæ parentes vel amici, conjugum alteri pro lubitu impertiuntur. Hæc enim communicantur. *Sand. d. tit. 5. def. 4.*

11. Sed in metallifodinis, apud nos, in fodinis cespitum ustilium & argillarum, idem juris erit, quod in usufructu *Sand. lib. 5. t. 3. def. 2.*

12. Quæ alteri conjugum inter vivos donantur communicari censuit Curia apud Sandium *d. t. 5. def. 3.* dissentiente *Herbajo cap. 14.*

13. Ut & mortis causa donationes communicantur novo jure *Frisico*: sed in legatis idem juris est, quod in hæreditatibus, quæ sine dubio sunt extra communionem, *Sand. d. def. 3. sub. fin.*

14. Quod mare vel flumen agro alterius per alluvionem adjecit, fit ejus proprium, cujus est ager *arg. §. 20. Inst. d. acq. verf. rer. dom. Herbaj. cap. 16.*

15. Similiter quod ædibus alterius adjicitur ædificando, fit ejus tantum cujus sunt ædes, impensis pro parte restituendis, *d. def. 3. verf. reparationes.*

16. Quæ empta, aliove simili titulo comparata sunt, haud dubiè communicantur; etiam quando vir suum fundum cum alio permutavit, uxor ejus fit particeps, ita ut æstimationem fundi prioris pro parte viro præstet. *d. def. 3. verf. respermutata.*

17. Idem juris, si alter conjux sua bona vendat aliaque rursus emat, *d. def. 3. verf. quod si maritus.*

18. Inspicitur autem, quoad hanc communicationem, tempus perfecti, non impleti contractus; ideoque si res empta sit ante, tradita post conjugium, res non fit communis, *Sand. d. def. verf. similiter.*

19. Idem erit, si quis ante matrimonium litem super aliqua re contestatus, post initum ejus rem obtinuerit per sententiam, vel transactionem, *Sand. d. def. 3. verf. dubitatur.*

20. Idem, si usucapio ante matrimonium legitimè inchoata, postmodum impleta sit. *Argentr. ad consuet. Britan. art. 418. gloss. 2. in fin.*

21. Fundus ante matrimonium venditus, sub lege redimendi & durante matrimonio redemptus ei cedit, cujus antea fuit, salvo conjugi redemptionis pretio, prò suâ parte, quam contulerit *d. def. 3. verf. quod si aliter.*

22. Sequitur de damnis, quæ vir & uxor communiter ferunt, exceptis quæ mere personalia sunt, ita ut personam egredi nequeant.

23. Cujusmodi sunt delicta, si inde mulcta conju-

gum

gum alteri infligatur, Sande *d. t. 5. def. 8. verſ. ſimiliter ſi.* ſub iiſdem quaſi delicta comprehenduntur.

24. Talis etiam eſt interceſſio mariti, quæ in mulierem cadere non poteſt, ſive ſit fidejuſſio proprie dicta, ſive aliud interceſſionis genus, *Sand. d. def. 8. verſ. an etiam.* ubi tamen reddit aliam rationem.

25. Damna quoque rebus alteri conjugum propriis illata non poſſunt eſſe, niſi tantum ejus, cujus bona ſunt, nec ad conjugem pertinent; niſi quatenus inde lucrum ab ipſo percipitur, quatenus, inquam, reditus communes inde minuuntur, *arg. l. nihil tam naturale eſt. ff. de R. I.*

26. Alia detrimenta, quæ ex contractu aliove facto alterius è conjugibus contrahuntur, ſeu cum, ſeu ſine culpa, quin imo per dolum alterius, communia ſunt *d. lib. 1. ſtat. tit. 3. art. 1.*

27. Indiſtincte etiam, ſciat an ignoret alter, licet inutiliter prodigevè confectum ſit æs alienum. *Sand. d. def. 8. & d. verſu ſub finem.*

28. Quamvis etiam vir pecuniam mutuo ſumptam converterit in ſuos uſus, imo in ſolutionem debitorum à ſe ante matrimonium contractorum, ut recte *Sand. ibid.* licet Curia tum quæſtionem illam in medio reliquerit, *verſ. ſi maritus.* Si tamen creditor ſciverit cauſſam illam, ſecus dicendum foret.

29. Nempe, quicquid in alterius præjudicium ab altero geſtum fuerit, hoc conjuges eorumve heredes inter ſe comparare debent, creditores autem jure Statuto.

30. Non tamen ſi conſtet, ipſum illud debitum ante matrimonium extitiſſe, novum autem inſtrumentum ſuper eo confectum ſit, quia tum deficiunt verba non minus quam mens Statuti.

31. Intellige mulierem non aliter obligare virum quam ex iis cauſſis, de quibus inſcio viro jus contrahendi habet, *ex Statuto.*

32. Secundum hæc, Actio creditoribus in ſingulos

conjuges pro parte datur, ſicut adverſus ſocios & omnes qui plures numero in una cauſſa ſunt obligati, quoties non id actum eſt, ut correi fierent, *l. 1. §. ult. junct. l. 4. in pr. d. exerc. act. tit. I. D. & C. de duob. reis.*

33. Sed vi ſtatuti noſtri, conjux, qui contractum obivit, *durante matrimonio*, creditoribus in ſolidum tenetur; *d. tit. 3. art. 1.* ex ratione *l. 2. ff. de exerc. act.*

34. Sequuntur caſus, quibus non obtinet ſocietas inter conjuges, & colligi poſſunt ex ſupradictis.

35. I. in Damnis fatalibus, quæ rebus alteri conjugum propriis acciderunt.

36. II. In impenſis majoribus, ad cauſſam earum rerum perpetuam ſpectantibus.

37. III. *In interceſſionibus* mariti.

38. IV. In mulctis delictorum.

39. Quod extenditur ad quamvis cauſſam illicitam, non modo quod ad damna, ſed etiam quod attinet ad lucra, veluti quod ex furto, quod ex alea, reſiduis, peculatu, ambitu acquiſitum eſt, proinde nec pretium empti venditive muneris publici venit in communionem, niſi forte circumſtantiæ æquitatis exquiſitæ aliter ſuadeant, tu vide *l. 52. §. 17. ff. proſoc. l. 8. §. 1. d. neg. geſt.*

40. De adminiſtratione, quam vir ut tutor vel curator habuit, mulierem teneri deciſum eſt apud *Sand. d. tit. def. 8. verſ. dubitatum.* etſi tutela vel cura mulieri, exceptis liberis, non magis quam interceſſio conveniat *l. 1. & auth. ſeq. C. quand. mul. tut. off.*

41. Ratio Sandii vix ſuffecerit, quia *tutelæ obligatio eſt è quaſi contractu* ait, nec enim omnes quaſi contractus mulierem nuptam obligant. Exemplo ſit hæreditatis aditio, negotiorum geſtio. Nec Statutum nec jus Cæſaris quaſi contractus hac parte veris præferunt.

42. Videndum ne non hæc potius ſit ratio, cum vir ex cura reliquator exiſtit, pecuniæ pupillares in rem communem verſæ præſumuntur, quod ſecus in interceſſione

43. Idem

43. Idem Sandius, ceſſare communem obligationem ait, ſi conjux alter contractui expreſsè contradicat *d. def. verſ. ſi mulier.*

44. Eſt hoc verum reſpectu mariti, ſi is prohibuerit contractum mulieris de rebus mercaturæ communis & œconomicis; non poteſt eſſe verum de quavis contradictione mulieris, niſi vir officium boni patrisfamilias aperte excedat.

45. Alioqui mulierem interdictum judicis impetrare oportet; nam officium curatoris non fert, ut uxores pro lubitu contradicendo viris, eorum auctoritatem proterere poſſint.

46. Denique ſunt modi quibus hæc ſocietas finitur, 1. Morte, fine dubio, 2. Divortio, non modo quo vinculum conjugii, ſed etiam quo cohibitatio ſolvitur, mutua culpa, non ſi vir, non ſi mulier temere diverterit, *Sand. lib. 2. t. 4. def. 4.*

47. Tertio finitur Pacto, ſicut antea dictum, niſi reſpectu certorum bonorum id ineatur, tum potius exceptio eſt à ſocietate.

48. 4. Finitur, ſi vir venerit in eum Statum, ut ipſe Curatorem accipiat, velut ſi furioſus aut prodigus fiat. Herbaj. *c.* 15.

49. Poſtremo, ſeparatione bonorum, judiciali auctoritate facta.

LIB. XVIII.

TIT. I.

De Contrah. Emptione, & de Pactis inter emptorem & venditorem compositis, & quæ res venire non possunt.

HUjus tituli tres partes indicat rubrica. Prima est de contrahenda emptione, altera de pactis inter emptorem & venditorem compositis. tertia de rebus quæ vendi possunt. de primâ & tertia parte dictum abunde in Inst. de pactis agetur *tit. seqq.* possit & quarta addi; de personis contrahentium.

2. Si quis pro alio emit, ab initio non valet contractus, sed traditione volenti emptori factâ convalescit & dominium transfertur *l.* 3. & 6. *C. si quis alteri.* Si quis sibi & alteri emerit, vide *l.* 64. *h.*

3. Sed qui ipse emit, instrumento nomine alterius conscripto, nihilo secus emptor est & actionem habet *l.* 4. 5. 6. *h. t. Si quis alteri vel sibi sub ali. nom.* junctâ *l.* 1. *C. plus valere.*

4. Potentiores commercia exercere prohibentur *l.* 3. *C. d. Commerc.* quod tamen limitandum, ut liceat necessitatis causâ. Fab. Cod. *l.* 9. *tit.* 28. *def.* 3. cessatque hodie in Rebuspubl. Italicis, Venetâ, Genuensi, Florentina, Luccensi, aliisque. Apud nos tamen more magis quam jure, non cessat.

5. Nec quisquam ab iis, quibus ratione officii præest, emere potest *l.* 46. *h.* sed venditor eo casu rem recipit, pretio retento *l.* 11. *C. d. d. his quæ vi met. causa.* quin & in quadruplum convenitur Præses aliusve magistratus *l.* 46. *h. t.* adde Wissenb. *th.* 7. *h.*

6. Cum hoste extra loca statuta, vel intra fines imperii sine comite commeatorum emere vendere non licet *l.* 4. & *fin. C. de commerc.* & *mercator.*

7. Duæ

7. Duæ pacti ſpecies emptioni venditioni peculiares ſequentur *tit.* 2. & 3. Præter eas, eſt pactum Conſtituti frequens in hoc contractu: Per illud emptor profitetur, ſe nomine venditoris poſſidere rem venditam, quamdiu pretium non fuerit ſolutum; cujus pacti effectus hic eſt; quod venditor tantiſper habetur loco veri poſſeſſoris omnique commodo poſſeſſionis gaudet, de quo diximus in parte I. *lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 127. & *ſeqq.*

8. Ideo, ſi creditores emptoris rem venditam diſtrahere velint, cujus omne pretium nequedum ſolutum eſt, venditor id pati non cogitur, antequam reſiduum pretii ſolutum fuerit; quia ſic amitteret poſſeſſionem.

9. Aliud à priore diverſum additur aliquando pactum, ut venditor retineat dominium, tantiſper dum pretium penitus ſolutum fuerit: hoc autem exprimi oportet; nam ſi jus retentionis ſimpliciter ſit memoratum, nihilo plus valet, quam conſtitutum.

10. Denique pactum, ut emptor rem habeat conductam, donec pretium ſolvatur *l.* 21. *D. Locati*, non raro venditionibus adjicitur, & ſupponit dominium reſervatum.

TIT. II.

De Addictione in diem.

ADdictio in diem eſt pactum, quo venditio ſuſpenditur aut reſolvitur, ſi melior venditori conditio oblata fuerit *l.* 1. *l.* 2. *pr. h.* ubi ſuſpenditur, venditio non eſt, ſed ſperatur, nec proinde effectus ſoliti emptorem ſequuntur *l.* 2. §. 1. *l.* 4. *pr. h.*

2. Sed ubi conditio eſt reſolutiva, illic emptor ſtatim fit dominus, fert periculum, percipit fructus, idque cum effectu, ſi conditio non emendetur; alioqui reſtituuntur. *l.* 6. *pr. l.* 16. *h.*

3. Melior conditio æſtimatur ex omni eo, quod emolumentum venditori affert, non modo ratione quantitatis, ſed & qualitatis & temporis &c. *l.* 4. §. *ult.* & *l.* 5. *h.*

4. Sed

4. Sed si falso subornetur, qui pretium augeat, pro non aucto habetur *l.* 4. §. 5. *b.* quod ex ratione juris dicendum, etsi primus emptor adhuc pretium auxerit, quia venditio jam prius perfecta erat, & proinde, fraude cognita, effectum habere debet *d.* §. 5.

5. Tenetur tamen venditor, si alius emptor vere accesserit, quem simulet plus obtulisse, etiam huic secundo emptori, & ita utrique in solidum; primo ad rei traditionem, alteri in id quod interest *l.* 14. *b.*

6. Conditione meliore allata, venditor denunciabit emptori *l.* 8. qui, si tantundem velit dare, præfertur alteri *d. l.* 7. *l.* 8. Non cogitur tamen venditor plus offerenti rem addicere, sed primum, si malit, retinere potest *l.* 9 *b. t.*

TIT. III.
De Lege Commissoria.

LEx commissoria est pactum, quo id agitur, ut si intra certum tempus pretium non solvatur, res sit inempta *l.* 1. 2. 3. 4. *inpr. b.* Potest quidem ita fieri venditio, ut si ad tempus pretium sit solutum, emptio valeat: at hæc non est lex commissoria; quippe hæc conditione duntaxat resolutivâ constat *l.* 1. *b.*

2. Venditio igitur, hac Lege adjectâ, perfecta est, ut periculum rei & fructus sint penes emptorem, restituendi tamen, si pretium non solvatur *l.* 5. nisi evenerit, ut partem pretii solutam, lege commissa, perderet emptor *l.* 4. §. 1.

3. Elapso die, licet emptore non admonito *l.* 4. §. *ult.* venditor aut exercere commissoriam, aut pretium adhuc petere potest *l.* 3. *l.* 4. §. 2. variare tamen, pretio semel petito, & recurrere ad commissoriam non potest *d.* §. 2. *l.* 7. *b.*

TIT.

TIT. IV.

De Hered. vel act. vend.

POssunt etiam jura vendi, ut hereditas & actiones. Hereditatem tantum mortui intelligi, docet *l. 1. h. t. 1 ff. Pro her. l. 27. §. 4. d. Sc. Treb.* Pactum enim de successione viventis, etsi reciprocum, non valet *l. 15. C. d. Pact.* quin ut indigno sperata successio auferatur ei, qui rem viventis cognati alienaverit *l. 2. §. 3. d. his quib. ut indign.* Adde *l. 2. §. 2. d. S. V. & P.*

2. In emptorem transit omne jus heredis, tam præsens quàm futurum *l. 2. pr. §. 4.* non tamen quod ante venditionem periit *d. l. 2. §. 1. b.* nisi pretium supersit, quod loco rei succedit *d. l. 2. §. 3.*

3. Hinc & portionem deficientem coheredis (aliter quam si repudiet, res usum habere non potest) ad emptorem pertinere jure accrescendi, cum *arg. d. l. 2. §. 24. & §. 9.* tum etiam per *l. 33. §. 1. d. Usufr.* multi volunt; etsi enim emptor non sit heres, sufficit, quod jus heredis sit consecutus. Auctores utriusque sententiæ vid. apud D. Wissenbach *h. t. th. 5.*

4. Ita & nos alias pro emptore, sed re tamen exactâ, enorme videtur emptorem id accipere, de quo contrahentes nec cogitarunt: suam partem coheres vendidit, de parte alterius coheredis nihil dictum, nihil actum. Verior igitur negativa; sicut nec jus substitutionis ad emptorem pertinet *d. l. 2. §. 2.*

5. Hereditas hic pro rebus universis effectuque juris utili sumitur, non pro ipso jure hereditario, quod manet apud venditorem, ut & actiones tam activæ quam passivæ *l. 2. C. h. l. C. d. Pact.* ex ratione *l. 88. d. her. Inst.* item propterea, quia jus incorporalium rerum transferri non potest, sed manet penes cedentem. Ita in usufructu vendito *l. 12. §. 2. l. 38. d. usufr.* in hereditate per *l. 18. d. acquir. hered. juncta l. ult. in pr. d. transactien.* in actione legata §. 21. *I. de Legat.* in societatem col-

collatis *l.* 3. *Pro soc.* in peculium datis *l.* 53. *d. pecul.* ubi Gl. actionem, ait offibus ejus, cui primitus competit, inhærere.

6. Cæsares tamen dederunt utiles actiones iis, quibus actiones titulo proprietatis cessæ fuerint, quod in emptore hereditatis primo receptum *l.* 16. *d. pact.* dein ad alios particulares titulos productum *l.* 7. *C. de hered. vel act. vend. l.* 18. *C. de legat. l.* 33. *C. de donat. l.* 2. *C. de O. & A. ubi de dotis datione l.* 1. *eod. ubi & de solutione post mortem mandantis. l.* 20. *d pignor.*

7. Ab eo tempore cessionis vocabulum, quod alioqui æquipollet mandato *l.* 76. *d. solut. l.* 1. *in f. C. de magistr. conven.* magis usurpatur de translatione actionis titulo proprietario, & sic in usu est.

8. Igitur jus creditorum & legatariorum & quicquid ad tertium pertinet, nihil mutatur, sed hi ipsum heredem atque venditorem convenire possunt *l.* 17. *d. Transact. l.* 28. *d. Donat.* quin emptorem invitum convenire nequeunt, licet is diserte & nominatim solutionem debitorum in se receperit, *l.* 2. *C. h. t.* Sand. *lib.* 3. *tit.* 4. *defin.* 3. *l.* 25. 26. *C. d. Pact.*

9. At emptor debitores hereditarios utilibus actionibus recte, licet invitos, convenit *l.* 5. *C. h. t.* & si quid venditor creditoribus solverit, emptor id ei refundere debet; agere etiam potest ut liberetur, antequam solvat *l.* 2. §. 7. *& ult. h.*

10. Si qua res particularis evicta sit, de illa venditor non tenetur, sed tantum, si tota hereditas vel pars assis evincatur *l.* 2. *h. l.* 1. *C. d. Evict.*

11. Denique, Actionem creditor, invito debitore, potest vendere, modo non sit litigiosa *l.* 3. *C. h. t. l.* 2. *C. d. Litig.* nec in potentiorem *l. un. C. Ne lic. Pot.* venditio tamen non præstat actionem directam; sed hæc per mandatum acquiri debet *l. ult. d. Transact.* at utilis sine mandato competit hodie *l.* 5. *C. h. t.* Jus tamen directum venditoris ad actionem quoque est efficax. Fab. *l.* 4. *tit.* 29. *defin.* 18. sed in concursu, emptori cedere debet *l.* 55. *d. Procurat.*

12. Lu-

12. Lucri causa emere non licet actiones; nec enim plus emptor consequi potest, quàm solverit ipse *l. pen. & ult. C. Mand.* quam licet alibi fere obsoletam testentur auctores. (Zypæus not. *jur. Belg. h. t.* aliique apud Wissenbach *h. t. b.*) eam tamen in Frisiis obtinere putem.

13. Periculum nominis ad emptorem spectat: venditor enim non præstat locupletem debitorem, sed duntaxat vere obligatum; hoc est, quod vulgo nostrates in cedendis vendendisque actionibus, dicunt; præstari debitum *vry en jechtich*, liberum & laudabile; venditor *Laudari* potest, ut auctor. vid. *l.* 63 §. 1. *d. evict. & passim.*

TIT. V.

De Rescindendâ Venditione.

MOdi rescindendi venditionem sunt vel communes vel speciales. Communes sunt tres, contrarius consensus, metus & dolus. De prioribus alibi dictum. Speciales sunt etiam tres; læsio ultra duplum, pactum de retrovendendo & retractus. est adhuc *quartus* actio Redhibitoria, de qua ad *tit. de Ædil. Ed.*

2. Primus modus est ex *l.* 2. *C. h. t.* unde, is qui ultra dimidium sive duplum, hoc est, alterum tantum circumventus est, agere potest, ut vel pretium ad arbitrium boni viri reducatur, vel res empta redhibeatur, de quibus heic agemus.

4. Fundamentum hujus remedii est inæqualitas in rebus, quam non expedit reip. in infinitum permitti, & quod is, qui hanc inæqualitatem urget, in dolo esse videatur, per *l.* 36. *d. V. O.* Proinde verius est, animum vel scientiam contrahentium non spectari, adeo, ut is qui pretium rei scivit, tamen agere possit. Donell. *ad d. l.* 2. *n.* 10. Pinell ad *eand. l. part.* 1. *c.* 2. *n.* 11. Diff. Giphan. in *d. l.* 2. D. Wissenbach. *ad h. t. th.* 16.

5. Si quis tamen data operâ studioque intento rem pror-

prorsus habere voluerit, ei non potest neque debet succurri: nec aliter forte citati auctores capiendi.

5. Quominus in auctione publicâ sit idem juris, nulla quidem Juris obstat ratio; Sand. 3. *decis. tit.* 4. *defin.* 12. verum utilitas & confusio auctionum multis in locis contrarium persuasit. Grot. *lib.* 3. *jur. Holl. sect. ult.* Fab. 10. *error. pragm.* 2.

6. Verba *d. l.* 2. sunt pro venditore, sed ratio est eadem in emptore. Sand. *l.* 3. *tit.* 4. *def.* 13. Ultra contractum venditionis tamen non extenditur. Idem *d. tit. def.* 17. *vers. Quod Curiæ.*

7. Nec quidem obtinet in venditione, quando res incerta est, ut in specie *d. tit. def.* 16. & 17. item in hereditate venditâ *def.* 15.

8. Nullo modo igitur extendi potest ad transactionem, quia & in illâ res incerta est & summus favor pacis, & textus sunt in *l.* 78. §. *ult. ad Sc. Trebell. l.* 23. *l.* 16. *C. de transact.* nec in contrarium movet *l* 5. *C. de Dol. mal.* vide omnino Gail. 2. obs. 70. eique potius crede sis, quam Fachinæo *l.* 6 *cap.* 26.

9. Multi extendunt *d. l.* 2. ad quosvis contractus mutuæ præstationis, Auctores vid. apud Wissenbach. ad *h. t. b.* 20. & *ad d. l.* 2. *C. h. t.*

10. Exercetur hoc remedium per ordinariam actionem, vel exceptionem empti venditi, ideoque durat annos 30. *arg. l.* 3. *C. de præscr.* 30. *vel* 40. *ann.* Fructus tamen & usuræ non nisi post litem contestatam veniunt. Sand. *d. tit.* 4. *def.* 11. & 14.

11. Pactum de retrovendendo est, quo convenit, ut quandocunque venditor idem pretium emptori obtulerit, res vendita restituatur *l.* 2. *C. d. Pact. int. emp. & vend.* unde actio datur ex vendito, vel præscriptis verbis contra emptorem ad restitutionem rei, vel id quod interest *d. l.* 2. *l.* 21. §. 5. *d. act. empt. junct. l. ult.* §. 1. *d. cont. empt.* in rem actio dari non potest: quia dominium fuit translatum *arg. d. l. ult.* D. Wissenb. *ad h. t. th.* 30. & 31.

12. Po-

12. Potest etiam & solet adjici tempus, quo elapso, extinguitur actio. Nullo tempore adjecto, verius est, locum hic habere regulam *l.* 3. *C. d. præscr.* 30. *vel* 40. *ann.* siquidem jus hoc est, quod immediate ex contractu oritur; non obstant, quæ habet D. Wissenb. *disp.* 35. §. 32. & *disp.* 40. *th.* 32.

13. Postremo rescinditur venditio per retractum, quem Græci προτίμησιν vocant, quam licet finire; Jus, quo alius oblato eodem pretio, emptori, qui contraxit, præfertur. Competit ex triplici causa, consanguinitatis, societatis, vicinitatis. Constitutio Friderici *lib.* 5. *Fred. tit.* 13. meminit etiam *servitii.*

14. Inter consanguineos filius quoque venditoris admittitur, nisi sit heres patri *l.* 14. *C. d. rei vind.* & fœminis æque ac maribus datur. Constitutio enim Friderici, quam pro fonte hujus juris habemus, loquitur indistincte.

15. Propinquiorem agnatum excludere remotiorem, quia jus proximitatis attenditur, consentaneum est, nisi emptor sit ipse cognatus, licet remotior; tunc enim cessat ratio hujus retractus, quæ est, cautio, ne res extra familiam alienetur *d. const.*

16. Sub sociis omnes qui rem habent pro indiviso communem continentur; nam qui rem divisam habent potius vicini dicuntur; per hos autem intelligimus, qui rem venditam suis prædiis contingunt, qui in d. const. *Conjunctii* vocantur.

17. *Casus*; duo sunt ædium domini, partis inferioris alter & alter superioris contignationis; quæsitum est, communio hæc, an Vicinia sit. Dixi consultus, non esse communionem accuratè loquendo, quia pro diviso possident; sed in causâ retractus, cum partes separari nequeant, videri pro communione habendam.

18. Cognati primum jus habent, tum socii, his non retrahentibus, vicini *d. const.* duo par jus habentes, quando alter est emptor, adversus se invicem retractu non utuntur; imo nec etsi hic magis, quam ille sit cogna-

tus, socius aut vicinus, quod secus est, *si uterque ad retrahendum concurrat*. Sand. 3. 5. 9.

19. Statutum duas retrahendi causas memorat, sanguinem & vicinitatem: quæritur, utrum communio vi Statuti illius excludatur. Non videtur, quia rem communem habentes sunt utique & vicini, quos ita non excludit statutum, nec abrogat discrimen inter hos gradus, qui in *d. Const.* statuuntur, quam pro jure communi servamus. Sic olim Wissenbachius & ego respondimus, & sic Curia censuit; ac ita cautum est novo *Jure Frisico*.

20. Locum habet in rebus immobilibus, quæque cohærent illis, non etiam in juribus rerum immobilium, ut annuis reditibus, qui ex fundis præstantur, nec in hereditatibus, etsi res quoque immobiles complectantur, Sand. *l.* 3. *tit.* 5. *def.* 2. & 3. aliter D. Wissenb. *p.* 1. *disp.* 36. *th.* 11.

21. Usum habet in venditione potissimum; etiam in emphyteusi & locatione longi temporis; ut quidem vult Frider. *in d. const.* non in dote, donatione, divisione, permutatione *d. const.*

22. Quid si emptor simulaverit, esse donatum sibi vel legatum? Emptio venditio est irrita. Quod si juraverit falso (ad quod tenetur, si flagitent hi quorum interest), perdit rem atque pretium, & res publicatur; at fiscus eam rursus vendit iis, quibus competebat jus προτιμήσεως *d. constit. vers. adeoque.*

23. Actio de retractu, cum citra conventionem ex lege oriatur, non est personalis simpliciter, nec in rem, sed in rem scripta, ut & contra tertium possessorem detur, cum alioquin effectum habere nequeat. Sed tertio hanc actionem cedi non posse, ratio dictat, quia in tertio cessat ratio juris, quæ retractum introduxit. D. Wissenb. *th.* 13. *d. disp.*

24. Jus προτιμήσεως amittitur tribus modis, consensu, ingratitudine & præscriptione *d. Constit. Prid.*

25. Præscribitur huic actioni XXX. diebus, aut ex magna causa 4. mensibus, ibid. Sed in foro annus ac dies

dies fere ubique huic juri præscriptus est, intra quod tempus retrahens pretium emptori cum impensis restituit *d. const.* Emptor vicissim rem cum fructibus præstat. *arg. l. 2. C. d. pact. int. emp. & vend.*

26. Jure Frisico durat jus retractus, quandiu emptio venditio trinis vicibus non fuerit promulgata, quod intra annum fieri debet, *lib. 1. Statut. tit. 12. §. 2. & 3.* Si tamen emptor promulgationem diutius distulerit, jus προτιμήσεως salvum manet, Sand. *d. tit. 5. def. 5.* sed is, cui hoc competit, potest emptorem compellere ad promulgationem intra tempus legitimum faciendam, Sand. decis. *seqn. in fin.*

27. Cæterum, quia contractus consensu tollitur ipso jure emptio venditio, putem ex ratione juris, si contrahentes, re adhuc integra, vere non simulate à contractu discesserint, cessare jus Retractus. Nescio an aliter Sandius. 3. 5. 6.

28. Consensu, quando is, cui jus hoc comparatum est, ei renuntiat.

29. Ingratitudinis hic eædem causæ intelliguntur, propter quas donatio revocatur, quas *vid. ad tit. Inst. de don.* excipe pactum non impletum, quæ causa hinc abest.

TIT. VI.

De Periculo & commodo rei venditæ.

PEriculum casus fortuiti ante traditionem pertinere ad emptorem contra regulam *l. 9. C. de pign. act.* diximus in parte I. *lib. 3. tit. 24. n. 15. & seqq.* licet emptio in diem contracta sit *arg. §. 3. f. d. V. O.* secus si sub conditione *l. 5. C. h. t.*

2. Si duæ res alternative vendantur, utraque pereunte, idem juris est, sed alterutra extinctâ, damnum erit venditoris *l. 34. §. 6. d. contrah. empt.*

3. Periculum culpæ venditor sine dubio præstat; *l. 3. h. t.* Tale commissum est in *l. 12. h. t.* ubi lecti in

viâ publicâ positi ab ædile, viarum curam habente ut viatoribus molesti, concisi sunt.

4. Perinde culpa est in *l.* 14. §. 1. *b. t.* ubi de materia furto surrepta; Nam is qui rem sibi furto subduci patitur, culpæ reus intelligitur, *arg.* §. 13. *Inst. de obl. ex del.* & *l.* 14. §. 12 *d. Furt.*

5. De vino vendito sic juris est: Si aversione, hoc est, integris doliis vendatur, nihil variatur, nisi convenerit, ut prius degustaretur. Tunc enim ante degustationem, substantiæ quidem periculum ad emptorem, acoris & mucoris ad venditorem pertinet.

6. Sed vinum metretis simpliciter venditum, periculo venditoris est, ante admensionem, quia venditio saltem quod ad periculum attinet, prius perfecta non est *l.* 35. §. 5. *d. cont. empt.* nisi degustatum fuerit; nam tunc periculum acoris & mucoris emptori imputatur, sic tamen, ut venditor culpam leviſſimam præstet *l.* 2. §. 1. *l.* 3. *l.* 4. *b. t.*

7. Post admensionem vero ante traditionem periculum & substantiæ & qualitatis emptori incumbere non dubitatur.

8. Denique, si tempus admensioni sit dictum, eo elapso, venditor ad periculum ferendum non tenetur, sed potest vel effundere vinum, aut in id quod interest agere *l.* 1. §. 3. *l.* 4. *in fin. h.* adde, quæ dix. ad *d. tit. Inst. d. n.* 15.

TIT. VII.

De Serv. Export.

SI pactum de servo extra Italiam exportando, non fuerit servatum, actio ex empto nascitur, non obstante ratione *l.* 7. *h.* quæ retractatur in *l.* 6. *b. t.* sed pactum de manumittendo & de non manumittendo operatur ipso jure, si emptores ea non servaverint. Violatumque facit actum contrarium ipso jure nullum *l. ult. b. l.* 2. & 3. *C. si manc. ita alien.*

LIB.

LIB. XIX.

TIT. I.

De actionibus Empti.

ACtio, quæ datur emptori dicitur actio ex empto, quæ venditori, ex vendito, hac rubr. *l.* 19. *d. hered. vend.* quanquam & empti actio dicitur, quæ contra emptorem competit, & venditi, quæ contra venditorem *l.* 4. §. *pen. d. leg. commiſſ. l.* 26. *l.* 66. §. *pen. d. Evict.* Sequimur tamen communiter morem hujus rubricæ. Satisfactum ex parte huic rubricæ ad *tit. Inſt. de Empt. vendit. n.* 23. *& ſeqq. item th.* 13. *& ſequ.*

2. Adde hæc; Ædes venditas ſequuntur, quæ perpetui uſus cauſa in illis ſunt, licet non adfixa, ut ſeræ penſiles, claves, clauſtra, opercula puteorum, perſonæ ex quarum roſtris aqua fluit, quæque detracta ſunt ædibus ut reponantur, non quæ parata ſunt ut imponantur *d. l.* 17. *in pr.* §. 7. 8. *& ſeqq.*

3. Atque hæc & ſimilia deberi videntur emptori, licet dictum ſit, ædes vendi, cum iis quæ terra, parietibus & clavis tenentur, ut vulgo fit; non tamen laminæ focales aut lecti, vel ſcalæ, ſi mobiles nec fixæ ſint, niſi ſi quo aliter adſcendi nequeat *arg. d. l.* 17. §. 7.

4. Agro ad certa jugera vendito pretioque in ſingula conſtituto, ſi plus minuſve reperiatur, ſumma pretii augetur, vel minuitur. Secus, ſi ad ſpeciem vendatur *l.* 40. §. 1. *d. contrab. empt.* formulæ verborum cáute examinandæ; bene, ſi addatur, *pro menſura nummi*, aut, *quantus quantus ſit*, ut fere noſtrates. Pactum de tempore metiendi ſervandum eſt, ſed & ubi verba varie ſe habent *d. l.* 40. *in pr.* vide auctores apud Wiſſenb. *ad d. tit. th.* 6.

5. Si de re venditâ mentitus eſt, ut rem pluris ven-

deret, tenetur venditor. *d. l.* §. 4. etſi in qualitate tantum, non in modo ſit mentitus, *l.* 22. *l.* 41. *h. l.* 45. *d. Evict.* item, ſi quid ex oneribus rei aliter profeſſus ſit in tabula publica, quàm in ea re eſt, ſciens, tenetur in id quod intereſt; tametſi in conditionibus apud venditionem aliter poſuerit, nec id ab emptore animadverſum ſit *l.* 13. §. 6. *d. act. empt.* Sand. 3. 4. 6. Mutuus dolus compenſatur *l.* 57. §. *f. d. contrab. empt.*

6. Vacuam quoque poſſeſſionem tradere debet venditor, hoc eſt, quam alius nemo civiliter aut naturaliter poſſideat *l.* 2. §. 1. *l.* 3. *pr. d. act. emp.* & ad cautionem, quoties periculum evictionis imminet, tenetur *l.* 24. *C. de Evict.* Sand. *lib.* 4. *tit.* 4. *def.* 9.

7. Qui rem ſciens vitioſam vendidit, tenetur in omne quod intereſt; ſi ignorans, tantum in id, quanti res minoris fuerit *l.* 13. *in pr. d. act. emp.*

8. At in *l.* 19. §. 1. *locati*, indiſtincte in id quod intereſt convenitur: forte ita, ſi damnum immediatè ex eo vitio inferri debuit, ut ſi vinum in vaſe pertuſo ſit venditum. Secus, in vitio, quod damnum, interveniente facto emptoris, adferat; ut in pecore morboſo, in tigno vitioſo. *d. ll.*

9. Etiam hoc, quod Vino vendito, vaſa quoque debentur, in quæ vinum ſolet diffundi *l.* 6. *cum. l.* 15. *d. trit. vin. ol. leg.* dolia vero majora non debentur *l.* 1. §. 3. *d. peric.* & *comm. rei vend.*

10 Intellige talia, quæ ob magnitudinem vix loco moveri poſſunt, & quæ habentur, ut in cellis perpetuo maneant. Minores quoque metretæ, quibus pro arbitrio quiſque emit vinum, non accedunt, verum reddi aut ſolvi debent. Ergo ſola vaſa, in quibus vinum à venditoribus ordinario contineri atque dimitti ſolet, acceſſionis loco ſunt, velut in Gallico vino *capita boum* ita dicta, & hoc jure utimur.

TIT.

TIT. II.
Locati Conducti.

DE locatione conductione actionibusque inde oriundis egimus ex professo in *parte I. lib. 3. t. 25.* Adde.

2. Invitus nemo in locatione semel finitâ persistit, nec locator neque conductor *l. 32. C. Locati.*

3. Sed publici prædii conductoribus tribuitur, ut aliis, si tantundem mercedis offerant, præferantur *l. 4. 5. inf. C. de locat. præd. civil. fiscal. sive templorum.*

4. Argum d. Rubr. extenditur hoc jus ad prædia templorum, non ad ecclesiastica, nec domuum miserabilium. Sand. *d. tit. 6. def. 2. in fin.*

5. Idem privilegium habent studiosi ex jure canonico *c. 1. X. de locat. cond.* idque moribus servatur. Sand. *d. def. 2.*

6. Si quid pacto vel moribus hac parte ulterius in usu sit, id haud dubie servandum *d. l. 32. Sand. ibid.*

7. Publicani & conductores prædiorum publicorum viceversa non detinentur inviti in conductione *l. 3. §. 6. d. jur. Fisc.* nisi maximos fructus tulerint, & locatio bonis conditionibus denuo fieri nequeat, *l. 11. §. ult. d. publican.*

8. Impensas ultra quam ex natura contractus tenebatur, factas conductor repetere potest, at non aliter quam si res melior facta sit *l. 55. §. 1. Locati*, nec ultra quam impendit, recuperat, etsi melioratio longe sit pluris *l. 61. h. t.* Sand. 3. 6. 8.

9. Hinc si arbores plantaverit, finita locatione, non consequitur æstimationem præsentem, sed impensas plantationis duntaxat; secus est in arboribus, quarum ipse initio locationis dominus fuerat. *Sand. ibid.*

10. Hæc perinde locum habebunt, seu tempore suo seu culpa finita sit locatio; nam & tum verius est, repeti impensas majores, quæ quidem ad percipiendos

fructus aut usum rei exercendum non requirebantur, ut si consentiente domino novam villam exstruxerit, aut veterem totam refecerit conductor, exemplo ejus quod de emphyteusi diximus *ad tit. I. de Locat. n. ult.*

11. Pro meliorationibus servandis conductor habet retentionem *l.* 33. *in fin. d. Condict. Indeb. l. pen. in f. pr. Locati.* si tamen illiquidæ sint, dominus offerendo satisdationem compellere potest ad cedendum, per *l. 5. d statulib.* Fachin. 7. *controv. c.* 91. Sand 3. 15. 5.

12. Si colonus alii rursus eosdem agros locaverit, fructus etiam ab hoc fati domino tenebuntur, non res invectæ & illatæ, cum hæ in prædiis rusticis omnino non teneantur *l.* 24. §. 1. *locati.* In prædiis urbanis tenentur quidem res illatæ, sed actio pignoris personalem locati sequi videtur, ut pignus non competat domino, sed priori inquilino, qui secundo rem locavit *l.* 11. §. 5. *d. pign. act. verb. pignoratitia adversus te potero experiri.* vid. D. Wissenb. *ad tit. ex quib. caus. pign. tac. th.* 18.

TIT. III.

De Æstimatoria.

SUbjicitur notitia contractuum innominatorum, de quibus actum *ad tit. Inst. de obligat. n.* 25. *& seqq.* ibidemque dictum, quomodo hi à pactis nudis differant, à priore quidem; nam effectis proculdubio plurimis discrepant *l.* 7. *in pr.* §. 1. *& seqq. de pact.*

2. Videlicet, quædam conventiones propter usum earum necessarium & frequentem, certis nominibus sunt præditæ, quædam infrequentiores nomina certa non sunt adeptæ, vi tamen actionum munitæ; illi contractus sunt nominati, hos vocamus innominatos: ubi nec nomina nec actiones dantur, hæc pacta nuda sunt & manent *d. l.* 7.

3. Ex nominatis conventionibus, quæ maxime expediti commercii erant, hæ ex solo consensu vim obligandi

gandi acceperit. tales quatuor proditæ sunt; emptio venditio, locatio, conductio, societas, mandatum.

4. Contractus benefici, ut mutuum, commodatum, depositum sua naturâ non sunt mercatorii, ideoque nihil necesse fuit, iis à solo consensu vim agendi tribuere, quod nec factum, nam conventio de mutuando, commodando, deponendo non parit actionem *l.* 30. *d. Reb. cred.* opus est re tradita *supr. quib. mod. Re contrah.*

5. His additum fuit pignus, quia non erat contractus per & propter se §. *ult. eod. tit.* Prætor tamen videns frequentem pignoris usum, ei quoque è nudo consensu vim agendi adscripsit *in l.* 17. §. 2. *d. Pact.*

6. Conceptio verborum & scriptura quamobrem in quibusdam obligationibus requisitæ fuerint, diximus *tit. præced. & de verb. obliz. n.* 5. & 6.

7 Est inter innominatos contractus æstimatorius, cum æstimata res datur vendenda, sub hac lege, ut vel ipsa, vel ejus æstimatio restituatur, quod proprie nec locare est, nec vendere, sed mediæ naturæ *l.* 1. *b.*

8. Periculum ad eum pertinet, cujus gratia vel rogatu contractus est initus *l.* 17. *d. præscr. verb.* unde supplenda *l.* 1. §. 1. *b.*

9. Ne quidem si merces detur, fit locatio; sed quia tunc proprius ad eam accedit, datur utilis *actio l.* 2. *b.*

TIT. IV.

De Permutatione.

PRinceps contractuum innominatorum est permutatio, quæ nomen ex antiquo habet, eo quod ante nummum inventum erat usitatissimus. Est autem, quando certa species pro alia specie datur atque transfertur. Imitamento reliquorum dicitur etiam do ut des *l.* 5. §. 1. & 2. *in fin. d. præscr. verb.* nam quod alii eos distinguunt; vix usum habere videtur.

2. In multis cum venditione convenit, ut in evi-

actionem docet *l.* 15. *b.* utique si per factum alterius cum ipsius damno locupletior sit alter secus, de dolo agendum *l.* 5. §. 3. *b.* quæ sic accipienda videtur; nisi dicere malis, Ulpianum in *d. l.* 15. *in fine* subscribere sententiæ Pauli, quæ est in *d. l.* 5. §. 2. Aliter Wissenbach. *ad h. t. th. uls.*

Pars. IV. Pandectarum.

LIB. XX.

TIT. I.

De Pignor. & Hypothecis & qualiter ea contrahantur & de pactis eorum.

SEquitur pars IV. Pandectarum, quæ duas habet partes; de accessoriis contractuum, & de actionibus ex jure mere personali oriundis. Pars prior de pignoribus incipit: de contractu pignoratitio & actione personali inde oriunda *in parte* I. est dictum.

2. Pignus, græce hypotheca *l.* 5. §. 1. *b.* nihil est aliud, quam res obligata creditori in ejus securitatem, vel si mavis, est jus creditori securitatis ergo in re debitoris constitutum.

3. Est vel publicum, vel privatum. Publicum à lege, vel à magistratu constituitur; quod est à lege, vocatur hypotheca tacita, & *tit. sequ.* occurret.

4. Quod à magistratu, rursus Prætorium vel judiciale est. Illud per missionem in possessionem bonorum fit, de quo in *tit. ex quib. caus. in poss.* hoc per pignoris capionem, judicati exequendi causâ *l.* 15. §. 2. *d. re judic.* fit etiam utique à prætore *d. l.* 15. sed propter judicium, unde nomen *judiciale.*

5. Est

5. Est & aliud pignus prætorium, quod capiunt magistratus, ad coercendos contumaces, cujus exemplum est in §. *pen. I. d. Satisdat.*

6. Privatum vel ex ultima voluntate vel à conventione est; de priori habes *l.* 26. *d. Pignor. act.* conventionale rursus est è pacto nudo aut è contractu.

7. Quod ex pacto venit, specialiter hypotheca dicitur, ejusque possessio manet penes debitorem *l.* 4. *h. l.* 9. §. 2. *d. pign. act. l.* 17. §. 2. *d. pact.* estque usitatissima in contractibus, ut quoque intelligatur in iis, etsi parum diserte expressa; velut, fide & periculo rerum ad me pertinentium, sive, per exactionem mearum rerum *l. ult. C. Quæ res pign.*

8. Quod traditur creditori, id in specie vocatur Pignus d. §. 2. de quo est contractus realis, quem exposuimus ad tit. Inst. de oblig. quæ re *contrab. n.* 42. *& seqq.* ubi & de actione pignoratitia ad hoc pignus repetendum.

9. Hypotheca dividitur in generalem, quâ omnia bona obligantur, & specialem, quæ de certis rebus est. Sub generali continentur etiam res futuræ ipsius debitoris *l. ult. C. Quæ res pign.* non heredis ejus *l.* 29. *pr. h. t.* at nec talia, quæ debitor non præsumitur specialiter fuisse pignori daturus, ut sunt res necessarii usus *l.* 6. *h. t.* nisi forte verba valde prægnantia & efficacia sint, ut appareat, contrahentes nihil excludere voluisse. Tu vide Sand. *l.* 3. *tit.* 12. *def.* 9.

10. Nec tantum res propriæ sub generali hypotheca tenentur, sed omnia quæ in, aut ex bonis sunt, ut nomina *arg. l.* 49. *d. V. S.* agri usufructuarii & emphyteutici *l.* 16. §. *ult. d. pign. act.* scil: ita, ut finito usufructu & emphyteusi, pignus quoque finiatur *l.* 31. *h. t.*

11. Generalis hypotheca res omnes & singulas afficit, ut nonnisi cum onere suo alienentur *l.* 2. *Qui pot. in pig. l.* 6. *C. eod. l. un. C. Rem alien. gerent.* exceptis mercibus tabernæ obligatæ, quæ commercii causâ liberæ sunt. Taberna tota pignori supposita est *l.* 34. *h. t.*

hypothe-

hypotheca ſpecialis hoc addit, quod alienationem fieri prohibet, ita ut furtum vel ſaltem ſtellionatus committatur *l.* 66. *d. Furt. l.* 3. §. 1. *d. Stellion.*

12. Actio ex hypothecâ, ut & pignore proprie dicto eſt hypothecaria *in rem*, *l.* 17. *h.* quam habuimus *ad tit. Inſt. de Action. n.* 26. eſt autem directa vel utilis: Directa datur creditori, ad perſequendas res corporales tam mobiles quam immobiles, à quolibet poſſeſſore §. 7. *d. tit. & paſſim.*

13. Sed jure novo tertius poſſeſſor habet beneficium ordinis, ut primo debitor ejuſve heres & ſponſores excutiantur *Nov.* 4. *c.* 2. qua derogatum *l.* 14. *C. de pignor.* Neque diſtinguendum inter generalem & ſpecialem hypothecam, ut multi volunt ex *N.* 112. *cap.* 1. *verſ. ab hoc.* quæ loquitur de re, quam debitor vendidit, lite cum ipſo conteſtata. *argum. rubr. de litig.*

14. Utilis datur ad perſequenda nomina & jura incorporalia, ſeu generaliter, ſive ſpecialiter pignori obligata ſint *l.* 4. *C. Quæ res pign.* juncta *l.* 13. §. 2. *h. t. l.* 18. *in pr. d. pignor. act. l.* 7. *C. de hered. vel act. vend.* quibus locis actiones utiles jure pignoris ſuper nominibus memorantur. Sand. *l.* 3. *t.* 12. *def.* 24.

15. In hac utili non habere locum beneficium diſcuſſionis multi volunt. Sand. *d. tit.* 12. *def.* 25. quod habet rationem, ſi agatur adverſus eum, qui immediate obligatus eſt debitori meo, nec enim hujus intereſt, utri ſolvat; ſecus eſt, ſi utilis hypothecaria moveatur in nomen alii ceſſum, ut fit.

16. Datur & utilis hypothecaria in nummos ex re pignorata redactos & adhuc extantes, item in conſumptos, ſi ab his qui accepere, cautum ſit de reſtituendo *l.* 12. §. 5. *D. Qui pot. in pign.* directa non datur. Sand. *l.* 3. *t.* 12. *def.* 27.

17. Dari hypothecariam æquè de mobilibus ac immobilibus contrà quemlibet poſſeſſorem jure civili, *tot. h. t. & paſſim.* liquet: atqui moribus hodiernis fere obtinet regula hæc, *mobilia non habent ſequelam*; cujus

jus vi tertius poſſeſſor rei mobilis pignori aut hypothecæ obligatæ non tenetur hypothecariâ. Grot. 2. *introd.* 48. *n.* 34. Fab. ad *tit. C. de Trebell. def.* 11. *n.* 8. 9. In Friſiâ magis eſt, ut jure civili quoque hac parte ſtemus; idque etiam in nominibus, quæ iidem aliique Interpp. rebus mobilibus adcenſent, obſervatur.

18. Singuli heredes debitoris, etſi pro parte teneantur actione perſonali, tamen hypothecaria convenți cedere debent eo, quod poſſident, aut totum ſolvere, *l.* 1. & 2. *C. Si unus ex plur. hered. l.* 1. *C. de Luit. pign. l.* 16. *C. de diſtract. pign.* quia hypothecaria eſt individua *l.* 65, *d. Evict.* quod minime eſt mutatum per *Nov.* 4. Excipitur hypotheca legatorum *l.* 1. *verſ. in omnibus ſub fin. C. Comm. de legat.* Sand. 3. 12. 23.

19. Denique nota, in hanc actionem venire etiam quod rei pigneratæ accedit, ut fructus, *l.* 3. *C. in quib. cauſ. pign. taci. contrab.* partus ancillæ, *l.* 29. §. 1. *h. t.* & quod per alluvionem fundo pignorato acceſſit, *l. ſi fundus* 16. *in princ. h.* & *l.* 18. §. 1. & *ſequ. de pign. act.* niſi fructus ſint ante litem conteſtatam percepti, & vel non extent, vel ex re principali poſſit creditori ſatisfieri. *d. l.* 16. §. 4.

20. Qui rem creditori agenti aut pecuniam non reſtituit dolo malo, condemnatur in æſtimationem, per jusjurandum in litem *d. l.* 16. §. 3. licet minus creditori debeatur. Nam alioqui ſolvendo debitum aut æſtimationem pignoris dando liberatur *d. l.* 16. §. 6. licet ipſe debitor nunquam in majorem quantitatem damnetur, quam actori debeat. *l.* 21. §. *ult. h.*

21. Pars altera hujus tit. eſt de pactis pignorum, quæ ſunt vel licita, vel illicita. Ex licitis primum eſt ἀντιχρήσεως, ſive mutui uſus, quo convenit, ut creditor pignore loco uſurarum utatur fruatur; ideoque ſi prædium ſit, poteſt hoclocare, vel ipſe colere pro lubitu, penſioneſque vel fructus retinere *l.* 11. §. 1. *h.*

22. Diſtinguitur antichreſis in expreſſam & tacitam: Illa, cum aperte dictum eſt, ut creditor fructus habeat:

beat: hæc, quando debitor pecuniam ſine uſuris habet; atque tum creditor uſuras è fructibus capere poteſt, ſed non ultra legitimum uſuræ modum *l.* 8. *tit. ſeqq.*

23. In expreſſa antichreſi propter incertum fructuum proventum, nihil vetat, illum modum excedi *l.* 14. & *l.* 17. *C. de uſur.* niſi per locationem, certa merces ultra eum modum conſtituta ſit, id non licet *d. l.* 14. *verb. non etiam locando.*

24. Valet etiam pactum de pignore vendendo creditori, ſi intra certum tempus debitor non ſolvat *l.* 1. *C. de pact. pign.* re tum juſto pretio æſtimandâ *l.* 16. §. *ult. h.*

25. Sed hujuſmodi pactum, ut, ſi intra certum tempus debitor non ſolvat, pignus ſit creditoris proprium, quæ eſt lex commiſſoria, non valet *l. ult. C. de pact. pign.* nequidem, ſi pretium inde ab initio conſtituatur *arg. d. l. ult.* & *l.* 34. *d. pign. act.* ubi ea demum venditio probatur, quæ fit, quando creditor pignus erat diſtracturus.

TIT. II.

Quib. ex cauſis pign. tacitè contr.

PIgnus tam generale quam ſpeciale dividitur in expreſſum & tacitum. Pignus tacitum lege conſtituitur, cujus multæ ſpecies enumerantur. D. Schotanus in *exam. h. t.* habet ſedecim. Nos ſeptem in ſumma ponimus: quæ diſcerni poſſunt in generalia, quæ de omnibus bonis, & in ſpecialia, quæ de certis rebus.

2. Generalia tacita in hoc ab expreſſis differunt, quod ab his non excipiuntur res neceſſariæ, ut ſupellex, nam lex 6. *tit. præced.* de pignore conventionali agit, nec eſt obſcura differentiæ ratio. Exempla generalium ſunt quinque.

3. Primum datur mulieri in omnibus bonis mariti pro

pro dote reſtituenda & pro paraphernalibus *l. un.* §. 1. *C. de rei uxor. act. l. ult. C. d. pact. ſup. dot.*

4. II. Liberis in bonis patris pro conſervatione bonorum maternorum & in bona Parentis binubi pro iis, quæ à priori conjuge, vel à liberis prioris matrimonii ad eum pervenerunt. Nec non in matris & vitrici bonis ob tutelam à matre geſtam, non redditis rationibus *l.* 6. §. *ult. C. d. bon. quæ lib. l.* 8. §. *ult. C. de Sec. Nupt. l.* 6 *C. In quib. cauſ. pign. tac.*

5. III. Minoribus & pupillis in bonis tutorum & curatorum *l.* 20. *C. d. admin. tut.* ante quam I. non conſtat, tacitam hypothecam illis fuiſſe datam, etſi privilegium in perſonalibus jam pridem habuerint *l.* 19. & *ſeqq. d. reb. auct. jud. poſſ.* Diſſ. D. Wiſſenb. *diſp. ff.* 51. *parte I. th.* 11.

6. Idem pignus ad civitates in bonis adminiſtratorum ſuorum ſolet extendi *arg. l.* 4. *C. quib. cauſ. major.* ubi Reſpub. jure minorum uti dicuntur, quod & de Eccleſia ſtatuendum *l.* 19. *l.* 23. *C. de SS. Eccl.* Neguzant. de pignor. memb. 4. *part.* 2. *n.* 120. & *ſeqq.*, alioqui Civitas in bonis debitoris ſui non habet tacitum pignus *l.* 8. *Qui potior in pign. Sand.* 3. 12. 1.

7. IV. Fiſco datur in bonis debitoris, propter tributa & ex contractu *l.* 1. & 2. *C. h. t. l.* 46. §. 3. *d. jur. fiſc.* non in pœnis *l.* 17. & 37. *eod.*

8. V. Legatariis & fideicommiſſariis in bonis teſtatorum *l.* 1. *C. Comm. d. leg. & fideic.*

9. Sequuntur ſpecialia, quorum primum datur ei, qui ad refectionem ædificii credidit, ſive ipſi domino, ſeu redemptori operis *l.* 1. *h.* quod ad naves ſine lege, licet ratione ſuffragante, non licet extendere. D. Wiſſenb. *ad h. t. th.* 1. quanquam de Hollandia non dubitat Grot. *lib.* 2. *introd. c.* 48. *n.* 14. neque etiam ad ædificationem vel emptionem novæ domus extenditur, de quo Sand. *lib.* 3. *tit.* 12. *def.* 5.

10. Secundum competit Domino prædii urbani, in rebus invectis illatiſque, ſub quibus res etiam venales, ſup-

ſuppellex, atque minorum res comprehenduntur, Gail. 2. *obſ.* 83 Perez. *ad h.t. C. n.* 6. Wiſſenb. *h.t. th.* 19. Dominio prædii ruſtici in fructibus, *l.* 4. & 7. *h.t.* non in rebus invectis, niſi nominatim convenerit; & ſic cap. *l.* 5. *C. Loc. cond.*

11. Tertium addunt Interpp. in fundo ex quo annuus reditus eſt conſtitutus, qua de re Sand. *lib.* 3. *tit.* 12. *def.* 8. ſed cum lex nulla hanc in rem proferatur, neque ex ſola conventione naſci queat, juri R. hoc vix adſcribi poteſt. Neque enim ſufficit *l. ult.* §. *ult. d. contr. empt.* quæ potius diſerte negat, conventionem de reditu ultra perſonas contrahentium extendi; licet aliter D. Sand. *d.l.* & Schotanus ad *h. tit.*

12. Quartum à multis ponitur Arreſtum, quo res præcluduntur, & ex quo naſci volunt jus in Re, quaſi pignus legale; ſed ut hoc pene totum a jure civili alienum eſt, ſicut alias diximus, ita pignoris ſpeciem hinc fabricari abſurdum.

13. Moribus tamen plurium populorum ita obtinuit, ſaltem ubi Arreſtum ſententiâ confirmatum eſt, eaque ſententia laudatur à Peckio cap. 40. *de jur. ſiſt. n.* 8.

TIT. III.

Quæ res pignori vel hypothecæ datæ obligari non poſſunt.

GAjus in *l.* 9. §. 1. *d. pign.* quod emptionem venditionemque recipit, etiam pignorationem, ait, recipere poteſt. Sed ecce, rem alienam vendi poſſe nulla dubitatio eſt *l.* 28. *d. contr. empt.* at rem alienam non poſſe pignorari certiſſimum eſt *l.* 9. *pr. l.* 16. §. 1. *l.* 20. *pr. d pign. act. Tit. C. Si res alien. pign. data fuer.*

2. Ratio differentiæ hæc eſt; Rei venditæ dominium tranſit demum poſt contractum, hinc contractus ſubſiſtere dicitur, quia non requiritur ad ſubſiſtentiam ejus tranſlatio dominii: ſed pignus traditione perficitur; eodem actu quo traditur, jus in re transferre debet; quod

quod cum in re aliena fieri nequeat, dicitur non subsistere contractus. Ex emptione nascitur actio personalis; ex hypothecâ, in rem; quæ non potest usum habere in re aliena; alioqui dans pignori alienam rem æquè tenetur in id quod interest, ac venditor rerum alienarum *l.* 9. *d. pign. act.* P. Fab. 2 *semest.* 17.

3. Cæterum, posse rem nobis debitam nostramque mox futuram aliis valide à nobis oppignorari docet *l.* 3. §. 1. *Quipot. in pign.* Æque rem plane alienam sub conditione, si nostra fiat *arg. l.* 16. §. 1. *d. pign.*

4. Quin etiam pure convalescit, si debitor postea dominium sit nactus *l.* 41. *d. pign. act. l.* 56. *ff. de Sc. Treb.* aut si dominus rei factus sit heres debitoris *l.* 22. *d. pign.* quanquam Paulus in *d. l.* 41. aliter putat. Sed ratio *l.* 22. præferenda est; nisi credas in *d. l.* 41. non modo ignorasse, sed & contradixisse Dominum, quæ est vulgaris conciliatio, quam veram esse vix adseverare licet; cur autem omnino vera esse nequeat, nihil profertur. Confer *l.* 5. *C. Locati.* & *l.* 37. *ff. de leg. Jul. de adult.*

5. Denique, creditor ignorans rem fuisse alienam habet hypothecariam *l.* 1. *in pr. d. pign.* sciens nullam habet actionem, sed tantum retentionem *l.* 1. *d. pign. l.* 16. §. 1. *in fin. d. pignor. act.* non obstante *l.* 25. *d. Pign.*

6. Creditor etiam pignus à debitore acceptum alii pignori dare potest, quod tamen durat ex jure primi creditoris; secundo utilis actio & exceptio datur *l. un. C. Si pign. pignor. dat. l.* 13. §. 2. *d. pign. l.* 40. §. *ult. d. pign. act.*

7. Ejusmodi utilis exceptio datur ei, qui pignus à procuratore sine mandato domini accepit, modo pecunia in rem ejus versa fuerit *l.* 1. *C. Si res al. pign. d. l.* 13. §. 2. *d. pignor.*

8. Ex cæteris rebus quædam omnino prohibentur obligari, quædam certo modo: prioris generis sunt servitutes prædiales, nisi quod rusticæ utiliter & indirectè pignorari queant *l.* 12. §. *ult.* & *l. sequ. d. pignor.*

9. Res commercio exemptæ *l.* 3. *l.* 6. *C. h. t.* quas

inter ſine dubio ſunt homines liberi *l.* 1. *C. de Patrib. qui fil. diſtrax.* quanquam is qui ab hoſtibus redimitur, loco pignoris apud redemptorem manet, donec pretium reddat *l.* 15. *d. captiv. & poſtlim.*

10. Denique omnia, quæ lege vel teſtamento alienari prohibentur, pignus quoque non recipiunt *l. ult. C. de reb. al. non alien.* eaque inter fundi dotales *pr. I. quib. alien. lic.* ubi & de cæteris id genus.

11. Sub certo modo prohibentur, res pupillorum & minorum, quæ decretum Magiſtratus & cauſam neceſſitatis requirunt *l.* 22. *C. d. adm. tut.* inſtrumenta ad agriculturam parata, hactenus ut agricolis auferri nequeant *l.* 7. & 8. *junc. auth. agricultura C. h. t. l.* 32. *d. pign.* Præmia quoque athletarum prohibentur, dum ſperantur ſcilicet, *l.* 5. *C. h. t. junc. l.* 40. *d. re judic.*

12. Ratione perſonarum non valet pignus, quod ab his, qui jus contrahendi non habent, obligatum eſt, veluti à pupillo, ſervo, filiofamilias, extra peculium caſtrenſe *l.* 1. *h. t.*

TIT. IV.

Qui potiores in pignore.

IN perſecutione & diſtractione pignoris ſæpe ingentibus animis diſceptatur, uter alteri ſit præferendus. In hunc concurſum non veniunt rerum domini quive jus aliud in re habent, ſed hi antevertunt creditoribus *l.* 1. *C. d. priv. Fiſc.* qualis & venditor eſt, qui fidem de pretio non habuit §. 41. *I. d. R. D.*

2. Creditores judicantur diverſis regulis. Prima & ſumma eſt; hypothecarii, præferuntur nudis chirographariis, qui & perſonales dicuntur *l.* 3. 9. 10. *C. h. t.* excepto eo, qui in funus impendit *l.* 14. §. 1. *l. pen. d. relig.* item impenſis judicialibus *l. f. C. de jure delib.* §. *in comput.*

3. Inter hypothecarios primi ſunt privilegiati. Horum

rum ſunt 4. claſſes; Tres primæ ſunt ſingulares. Princeps locus, cauſæ primipilari, hoc eſt, annonæ militari debetur *l.* 3. & *ult. C. d. Primip. l.* 4. *C. In quib. cauſ. pign. tac.* cui adcenſeri videntur tributa *l.* 1. *C. Si propt. publ. penſit.* ubi Perez. Diſſ. D. Wiſſenbach. *ad h. t. th.* 14.

4. Alter locus cedit creditori emptæ atque pignoratæ ſibi militiæ *Nov.* 97. *c.* 4.

5. Tertius, mulieri in dote *d. c.* 4. *l. ult. C. h. t.* quod jus etiam liberis, non extraneis heredibus competit *d. l. ult. verſ. exceptis C. h. t.*

6. Quartus locus datur pluribus; primo, creditori ad reſtitutionem inſulæ *l.* 1. *in quib. cauſis pign.* item his, qui ad rem comparandam ſervandamve crediderunt *l.* 5. *h. l.* 7. *C. h.* vel aliter impenſas in eam rem fecerunt *l.* 6. *eod.* præſuppoſito, quod de pignore convenerit *dd. ll.* Dein pupillis in rebus pecunia ſua emptis *l.* 7. *pr. h.* Denique ei, qui ſua pecunia aliquem ab hoſte redemit *l. pen. C. d. Serv. pign. dat.*

7. His omnibus quartum dari locum probatur, quia tres prædicti ſuis quiſque locis præferuntur his quatuor, & hi reliquis hypothecariis præferuntur, ut textus loquuntur.

8. Ipſorum autem concurſus ordinatur regula vulgari: qui tempore prior, is jure potior eſt, pares concurrunt, ut exemplo patet in *l.* 7. *h. t.*

9. Igitur, poſt hos vocantur omnes hypothecarii tam expreſſi quàm taciti, quibus nullum nominatim datur privilegium.

10. Ex eorum numero eſt fiſcus, cujus quidem inter perſonales noſcitur privilegium, nullum in hypothecariis *l.* 8. & *ult. h.* niſi forte in rebus poſt ſuum contractum quæſitis *l.* 28. *d. jur. fiſc.* quam L. ita cum *d. l. ult.* conciliare licet.

11. Pupilli quoque & minores huc pertinent, quibus nihil uſquam ultra ſimplicem hypothecam datur *l.* 20. *C. d. adm. tut. junc. l.* 7. *h.* & additâ *l.* 19. *cum.*

seq. d. reb. auth. jud. poss. ubi est privilegium inter personales.

12. In horum omnium concursu locum habet regula, quod is qui prior est tempore potior sit jure *l.* 2. & 11. *h. l.* 2. 4. 6. 7. 8. *C. h.* licet prior sub conditione vel in diem, posterior pure acceperit pignus: eique locus etiam est in pignore judiciali, quod exequendæ sententiæ causa statuitur *l.* 10. *h. l.* 19. & 61. *d. rejud.* etiam quando diversæ pignorum species inter se concurrunt *d. l.* 10. & *l.* 2. *C. h. t.* vel duo pignus ceperunt à non domino, *l.* 14. *h.*

13. Temporis autem prioritas æstimatur non modo ex dierum, sed & horarum minoribusque intervallis, non obstante *l.* 16. §. 8. *d. pign.* Verba enim illic, *eodem die*, non pertinent ad quæstionem de concursu creditorum, sed ad jus agendi in solidum contra possessorem, quod primo venienti creditori datur. Adde D. Wissenb. *parte I. ff. disp.* 40. *th.* 4. Diss. D. A. Matth. *disp.* 14. *de Judic. th.* 25.

14. Tempus autem pignorationis, non contractus, cui pignus accedit, spectatur *l.* 11 *pr.* & §. 2. pignorationis autem tempus est, quo vel res tradita est pignori *d. l.* 11. §. 2. vel conventio de pignore firmiter inita est *l.* 1. *in pr. h. t.*

15. Sed conventio, ut res fit hypothecæ, si pecuniam acceperit, vel ad eam summam, quam intra certum tempus numeraffet, non ligat in præsenti jus pignoris *d. l.* 1. §. 1. & *d. l.* 11 *in pr.*

16. Adeo autem vera est prædicta regula, ut primus, cui generaliter bona sunt obligata, præferatur secundo speciali, etiam in ea re certa *l.* 2. *h. l.* 6. *C. h. t.* nil obstante *l.* 7. § 1. *h.* nisi primus pariter specialis sit; nam tunc id actum videtur, ut primo speciale pignus excutiatur, reliqua in subsidium sint, *l.* 2. *C. d. Pign.* sine dubio autem hæc regula tam in rebus ante pignus generale, quàm postea acquisitis obtinet, per *l. ult. h. t. l. f. C. Quæ res pign.* De pignoris hyperochâ, vide *l. pen. h.*

17. Fallit

17. Fallit tamen regula temporis, primo in pignore prætorio *l.* 12. *d. reb. auth. jud. poſſ. l. ult. C. d. præt. pign.* ſcil: cum plures pignoris Prætorii ſunt conſortes; nam ſi prætorium pignus aliis pignoribus ſit antiquius, nihil eſt cauſæ, quare non & hoc caſu regula temporis valeat.

18. Secundo fallit, ſi quis rem vendiderit, in qua pignus ſibi pactus eſt, tantiſper dum pretium ſolvatur; nam hic prioribus hypothecariis præfertur *arg. l.* 2. *d. reb. eor. qui ſub tut. junc. l.* 48. *d. Pact. l.* 7. *C. h. t.* Herbai. *rer. quotid. c.* 3.

19. Fallit item, ſi poſterior hypotheca publico inſtrumento comprehenſa ſit, vel privato à tribus teſtibus ſubſcripto, cum prior hypotheca in ſequiori inſtrumento eſt *l.* 11. *C. h. t.* cui juri reſpondent hypothecæ in inſtrumentis publico ſigillo munitis, aut actis inſinuatis, ſecundum mores populorum. Stat. Friſ. *l.* 1. *tit.* 10. §. 2.

20. Denique fallit, cum poſterior hypothecarius ſolvit priori; hoc enim ipſo in locum ejus ſuccedit, invito etiam priore; quo nolente accipere pecuniam, obſignare eam poteſt *l.* 1. *C. h. t. l.* 22. *C. d. pign. l.* 22. §. *ult. l.* 12. §. 8. *h. t.* quod & obtinet, ſi prior ſit privilegiatus *l.* 1. & 2. *d. his qui in prior. cred. loc. ſucc.*

21. Extraneus, vel creditor mere perſonalis ſolvens primo creditori poteſt quidem per ceſſionem in jus prioris hypothecarii ſuccedere, ſed abſque ea nihil quam perſonalem habet actionem *l.* 7. *pr.* & §. 1. *h. t. l.* 16. §. 8. *d. Pign.*

22. Tandem hæc regula dictat, eos, qui tempore ſunt pares, æqualiter dividere pignus *l.* 7. *pr.* & §. 1. *h. t. l.* 16. §. 8. *d. Pign.*

23. Hactenus de Concurſu hypothecariorum. Sequuntur chirographarii, in quibus non temporis, ſed privilegii ratio habetur *l.* 17. & *ſeqq. l.* 32. *D. de reb. auct. jud poſſ.*

24. Sunt autem in perſonalibus privilegiati 1. fiſcus *l.* 10. *pr. ff. de Pact. l.* 2. *C. de privil. fiſc.*

vel potius Respublica creditrix vi legis specialis *l.* 38. §. 1. juncta. *l.* 37. *d. reb. aut. Jud. poss.* 2. qui credidit ad comparandam vel conservandam rem aliquam, si non expresse pactus sit, ut ea res sibi pignori esset *l.* 17. *C. de pign. & hyp. l.* 26. & 34. *D. de reb. auct. jud. poss. Nov.* 97. *cap.* 3.

25. Sponsa, si dotem prorogaverit sponso *l.* 74. *D. ne jur. dot. l.* 17. §. 1. *D. de reb. auct. jud. poss.* qui pecuniam apud mensularium deposuit, si ea non extet, nec vindicari possit *l.* 24. §. 2. *D. eod. l.* 7. *D. Depos.*

26. Si plures privilegiati concurrant, Respub. creditum primum habet locum, *dd. ll.* postremus datur deponenti *d. l.* 24. §. *in bonis D. eod.* de reliquorum ordine nihil nominatim legimus, itaque concurrunt *l.* 32. *D. eod. l.* 2. *C. de privil. fisc.*

27. Si nulli sint privilegiati, veniunt non privilegiati, absque ulla temporis prærogativa *d. l.* 32. Dividunt ergo pecuniam ex venditione bonorum debitoris redactam æqualiter, proportione geometrica, imputando eam in usuras primum, dein in sortem, *l.* 5. §. 2. *d. solut.*

28 Excipe eum, qui privilegiato solvit; succedit enim in ejus locum *l.* 2. *d. cess. bon. d. l.* 24. §. *eorum de reb. auct. jud. poss.*

TIT. V.

De Distract. Pignor.

FInis contracti pignoris definit in hoc, ut creditor, si aliter nequeat, solutionem ex pretio pignoris consequatur; adeo, ut etsi convenerit, ne pignus alienare liceat, tamen distractio permissa sit, modo ter debitori, ut solvat, denuntietur *l.* 4. *d. pignor. act.* Novissima sanctio est in *l.* 3. *C. de jur. dom. impetr.* cujus sententiam exposuimus *ad tit. Inst. Quib. alien. lic. posit.* 4. & *in Prælect.*

2. Distractio debet fieri bona fide *l.* 10. *d. addict. in diem*

diem. & solenniter, hoc est, auctione publica *l. 9. C. h.* sic, ut creditor distrahens ipse non emat; *l.* 10. *C. h.* secus, debitore aut judice distrahente *h. l. 9. l.* 12. *C. si ex cauſ. jud.* De pacto, ut creditori privata auctoritate liceat distrahere pignus, vid. *l. pen. C. de pign. act.* & *l.* 3. *C. de pign. Sand. lib.* 1. *tit.* 12. *def.* 3.

3. Quod si secundus creditor, ordinis errore, pignus vendiderit, primus in pecuniam ex venditione redactam & consumptam nihil habet juris *l.* 1. *h. t.* sed rem ipsam actione hypothecaria persequi potest *d. l.* 1. Pecuniam vero extantem hypothecaria petere potest, ut dictum *tit.* 1. *de pignor. n.* 14. & *l.* 17. *C. h. t.*

4. Si plus sit in pretio pignoris quàm in debito, manet hoc integrum debitori, *l.* 42. *d. pign. act.* ut & jus suum creditori, quatenus inde minus redigitur *l.* 9. §. 1. *h. l.* 3. §. 4 *C. d. jur. dom. imp.* Quin & salva manet ei tota in debitorem actio, si creditor pretium ab emptore, sine sua culpa, consequi non possit *l. 9. pr. h.*

5. Impedire venditionem faciendam non potest debitor, nisi integra sorte cum usuris oblatâ *l. ult. C. debitorem distract. pign. imped. non posse.*

6. Factam rescindere vel rem venditam recuperare non potest, nisi necessitate juris facta sit venditio, quum posterior creditor priorem, oblata debiti ipsius solutione, ad pignus sibi vendendum compellit, ut est in *l.* 5. §. 1. *h. t.* Nam quia creditor eo casu debiti potius servandi, quàm dominii quærendi causâ emisse videtur, potest debitor ei rursus offerre ac ita pignus redimere, *l.* 2. *l.* 6. *h. t.*

7. Etiam quando fidejussor pignus emit, is hoc debitori actione mandati vel doli, receptâ pecunia cum usuris, restituere cogitur, ad quod alii emptores non tenentur *l.* 1. *C. de dolo malo. l.* 59. §. 1. *Mand.*

8. Si res vendita dein evincatur, actio quidem de evictione non datur adversus creditorem, qui pignus vendidit jure creditoris *l.* 59. §. 4. *d. Mandati l.* 50. *d. Evict.*

Evict. Conveniri tamen ab emptore potest, ut sibi cedat actionem, quam habet adversus debitorem, sc. pignoratitiam contrariam in id quod interest, rem alienam esse pignori datam, vel etiam ipsum pretium repetere potest, si convenerit ut re evicta refunderetur, eoque restituto creditor debitum potest denuo persequi, quia demonstrat eventus, debitorem non esse liberatum *l.* 12. *in fin. h. t.*

9. Etiam verò debitor, cujus liberationi cessit pretium pignoris venditi, ex empto utili actione ab emptore conveniri potest, in pretium atque usuras, non in id quod ulterius interfit *l.* 74. §. 1. *d. Evictionem.*

10. Pactum creditoris, ne debitor pignus alienet, videtur impedire ipsam dominii alienationem *l.* 7 §. 2. *h.*, quod alio pacto non fit *l.* 3. *C. d. condict. ob causam dat.* ut dictum part. 1. *l.* 2. *t.* 8. *n.* 19.

11. Proinde hunc textum vel emendare, vel potius rationem exceptionis reddi oportebit. vid. Bachov. *lib.* 3. *d. pignor. c.* 1. *n.* 4. Gotofred. *ad d. l.* 7. §. 2.

12. Quæ dicta sunt de pignore distrahendo, maxime de pignore proprie dicto accipienda; nam quod ad hypothecam attinet, tertius possessor hypothecæ primo conveniendus est, ut vel se cedat, vel debitum solvat, sicut ad *tit.* 1. diximus. Ipse debitor actione personali pulsatur, cum clausulâ, ut hypotheca pro debiti executione obnoxia & distrahenda declaretur. *ita fit omni die.*

TIT. VI.

Quibus modis pignus vel hypotheca solvitur.

SOlvitur pignus, quoties principalis obligatio tollitur, primo, ipso jure, ut solutione *l.* 6. *h. l.* 9. §. 3. *d. pign. act.* item obligatione ac consignatione *l.* 1. *C. qui pot. in pign. arg. l.* 9. *C. d. Sol.* novatione *l.* 18. *d. Novat.*

2. Denique, contrario consensu, qui pacto nudo in hypotheca perficitur, per *d. l.* 1. *d. pign. act. l.* 4. *d. pign. junc. l.* 23. *C. eod.* pactum de non petendo debito hypothecam duntaxat per exceptionem tollit *l.* 5. *pr. h.*

pr. b. l. 17. §. 2. *d. Pact.* vid. Wissenb. *ad h. t. th.* 34. quod idem in pignore proprio statuendum *arg. l.* 58. *d. Pact.* Sententia quoque & jurejurando super debito principali tollitur pignus, sed per exceptionem *l.* 13. *h. l.* 40. *d. Jurejur.*

3. Rei interitu pignus quoque perit *l.* 8 *h.* non perinde mutatione; manet enim hypotheca, licet de domo hortus vel vinea sit facta, vel area sola superfit *l.* 21. *d. pignor. act. l.* 16. §. 2. *d. pignor.* nec obstat *l.* 18. §. 3. *d. pign. act.*

4. Domo exusta & a debitore denno ædificata, idem juris est *l. ult. d. Pign.* Si tertius bonæ fidei possessor exstruxerit novam, non tenetur ad restituendum creditoribus, nisi refusis impensis, quatenus res pretiosior facta est, ait Paulus in *l.* 29. §. 2. *eod.*

5. Superficie obligata & exustâ, cum ibi area non sit ejusdem domini, ut ad se trahat ædificium, creditores in domum restitutam agere non possunt. Et sic judicatum scimus in Curia nostrâ.

6. Tollitur etiam alienatione consensu creditoris facta *l.* 8. §. 6. & 15. *h. l.* 4. & 7. *C. d. remiss. pign.* nisi consentiat salva pignoris sui causâ, *l.* 4. §. 1. *h. t.* non scientia nuda *d l.* 8. §. 15.

7. Excipe manumissionem servi *l.* 1. *C. de. remiss. pign.* si fiscus vendiderit *l.* 8. *eod.* si publice proscripta sit in hunc finem venditio *l.* 6. *C. d. t. d. remiss. pign.* idem est, si fraudandi causa tacuerit creditor, per *l.* 5. *C. ad SC. Vellej.*

8. Oppignoratio alii facta consensu creditoris æque sufficit ad solvendum pignus. *l.* 12. *pr. h. l.* 12. §. 4. *Qui pot. in pign.*

9. Denique, sorte remissa, pignus quoque remittitur, *arg. l.* 129. §. 1. *d R. I.* nisi sortis remissio inutilis ipsum quoque pignus feriat *l.* 5. *C. de remiss. pign.* juncta *l.* 1 §. 1. *h.*

10 Offerendo fidejussorem aliudve pignus æquè idoneum non potest recuperari pignus *l.* 6. §. 1. *Quib mod.*

mod. nisi ita convenerit, *l. 5. §. 2. h.* non abhorret tamen, ut judicis officio subveniatur debitori, adversus importunam creditoris duritiem. *Schotan. hic.*

11. Finito pignore, debitor habet actionem pignoratitiam ad luendum & recipiendum pignus, cui nullo tempore præscribitur. Nec enim prius nascitur hæc actio, quam soluta obligatione; solvendi autem facultas nullo tempore tollitur; & actio priusquam nascatur, nihil ad præscriptionem pertinet. Igitur nec pignoris luitioni præscribetur, cum, quia sicut dixi, res meræ facultatis est, quade re Grot. *de j. b. & p. l. 2. c. 4. §. ult.* tum, quia creditor alieno nomine possidet; à tali autem præscriptio inchoari non potest *l. 2. C. de præscript. 30. ann.*

12. Creditor restitutionem pignoris, quod ob sortem obligatum est, eâ solutâ, propter usuras retinere non potest, secundum *l. 11. §. 3. d. pign. act.* sed ejus rationi diserte obloquitur Gordianus *in. l. un. C. Etiam ob chirogr. pec.* quam ideo *d. l. 11.* derogare dicendum est. Diff. D. Wissenb. *th. 16. ad tit. ff. de pign. act.*

13. Cæterum, Creditor, qui invito debitore, rem ejus quasi pignoris loco detinet, etiam de casu fortuito tenetur *l. 30. d. t. d. pign. act.* cum alioqui culpa levi defungatur, ut aliàs diximus.

14. Sed actioni hypothecariæ præscribitur longo tempore, decem inter præsentes, 20. inter absentes *l. 1. & 2. C. si adverf. cred. præscr. oppon.* respectu scilicet bonæ fidei possessoris, à malæ fidei possessore præscribitur annis 30. *l. 3. & l. 7. C. de præscript. 30. ann.* ipse debitor vel ejus heres annis 40. *d. l. 7. §. 1.*

LIB.

LIB. XXI.

TIT. I.

De Ædilitio Edicto.

PIgnus fuit acceſſio contractuum generalis, ſequitur alia quæ ad Emptiones venditiones pertinet, ex Ædilitio Edicto orlunda. Ædilium curulium Romæ anguſta fuit juriſdictio; ſaltem quatenus in jure liquet. Duo eorum edicta & vix plura extant, de quibus in *hoc tit.* & ſub jure Prætorio continentur §. 7. *I. de Juſt. & I.*

2. Habebant, præter Ludos & ædes publicas, curam viarum, fori & commerciorum, unde *ἀγορανόμοι*, quo pertinet edictum de rebus vitioſis venditis; quæ vel tales ſunt, ut Emptor iis uti nequeat, vel ut pejor ſit uſus earum.

3. Priore caſu, maxime datur actio redhibitoria, qua venditor rem recipere & pretium reddere debet, una cum uſuris & eo quod intereſt *l.* 1. §. 1. 23. 27. & 29. *b.* ut tamen viciſſim emptor rem cum omni cauſa reſtituat *dd. ll.* niſi damnum caſu fortuito contigerit, nam & rem extinctam reddere poteſt *l.* 47. *in fin. b.* modo vitium non ſequatur venditionem *l.* 54. *b. l.* 3. *C. eod.*

4. Redhibitoria finitur ſex menſibus ob res ipſas, duobus menſibus ob acceſſiones rerum *l.* 38. *pr. b. t.*

5. Si res pejor tantum ſit, ut plurimum datur actio æſtimatoria, in id quanti minoris res eſt *l.* 1. §. 1. *l.* 38. *pr. b.* quæ actio durat annum utilem *d. l.* 19. §. *ult.* niſi venditor cavere nolit, ut Ædiles jubent; nam eo caſu æſtimatoria 6. menſibus, redhibitoria duobus terminatur *l.* 28. *b. t.*

6. Etſi autem de mancipiis utraque pars edicti loquatur, tamen & ad alias res ſententia ejus extenditur *l.* 63. *b.* habetque locum in permutatione, *l.* 19. §. 5. *b.* non in locatione, *d. l.* 63. nec donatione, *l.* 62. *h.* neque ſimplaria venditione, *l.* 48. §. *ult.* vel fiſcali *l.* 1. §. 3. *eod.*

7. Utrum-

7. Utrumque edictum ex triplici causa dat actionem; primo ex reticentia, si venditor latens vitium, licet Edicti sententiam ignorans; reticuerit *l.* 1. §. 2. sed ignorantia supina nocet emptori *d. l.* 1. §. 6.

8. Secundo ex dicto promissove *d. l.* 1. *l.* 18. *h.* sub quo tamen non comprehenditur id quod commendandi causa dicitur *l.* 19. *pr.*

9. Tertio, si ædilitiis stipulationibus non caveatur, quod fieri debet, si vitium necdum appareat, suspicio tamen sit, aliquid subesse *l.* 28. *h. t.*

10. Tu dices; nonne præstationes vitiorum in rebus venditis actione empti venditi continebantur, quid opus speciali edicto in hunc finem? Moribus equidem hodiernis, nihil interest, ex empto, an ex Ædilium Edicto agere te dicas. Primitus tamen differentiæ quædam fuerunt.

11. Ex Edicto utraque actio non de animi sed de corporis vitiis agit *l.* 1. §. *pen. h.* nisi quatenus ipsum corpus afficiunt *l.* 4. §. 4. *l.* 43. §. 4. & 6. sed actio ex empto datur quoque ob animi vitium *l.* 4. *pr.*

12. Ædilitiæ sunt arbitrariæ, quandoque in duplum *l.* 45. *h. t.* quo sensu pœnales dicuntur *l.* 23. §. 4. cum actio ex empto sit b. f. in simplum, ut *supra* & *l.* 70. *h.*

13. Ædilitiæ competunt in unum ex pluribus, qui pro majori parte vendidit, civiles in singulos pro ratâ *l.* 44. §. 1. *h.*

14. Ob diversa vitia sæpius agi potest, sic tamen ut nec lucrum emptor, nec damnum venditor sentiat *l.* 48. §. 7. *h.* etiam post actionem quanti minoris, redhibitoria adhuc agi potest, si novum vitium fuerit detectum, propter quod res plane sit inutilis; sine captione tamen *l.* 43. §. 6. *h.* confer *l.* 25. §. 1. *d. Except. rei jud.*

15. Edictum alterum in hoc tit. est *in l.* 42. de cane apro, verre, quod explicavimus *ad tit. Inst. Si quadrup. pauper. fec.*

TIT.

TIT. II.
De Evictionibus.

Dicitur res evicta, quoties possessio à nobis per judicium avocata est, sive per rei vindicationem, sive per quamvis aliam restitutoriam *l.* 26. *l.* 34. §. 1. *h.*

2. Qui rem alienam emptam restituere coactus fuit, agit contra venditorem rei, ex empto, in id quod interest, vel ex stipulatu, plerumque in duplum *l.* 25. *C. h. t.*

3. Eaque adeo usitata fuit stipulatio, ut, si omissa esset, actione ex empto venditor compelli posset ad duplam promittendam, vel etiam præstandam *l.* 2. *h. l.* 31. §. 20. *d. ædil. edict.* aut, si per errorem simplum stipulatus sit emptor, id quod duplæ deest, ex empto petere poterat *l.* 37. §. *ult.*

4. Si vero ita convenerit expresse, ut simplum daretur, aut minus, vel etiam plus quam duplum, placiti lex custodienda est *l.* 74. *in pr h.* sed cum duplum aut plus promititur, ejus quod interest nulla ratio habetur, quia hoc duplo continetur *l.* 44. *act. empt.*

5. Tenetur auctor de evictione, non modo in venditione, sed & in permutatione *l.* 1. *C. d. rer. permut.* in divisione *l.* 66. §. *ult. h. l.* 77. §. 8. *d. leg.* 2. datione in solutum *l.* 4. *C. h. t. l.* 20. *d. solut.* non habet locum in legato *l.* 45. §. 1. *de leg.* 1. nisi, re in genere legata, certa species data sit *l.* 29. §. 3. *d. Leg.* 3. non in donatione, nisi ex dolo *l.* 16. §. 3. *d. Donat.* aut nisi promissa sit *l.* 2. *C. h.*

6. Non in dote, nisi perinde ex dolo, vel res æstimata sit *l.* 1. *C. d. jur. dot.* aut forte necessaria dos sit, per *l.* 19. *d. O. & A.*

7. Non in venditione pignoris, *l.* 50. *h. l.* 68. *h. t. l.* 1. & 2. *C. Cred. evict. pign. non præst.* scilicet, adversus creditorem, qui ut talis rem vendidit; sed debitor, aut is, cui profuit solutio, tenetur utili actione empti

in

in pretium & in uſuras, non quod ulterius interſit *l.* 74. §. 1. *b.* etiam vero creditor cedere debet actiones, quas habet *l.* 12. §. *ult. d. diſtract. pign.*

8. In tranſactione habet locum evictio, ſi res, quam quis ob cauſam transactionis dedit, ut alius à lite deſiſteret, evicta fuerit; non ſed ipſum, de quo fuit tranſactum, ab alio vindicatum ſit *l.* 33. *C. de Tranſaction.*

9. Etiam de evictione partis rei datur actio *l.* 1. *l.* 45. *b.* ubi nota in fin. Niſi pars modica & heterogenea ſit, tum ex empto duntaxat agitur *l.* 36. *b. t. l.* 23 § 1 *d. uſurp.* ſic etiam quoad fructus *l.* 43. *b.* at ob uſumfructum agitur de evictione *l.* 46. *in pr.* ergo etiam ob jura emphyteuſeos & ſuperficiei. *arg. l.* 38. §. 3. *d. V. O.* imo etiam pignoris *l.* 34. §. *ult. & ſeqq. b.* non tamen ſervitus realis, de quâ planè non agit emptor, niſi fundus vendatur, ut optimus maximus *l. penult. b.*

10. De pluribus rebus plures ſunt actiones, licet pariter ſint venditæ *l.* 72. *b. l.* 33. *d. act. empt.* & ſi una res ſit evicta, datur tamen actio, licet altera tanti ſit, quanti utraque eſt empta; nec refert, ſeparatim ſingulæ, an ſimul utraque ſit vendita *l.* 47. *b.*

11. Quam primum emptori lis movetur, laudare debet auctorem; hoc eſt, denuntiare venditori, (non etiam fidejuſſori ejus) ut liti adſiſtat *l.* 23. *C. b. t. l.* 29. §. *ult. b. t.* etiam ſcienti *per l.* 63. *pr. b. l.* 7. *C. eod.* quia non tantum, ut certior fiat venditor, ſit denuntiatio, ſed etiam ut emptorem inſtruat & liti adſit, animumque ſuum capiendi regreſſum adverſus venditorem teſtetur *l.* 23. *C. b. t. l.* 53. §. 1. *b.* & quia ſub hac conditione, ſi denuntiaverit, nec aliter, actio de evictione datur *dd. ll l.* 8. *l* 20. *C. b.* nihil obſtantibus *l.* 1. *in fin. de Action. empt. l.* 31. *d. R. I. in 6. qui certus eſt non debet certiorari.* Perez. *ad tit. C. b. tit. n.* 28.

12. Imo illa ratio poſtrema vix admittit limitationem, quam alii ſuggerunt, *niſi* cauſa fuerit deſperata & notorie injuſta, ut recte Bachov. not. ad Weſembec. *b. t. n.* 5. Diſſ. citati à D. Wiſſenb. *ad b. t. th.* 19.

13. Quo

13. Quo tempore denuntietur, nihil interest, dum ne prope ipsam condemnationem *l.* 29. §. *ult. h.* nec obstat *l.* 29. § *penult. d. leg.* 3.

14. Denuntiatione facta, damnum litis ad venditorem pertinet, sive defendat emptorem sive non, & defendere eum vel liti adsistere *l.* 74. §. 1. *h.* hujus, sc. emptoris, inquam, foro debet; damnatus emptor agit in id quod interest; at tum in venditoris foro *l.* 23. *C. h. t.* Sand. *l. l. t.* 1. *def.* 5.

15. Cessat actio de evictione, primo si ob casum fortuitum rem emptori habere non liceat; cui æquiparatur vis *l.* 11. *l.* 21. *h.* neque etiam venditor ad plus tenetur, quam ne rem alienam aut alteri obnoxiam vendiderit.

16. Unde, si absolutus sit emptor, de sumptibus aut eo quod interest non habet actionem, nisi venditor caverit, se emptorem in judicio defensurum. Wissenb. *ad h. t. th.* 25.

17. II. Si per injuriam aut stultitiam judicis emptor vincatur *l.* 5. & 51.

18. III. Cessat, si emptor sciverit, rem esse alienam *l.* 27. *C. h. t.* non obstat *l. ult.* §. 4. *C. comm. de leg.* ubi heres rem, pendente fideicommissi conditione, alienavit; quia tales venditiones jure fiunt. *vid. l.* 48. §. 1. *d. jur. fisc.* Adde quod de pignore vendito dix. *in th.* 7. *h. t.*

19. Cessat item, si dolo suo vincatur emptor, vid. *l.* 55. *pr. l.* 63. § *ult. h.* quo pertinet, si in arbitrum compromiserit *l.* 56. §. 1. *h.* Denique cessat, si locum passus sit religiosum fieri *l.* 51. §. 2.

20. Etsi hodie nulla fiat stipulatio duplæ, reliqua tamen hujus tituli non carent usu frequenti.

TIT. III.

De Except. rei vend. & trad.

SI non Dominus, re vendita & tradita, dominium postea nactus rem velit repetere, hac exceptione repellitur, quæ & heredibus & in heredes & secundis emptoribus datur *l.* 3. *pr.* & §. 1. *h.* ut & contra secundos emptores *l.* 2 *h.*

2. Fidejussori quoque rem ut suam vindicanti obstat *l.* 11. *C. de Evict.* sed non ejus heredi rem ex sua persona repetenti *l. ult. C. eod.*

3. Ex quâ senator quidam Doctus supremæ in Belgis Curiæ, olim contendebat, fidejussionem non obligare fidejussoris heredes. *ex εὐστόχως.*

4. Nec obstat exceptio mulieri dotalem fundum suo consensu venditum repetenti, per *l. un.* §. 15. *C. d. rei Ux. act.*

5. Si res duobus vendita posteriori tradita sit, primus nihil aliud quam actionem in id quod interest adversus venditorem habet, per *l.* 15. *C. d. rei vind.*

LIB. XXII.

TIT. I.

De Usuris & fructibus & causis & accessionibus & morâ.

SEquitur alia generalis accessio contractuum, quæ est de usuris &c.

2. Definitio usuræ est, quod sit merces, quam debitor præstat creditori, pro usu quantitatis creditæ *l.* 58 § 6. *ad SCt. Treb.* nam in quantitatibus, id est, rebus fungibilibus locum habet duntaxat, non in corporibus

ribus *l.* 34. *d. præscr. verb. l.* 3. §. *ult. h. l.* 12. *C. eod.* nisi quatenus de æstimatione corporum quæritur, quomodo accipienda *l.* 25. *C. eod. arg. d. l.* 3. § *ult.*

3. Vulgo, nec male, dividitur in tres species; compensatoriam, lucratoriam & punitoriam. Compensatoria nihil est aliud, quam æstimatio ejus quod interest, ratione damni illati & lucri cessantis. Punitoria, quæ in pœnam tardæ solutionis, adeoque ob moram debitori infligitur.

4. Lucratoria, quæ propter quæstum, citra moram, exigitur ex propriâ conventione; nam quæ ex morâ venit, non est ad lucrum *l.* 17. §. *in fin. h. t.* & hæc specialiter nomine foenoris noscitur, tametsi in jure foenus & usura indistinctè usurpentur *l.* 4. *d. naut. fœn. l.* 58. §. 2. *ad Sct. Treb. l.* 26. *d. pec. leg. l.* 11. § 15. *d. leg.* 3. ubi fœnori *dare sub. usuris.*

5. Non obstat triplici huic divisioni *l.* 17. §. 3. *in fin. h. t.* loquitur enim de usuris, quæ absque conventione debentur. adde Pac. *Isag. h. t. n.* 7.

6. Quæstionem Theologis Politicis, Ictis celebrem, an usura sit licita, absolvunt eą, quæ Grot. habet *lib.* 3. *manud. c.* 10 §. 20. *& seqq.* item Molin. *tract. d. Usur. num.* 13. ubi fuse docet, regulam hujus rei esse legem charitatis, cum quasi pugnet, usura sit illicita, alioqui nihilo turpior est quam locatio conductio. Ratio caritatis probat usuras usurarum esse illicitas, quoniam hæ vix à quoquam, nisi in angustiis posito, exiguntur; quare apud omnes gentes prohibentur; jure nostro sub pœna infamiæ *l.* 29. *h. l.* 20. *C. ex quib. causis infam.*

7. Imo, nec si consenserit debitor, ut usura commissa in sortem novam transformetur, ejus usuræ, quæ jam sortis rationem adsumpsit, licita est usura *l.* 28. *C. h. t.*

8. Idemque est, si qua sors cum usura in condemnationem deducta, inque unam summam redacta sit, licet post sententiam nova mora sit facta *l. ult. C. d. Usur. rei jud.*

9. Dicitur autem usura usuræ respectu ejusdem debi-

toris: nam in diversis debitoribus potest fieri, ut aliquis licitè usuras usurarum adipiscatur, ut si tutor usuras ex rebus pupilli exactas in suos usus converterit, vel cum eas curatori aut novo administratori tradit, jam illæ sors fiunt & usuras pariunt *l.* 7. §. 12. *l.* 58. §. 1. *in fin.* & §. *ult. d. adm. tut.* vid. Sand. *lib.* 3. *tit.* 14 *def.* 6.

10. Causæ, ex quibus debentur usuræ, sunt conventio & mora: conventio est stipulatio vel pactum. Ex stipulatione debentur usuræ sine dubio in omni contractu. Paul. 5. *sent.* 7. & in mutuo ex stipulatione duntaxat *l.* 3 *C. h. t.*

11. Pactum de usuris, contractibus incontinenti adjectum valet in his, quorum pars fieri potest, ut sunt contractus B. F. *l.* 7. §. 4. & 5. *d. Pact.* sed cum mutuo tale pactum consolidari nequit, quoniam ejus pars non potest fieri, nisi quod revera datum est *l.* 11. §. 1. *d. reb. cred.*

12. Intellige hoc autem de pecuniâ mutuo datâ, nam aliarum quantitatum usuræ ex pacto quoque debentur *l.* 12. *C. h.* quin & in pecunia trajectitia *l.* 7. *d. Nautico fœn.* denique favore fisci, qui semper capit usuras *l.* 17. §. 5. *h.* & civitatum *l.* 30. *h. t.* & argentariorum *N.* 136. *c.* 4. In his placuit ex pacto usuras deberi, quæ hactenus pacta legitima esse videntur.

13. Moribus hodiernis, ut alias dictum, inter stipulationem & pactum nihil interest; ideoque usuræ etiam ex pacto debentur, quatenus id expressum est; proinde, si quis usuras ad annum promiserit, & sortem diutius habuerit, reliqui temporis usuras non debet. Sand. *lib.* 3. *tit.* 14. *def.* 1. nisi pluribus annis in solutione usurarum continuaverit. *def.* 4.

14. Qui tamen se obligavit pro damno & eo quod creditoris interest, etiam ad usuras teneri videtur. Sand. *d. t. def.* 2. & 3. quod tamen ex idiomate vernaculo magis quam juridica significatione proficisci videtur, vulgus enim usuras vocat *interesse.*

15. Mora est causa usurarum in contr. B. F. *l.* 32. §. 2. *b.*

§. 2. *h.* non in strictis, per *l.* 3. *C. h. t.* nec etiam moribus hodiernis, in venditionibus rerum mobilium aliisque nominibus mercatoriis, licet ex bonæ f. contractibus; *ut omni die servatur.*

16. Est autem Mora, definiente Cujacio, solvendi vel accipiendi debiti frustratoria dilatio; ideoque & a creditore committi potest. Estque duplex, ex persona & ex re *l.* 32. *pr. d. Usur.* illa, quæ oritur ex interpellatione ejus qui debet, vel cui debetur.

17. Talis una opportuno loco & tempore facta sufficit adversario in mora constituendo, *l.* 32. *pr. h. l.* 23. *d. V. O.* Quin semel moram interveniisse sufficit, ait Paulus in *l.* 87. §. 1. *d. leg.* 2. neque diss. Martian. in *d. l.* 32. §. 1. nec obst. *l.* 122. §. 5. *d. V. O.* vid. D. Wissenbach. *ad h. t. th.* 15. & 17.

18. Effectus moræ, quam creditor committit, est, quod Prætor ei denegat actiones, sc. eventu inspecto, quia debitori exceptio doli mali datur, si pecunia interim sine ipsius culpa perierit *l.* 72. *pr. d. Solut.*

19. Qui ad diem certum dare obligatus est, solo diei lapsu in mora constituitur, quia, cum obligatio perfecte ante diem existat, dies nullâ aliâ causâ adjici videtur, quàm ut ultimus sit terminus solutionis faciendæ, molestiaque interpellandi creditorem liberet. Ut in judiciis strictis pœna conventionalis, quæ vicem usuræ & ejus quod interest obtinet, statim committitur. *l.* 12. *C. d. contrah. stip. l.* 2. *C. d. jur. emphyt. l.* 4. §. *ult. d. leg. commiss. l.* 23. *pr. d. recept. arbitr.* in quibus actio non competeret, nisi reus esset in mora. Competit autem post diem per se, idque moram præsupponere, docetur clarius in *l.* 23. *d. O. & A.* adde Bronchorst. 2. *antin.* 81. D. Wissenb. ad *h. t. th.* 16. Diss. Bachov. vol. 2. ad Treutl. *disp.* 3. *th.* 7.

20. Præter has causas, litis contestatio pro causa haberi solet ex male intellecta *l.* 35. *h.* ubi; *lite contestata usuræ currunt.* Quod vel potest sumi pro currere incipiunt, ut in *l.* 40. *d. reb. cred.* vel pro currere pergunt,

rei, quæ petitur qualitas & utilitas omnis, quæ circa eam eſt; ratio nominis redditur in §. 3. *Inſt. de off. jud.*

33. Definitio indicat, eſſe duplicem cauſam, internam & externam. Ad internam pertinent qualitates rerum, ut bonitas, fertilitas, immunitas prædiorum, libertas hominis, agilitas, integritas jumenti.

34. Ad externam referuntur, quæ à rebus ipſis manant, ut partus ancillæ, qui non eſt in fructu §. 37. *I. de A. R. D.* fœtus ex fœtu, qui fuit in fructu. *Cujac. h. t.* planè etiam fructus ipſi, ſub causâ generaliter ſumptâ, comprehenduntur *l.* 2. *l.* 38. §. 7. *h. t.* Vide exemplum differentiæ inter cauſam & fructum, in *l.* 8. *h.*

35. Sic quoque pars III. Rubricæ, quæ eſt de Acceſſionibus, etiam fructus atque cauſas continet; addit tamen aliquid prioribus, ſcilicet alluviones & avulſiones inſulaſque in fluminibus natas, item conſolidationes, de quibus alibi dictum eſt.

36. Poſtrema Rubricæ pars de *Morâ* jam occupata & abſoluta eſt.

TIT. II.

De Nautico fœnore.

NAuticum fœnus eſt, quod debetur ex pecunia trajectitia, quæ periculo creditoris trans mare vehitur, ex ſtipulatione, vel pacto *l.* 2. *h. l.* 7. *eod.* & hæc centeſima eſſe poteſt, quamdiu periculum manet creditoris, quod ubi definit, uſuræ vulgares ſuccedunt *l.* 4. *h. l.* 1. & 2. *C. h. t.*

2. Moribus hodiernis, de pecunia trajectitia majores capere licet uſuras quam centeſimas, & eatenus quidem augere, quatenus periculum apparet, Grot. *lib.* 3. *introd. cap.* 11. *van bodemerije.* Molinæ. *de uſur. n.* 23. & *ſeqq.*

TIT.

TIT. III.

De Probationibus & Præſumptionibus.

NUſquam crebrius de probationibus, quam in contractibus, qui maxime ſunt facti, & de quibus in ſuperioribus actum, quæritur.

2. Ea, Cujacio finitore, eſt legitima fides, quam Judici de intentione ſua facit actor, vel reus, vel uterque. *parat. C. h.*

3. Eſtque vel artificialis, quæ fit per neceſſaria argumenta, vel inartificialis, quæ per teſtes & inſtrumenta. Vetus hæc Legiſlatorum, Rhetorum & Philoſophorum diſtinctio ſine dubio & in Juris Arte locum habet, ut rei evidentia & uſus docent. Duar. 1. *Diſp. anniv.* 27.

4. Eſt hauddubie melior hæc diviſio quam vulgata DD. in plenam & ſemiplenam, ut hæc ſit, quæ v. gr. per unum teſtem fit; refellitur ſatis ex *l.* 9. §. 1 *C. de Teſtib.* Duar. 2. *diſp.* 33.

5. Eſt adhuc diſtinctio in foro, inter *probationem*, *reprobationem* & *contrareprobationem*, quæ nihil ſunt aliud quam conflictus probationum inter ſe, *vid. infrà. de teſtib. n. pen.*

6. Confeſſio & jusjurandum vim quidem probationis habent, ſed ſpecies proprie non ſunt, quia per eas non fit fides, ſed magis ad ſecretum ſeſe referunt animorum. D. Wiſſenbach ad *h. tit. th.* 4.

7. Materia probationis conſtat ex factis dubiis; Etenim jus certum eſt, allegatur quidem non probatur; facta quoque notoria non egent probationis. Notorium autem vulgo ex triplici causa dicitur, ex evidentia rei, confeſſione adverſarii & re judiciata. Tranſactio quoque & jusjur. probationem aliam præcidunt.

8. Perſona, cui facienda probatio, in definitione indicatur; eſt autem Judex *l.* 11. *in fin. h. t.* qui ſecundum probata ſententiam ferre *l.* 6. §. 1. *d. off. Præf.* & ex

iis prudenter animi sui fidem inducere debet *l.* 3. §. 2. *d. Testib.*

9. Persona, quæ probat, est, is, qui affirmat, non qui negat *l.* 2. *l.* 23. *C. h. t.* sive actor sit, sive Reus *l.* 19. *in pr. h.* Neganti per rerum naturam probatio imponi non potest, utique, si negatio sit generalis *d. l.* 23. secus, si locorum, personarum temporumque circumstantiis definita sit quæstio; tunc enim qui negat docere potest, se tum temporis alibi fuisse §. 12. *Inst. de inut. stipul. Mornac. ad l.* 18. *C. h. t.* at quoniam actor plerumque petit & affirmat, hinc regulariter dicimus, actori incumbere probationem *l.* 23. *D.* & *C. h. t.* non reo *l.* 8. *C. eod. l.* 7. *C. de test.* attamen Reus in exceptionibus quas profert, actoris instar est. *l.* 1. *d. Except.*

10. Quis autem sit affirmans, vel negans non tam ex verborum figura, quàm eorum sententiâ reique natura colligitur, ut exemplis patet *in l.* 5. §. 1. *l.* 8. & 15. *h.*

11. Planè igitur, quicunque se fundat in qualitate aliquâ, intentionis suæ fundamentum probare debet; nisi sit in possessione juris, in quo se fundat *l.* 14. & *l.* 15. *h. t.*

12. Tempus, quo facienda probatio, definitum est, post litem contestatam, atque tum ad probandum Dilatio datur eo modo qui distinctè describitur *l.* 1. *C. de Dilat.* Quando autem tres dilationes menstruæ dentur, quibus finitis, probata aperiuntur docet *Auth. jubemus C. de Judic.* juranti tamen se ea nescire, quarta concedi potest *Auth. At qui C. h. t.* cognitis illis, nulla amplius permittitur. *d. Auth.* nisi quod in criminalibus ad probandam rei innocentiam, quovis tempore, etiam post sententiam probatio admittitur *l.* 1. §. *fin. d. Quæst.*

13. Qualitates probationis sunt, ut sit conformis libello, concludens, hoc est, quæ necessario id quod intendit inferat, non à causâ aliena, dubia, incerta, superflua. Corvin. *h.*

14. Effectus probationis est, quod Judex secundum proba ta

probata sententiam ferre debet, juxta *l.* 6. §. *de offic. præsid.* Alioqui in id quod interest condemnabitur *p. I. de obl. ex qu. del. l.* 10. §. *fin. vers. & si non d. Edend.*

15. Diffidentes in speciem probationes conciliare debet, quatenus fieri potest *e. cum tu* 16. *c. in nostra.* 32. *de test.* Interpretatio prudenter à Judice facienda & in dubio talis sumenda, quæ prosit favorabilibus personis, vel reis *l* 125. *d. R. I.*

16. Altera pars Rubricæ est, de præsumptionibus, quæ nihil sunt aliud, quam anticipationes quædam Judicii sensu communi perceptæ, ex eo quod plerumque fit. Cujac. *hic.*

17. Dividitur vulgo, quod sit vel hominis, id est, judicis vel juris. Primam vocant, conjecturam ex communi hominum judicio desumptam. Et hæ dicuntur aut fortiores aut leviores. Illæ transferunt onus probandi in adversarium, ut in *l.* 12. *h.* ubi eadem quantitate diversis scripturis legatâ, præsumitur duplicatio, quod in re corporali contra præsumitur *l.* 66. §. 5. *d. Leg* 2. adde *l.* 25. *h. t.*

18. Leviores qualemcunque præbent suspicionem, quæ tot numero sunt, quot rerum species. Vid. *l.* 17. *C. h. t.*

19. Corroborantur hæ præsumptiones, si confertim plures concurrant, eoque etiam fama pertinet *l.* 3. §. 2. *d Test.* Videtur autem concursus plurium circumstantiarum & indiciorum adeò validus esse posse, uti plenam judici fidem faciant, etiam in criminalibus, ut probat copiosè Sandius *lib.* 5. *decis. tit.* 9. *defin.* 14.

20. Præsumptio juris est, vel juris tantum, vel juris & de jure, sicut loquimur. Hæc vocatur, cum lex præsumit & simul statuit, qualis ea videtur, quæ in obligatione literarum post biennium parit exactionem. *l.* 14. *C. de non numer. pec.* adde *l. ult. C. arbitr. Tut. l.* 34. *C. de adult. l.* 23. *C. ad Sc. Vellej. l. fin. in f. ad Sc. Macedon.* Adversus eas nulla admittitur probatio contraria *dd. ll.* Menoch. *lib.* 1. *præsumpt. qu.* 3. *per tot.*

21. Juris

12. Juris tantum, cum lex aliquid pro veritate habet, quamdiu contrarium non probatur §. 11. & 16. *I. d. Inut. ſtip. l.* 24. *h. t. l.* 1. §. 3. *ad. l. Corn. d. Sicar. l.* 7. §. 12. *d. Pact.*

23. Verſantur præſumptiones potiſſimum, circa res, circa perſonas, earumque actiones vel cogitationes *Menoch. d. l.* 1. *q.* 11. *n.* 9. *q.* 12. *n.* 16. Circa perſonam præſumuntur ea, quæ naturaliter homini inſunt; ut ſenſus communis, potentia generandi &c. Circa res, qualiter à naturali qualitate, & inſita vi ſe habere ſolent.

23. Prout eſt vel major, vel minor præſumptio juris, ita majorem vel minorem requiri contrariam probationem res loquitur. Minor præſumptio per majorem eliditur & tollitur. Exemplum *in l.* 6. *de his qui ſui vel al. jur. l.* 24. *hic l.* 73. *de legat.* 3.

24. Specialis præſumptio eſt fortior generali; naturalis accidentali; quæ actum valere & pro Reo facit, melior eſt quam quæ ſecus. *Menoch. de arbit. jud. P.* 2. *Caſ.* 472. *n.* & 19.

25. Affinis præſumptioni eſt Fictio, Quæ eſt legis, adverſus veritatem, in re poſſibili, ex juſta cauſa, diſpoſitio, adverſus quam probare non licet, ut eſt fictio in Querela inofficioſi Teſtamenti *pr. Inſt. de Quer. inoff. l.* 8. §. *pen.* & *l.* 28. *D. eod.* Brevis manus in *l.* 43. §. 1. *d. jur. dot.* Fictiones in actione Publiciana & Reſciſſoriâ §. 4. & 5. *Inſt. de action.* ubi diximus.

TIT. IV.

De Fide inſtrumentorum & amiſſione eorum.

INſtrumenta ſunt ſcripturæ, quibus judici intentionis noſtræ fit fides, quanquam & latius accipiuntur in *l.* 1. *h.* ut etiam teſtimonia comprehendant & argumenta, denique omnia, quibus cauſa *inſtruitur*; unde nomen *inſtrumenti*

2. Scriptura igitur tantum ad probationem non ſubſtan-

stantiam ipsius negotii pertinet *l.* 1. *C. h. t. arg. l. ult. h.* quandoque sane ad necessitatem, non tamen ad essentiam, uti in contractibus sic initis ut scripturâ perficiantur *l.* 17. *C. de fid. instrum.* nam illi ideo non fiunt literarum obligationes, sed manent consensuales *pr. Inst. de Empt. vend.* Aliquando verò ad ipsam essentiam negotii spectat scriptura, sicut in obligatione literarum *tit. Inst. de lit. obl.*

3. Sunt vel publica vel privata instrumenta; Publica vel stricte sumuntur quæ apud acta judicii concepta, vel deinde actis insinuata sunt, ut in *l.* 19. *C. d. Testam. l.* 10. *d. Prob.* vel latius pro confectis per eos, qui publicum instrumenta scribendi, jus habent *l.* 10. §. 1. *d. Edend. Nov.* 73. *c.* 1. & 5. sic tamen, ut quæcunque trium testium habent subscriptionem, quod ad vim probandi pro publicis haberi videantur *l.* 11. *C. qui pot. in pign. de N.* 73. *c.* 2.

4. Privata sunt, quæ nec in judicio, nec â tabulariis sunt scripta, nec denique tribus munita testibus, ut sunt chirographa: epistolæ, codicesque rationum *l.* 19. *C. h. t.*

5. Deinde, sunt vel authentica vel exempla, quæ ex originali transscribuntur *l.* 2. *h. l.* 4. §. *ult. fam. erc.* quanquam ipsa authentica dicuntur exemplaria *l.* 47. *d. leg.* 2. & interdum exempla *l.* 24. *qui test. fac. poss. l. ult. d. his quæ in test. del.*

6. Ad formam Instrumenti Dd. requirunt octo, quæ habet Pacius *hic.* 1. Invocationem nominis divini. 2. annum à Christo nato. 3. Romanam indictionem. 4. mensem & diem rei gestæ. 5. Nomen Principis, in cujus ditione fit instrumentum. 6. Seriem rei gestæ. 7. Nomina Testium, 8. subscriptionem & signa tabellionis.

7. Ex his 1. 3. 5. minus sunt necessaria. 2. & 4. est, quoties natura negotii temporis distinctionem flagitat. VI. est ipsa instrumenti materies. VII. & octavum sine dubio requiritur.

8. Sed

8. Sed an nec ſubſcriptio teſtium & contrahentium? Non in proprie publicis, niſi Lex eam expreſſe requirat, ut in *l.* 31. *C. de donat. l.* 21. *C. de teſtam.* In privatis neceſſaria eſt, quia hoc ſolo munimento ad fidem faciendam nituntur *d. l.* 16. *C. h.* etiam in notarialibus, ut uſus vult.

9. Eandem inſtrumenta vim habent, quam teſtes *l.* 15. *C. h. l. ult. C. de Prob.* aliquando & majorem *l.* 10. *d. probat.* ut in ingenuitate probandâ *l.* 10. *C. de Teſt.* proinde & crimina ſine dubio probant *dd. ll.* non obſtante *l.* 3. §. 3. *d. Teſtib.* quæ de ſcriptis teſtium declarationibus extra judicium factis loquitur.

10. Imo regulariter contra inſtrumentum, teſtibus munitum, quod falſi non arguitur, non admittuntur teſtes *l.* 1. *C. de Teſtib.* Paul. *5. ſent.* 15. §. 4.

11. Falſi etiam convinci videtur, ſi teſtes ipſi, qui ſunt adhibiti, contrarium declarent, quia fides inſtrumentorum à conſcientia teſtium, non à ſubſcriptione pendet *d. N.* 73. *c.* 3.

12. Quod ſi debitor ſolutionem à ſe factam contendat, inſtrumento penes creditorem adhuc exiſtente, quinque teſtes requirit Juſtinianus in *l.* 18. *C. de Teſtib.* quod hodie non uſquequaque ſervatur. Ant. Faber. *lib.* 4. *Cod. tit. de Teſtib. defin.* 23. *n.* 13. Alii conſtitutionem *d. l.* 18. reſtringunt ad negotia, quæ diſerte ita contracta ſunt, uti per ſcripturam celebrentur. In aliis ſufficere duos vel tres teſtes. Sic Curia Friſica apud Sand. *l.* 1. *tit.* 10. *defin.* 1.

13. Privata inſtrumenta teſtibus deſtituta non probant, nequidem rationum codices, niſi contra eum qui ſcripſit. *l.* 5. 6. 7. *C. de probat.* necquidem declarationes juratæ teſtamento factæ, niſi in præjudicium heredum. *N.* 48. *c.* 1.

14. Scriptore ſuam manum negante, comparatio literarum fieri poteſt ex aliis publicis, vel tribus teſtibus munitis inſtrumentis; et tamen plena fides ei non tribuitur *l.* 20. *& auth. ad hæc. C. h. t. Nov.* 73. *inpr. &c.* 2. *in fin.*

15. Ex-

15. Excipiuntur usu fori rationes mercatorum, artificum &c. quæ semiplenè probant: Imo plerumque, accedente juramento, plenè probant, ut omni die servatur. Tulden *ad h. tit. n. 5.* Gail. 2. *obs.* 20.

16. Exemplaria non probant, nisi fide publica, & partium consensu cum auth. collata *l. 2. h. l. 57. d. adm. tut.*

17. Sed instrumenta de protocollis tabulariorum ab ipsis descripta pro auth. non pro exemplis habenda sunt, quia immediate à persona publica scribuntur. Ideoque fidem faciunt, etiam non extante Protocollo *arg. l. 17. C. de fid. instru. l. pen. D. eod.* Fachinæ, 11. *controv.* 38.

18. Pro instrumento rite facto sunt duæ præsumptiones, quod eo contenta sunt vera, & solenniter gesta §. 12. & 17. *I. de Inutil. stipul.*

19. Alioqui sunt stricti juris instrumenta, nec probatur exinde, nisi de quo principaliter conceptum est, non quod de alio negotio inibi memoratur *l. ult. d. Probat. l. 53. d. V. O.* quidem, si Notarius adjecerit, eam scripturam à se visam & lectam esse, ut vult Specul. *tit. de Instrum. ed. §. testat.* Fachin. 12. *controv.* 3.

20. Proferuntur instrumenta in judicio post litem contestatam ut tit. præced. dictum, exceptis iis, quorum in libello fit mentio, quæ una cum actione petenti adversario edenda sunt *l. 1. §. 1. & 3. de Ed.*

21. Imo, quoties in scripturis suis partes se fundant in aliquo instrumento, id incontinenti, saltem exemplo authentico, exhibere debent, non tamen in postremâ scriptura, ut adversarius contra illud proferre possit, quæ videntur, qua de re *vid. Statut. Frisl. lib. 3 tit. 19. n. 5.*

22. Inviti ad exhibenda instrumenta, qui tenent ea, cogi possunt ab his, quorum interest, modo ipsorum non magis interfit in contrarium *l. ult. C. h. t.*

23. De Parte altera Rubricæ sciendum, instrumenti amissionem nihil detrahere obligationi ejusque vigori,

vigori, modo negotium aliunde probari possit, per ea quæ dicta sunt in *pr. h. tit. l.* 1. *C. h. t.*

TIT. V.

De Testibus.

TEstes esse personas, quarum dictis judici fides intentionis nostræ fit, intelligitur ultro. De his regula tralatitia est, quod esse possunt, qui non prohibentur *l.* 1. §. 1. *h.*

2. Scilicet, alii prohibentur omnino, alii reprobantur tantum, id est, minor fides iis habetur *arg. l.* 13. *h.* Prohibentur aliqui omnino, quidam in certis causis.

3. In totum *servi l.* 11. *& Auth. si testis. C. h. t.* (nisi in causis valde atrocibus *l.* 53. *d. jud.* & cum aliæ probationes deficiunt *l.* 7. *h.*) furiosi & mente capti *l.* 20. §. 4. *qui test. fac. poss.* iisque pares prodigi *l.* 40 *d. R. I.* surdi & muti per *l.* 48. *d. O. & A.* cæcus an possit, ex subjecta materia judicandum, visu opus sit, an non; denique intestabiles *l.* 21. *h.* impuberes *l.* 3. §. 5. postremò infames, quales *in l.* 3. §. 5. *h.* & senatu moti *l.* 2. *de senator.* reliquorum infamium exigua quidem, non tamen nulla fides est *l.* 1. *l.* 3. *l.* 13. *h. t.*

4. Secundum quid, prohibentur minores viginti annis, scil. in criminalibus *l.* 20. *h.* excepta Majestatis causâ, quod ad personam Principis attinet *l.* 10 §. 1. *d. Quæst.* mulieres nominatim vetantur in testamentis *l.* 20. §. 6 *Qui testam. fac. poss.* proinde admittuntur in judiciis *l.* 18. *h.* Judæi & hæretici contra orthodoxos vetantur, pagani ac improbiores hæretici sunt in numero intestabilium *l. pen. C. de Hæret.*

5. Nemo in re sua testis esse potest *l.* 10. *ff. & C. h. t.* sive in totum, sive pro parte; nec proinde socius in re communi, vel civis in re universitatis, ubi privatim interest, secus, ubi communis est utilitas, *l.* 7. §. 1. *Quod cujusque univ.* est autem propria causa, cujus emolumentum aut damnum ad aliquem proprio nomine pertinet

net *l.* 1. §. 11. *Quando appell.* eademque ratione socii criminum *l.* 11. *C. h. t.*

6. Huc pertinet, quod domestici testes arcentur à testimonio *l.* 24. *ff. l.* 3. *C. h. t.* ut sunt uxor, liberi, fratres atque sorores *l.* 195 § 2. *d. V. S.* fratres tamen separati domibus non ubique arcentur, ut quidem fert usus.

7. Multo minus quicunque sunt ejusdem familiæ, tectove & mensa iisdem utuntur, per *l.* 6. *h.* ubi, *quibus imperari potest, ut testes fiant.*

8. Eadem ratione cives in causa Principis non esse admittendos plerique scribunt, nisi juramentum subjectionis remittatur, quod non video quî possit esse necessarium: cum hoc à litigiis privatis toto genere sit diversum, licet ita Sichardus in *l.* 5. *C. de Testib.* A. Matthæ. *disp.* 9. *de Ind. th.* 28. Wesenb. *th.* 1. *ad h. t.* Non esse tamen prædictos omni exceptione majores satis indicat *d. l.* 5. *C. h. t.*

9. Advocatus pro cliente prohibetur, *l. ult. h. t.* sed contra illum recte producitur, ratione per se evidenti, quâ & amici & inimici respectivè arcentur *l.* 3. *pr. h. l.* 17. *C. eod.* quibus additur, qui bis in eundem de crimine vult testari *l.* 23. *h.*

10. Proxenetæ, pararii, conciliatores in iis negotiis, in quibus operam suam præstiterunt, testes esse possunt, si modo, utroque consentiente, negotio adhibiti fuerint. Gail. *obs. lib.* 1. *Cap.* 100. *n.* 19. & *seqq.*

11. Homines viles & pauperes non arcentur, licet eorum minor sit fides *l.* 3. *in pr.* & §. 1. *h.* nisi copia honestiorum haberi possit, quo referenda videtur *N.* 90. *c.* 1. quæ Constantinopoli in urbe regia abhorret ἐπιδρίας καὶ χαμερπεῖς; humi repentes, fæcem abjectissimæ plebis.

12. Quem quis testem ipse produxit, eum dein ab adversario productum, nisi emergente nova causâ, reprobare non potest *l.* 17. *C. h. t.*

13. Inviti ad testimonium dicendum compelli possunt, sumptibus producentis *l.* 16. *C. h.* Excipe conjunc-

das personas, ut sunt cognati ad quintum usque gradum *inclusive*; generi, privigni, sobrini, liberti & vice-versa, soceri, vitrici, patroni contra se invicem *l.* 4. & 5. *h. t.* Nec Illustres coguntur, nisi ex speciali Principis jussu *l.* 16. *in pr. C. h. t.*

14. Inter hos non sunt Advocati, utique non, si res gravis sit & veritas aliter haberi nequeat. Alioqui non videntur urgendi, cum ita fere inepti ad patrocinium fiant, præsertim si de meritis causæ interrogentur. Absolutè tamen hoc recusare nequeunt *arg. l.* 14. §. 1. *C. d. Iudic.*

15. Quot testes requirantur, in genere præscriptum non est, nisi quod unus nullo modo audiatur, εἷς μηδεὶς *l.* 9. §. 1. *C. h. t.* & duo regulariter sufficiunt *l.* 12. *h.* nisi lex aut judex plures certa de causa requirat l. 1. §. *ult. h.*

16. Usu fori unum testem semiplene probare volunt pragmatici. Fab. *Cod. h tit. defin.* 11. hactenus ut juramento suppletorio locus detur, utique si alia argumenta concurrant.

17. Forma perhibendi testimonii est, ut jurati dicant *l.* 19. *C. h.* (nisi adversarius in causâ civili jusjur. remittat. *Gail.* 1. *obs.* 101. *n.* 2.) præsente & citato utroque litigatore *l. pen. C. h.* Olim in foro, ubi judicia agebantur, hodie in secretario judicis *l.* 14. *C. h.*

18. Usu fori testes jurant in præsentiâ partium, interrogari vero & examinari debent secreto. Gudel. 4. *de jure novis. c.* 16. Fab. *d. t. defin.* 13. & 52.

19. Valetudinarii tamen, senes, matronæ, milites, magistratus, & qui graviorem absentiæ causam habent, domi interrogantur *l.* 3. §. *ult. l.* 19. *h. t. l.* 15. *d. Jurejur.*

20. Qui sunt diversæ jurisdictionis per requisitionem judicis ejus fori, aut citantur, aut per illum interrogantur; nisi quod in causis criminalibus testes in ipso judicio examinandi videntur *l.* 3. §. 3. *h. l.* 16. *l.* 19. *C. eod. Nov.* 90. *c.* 5. A. Matth. *disp. de Jud. th.* 37.

21. Iidem testes iterum produci nequeunt, obscurius

rius dicta quominus explicent, nihil vetat *l. ult. C. de Test.* Faber *ad d. tit. def.* 2. correctio tamen non permittitur. Alciat. *reg.* 2. *præsumpt.* 29. A. Matth. *d. disp. d. Iud. th.* 46.

22. In examinando judex plus fidei tribuet pluribus, quam paucioribus; affirmantibus, quam negantibus: dignioribus, quam humilioribus; honestis quàm maculatis, locupletibus quam egenis, simplicibus quam callidis; *l.* 3. *pr.* & §. 1. *h.* vacillantes prorsus non audiet *l.* 2. *h. ibique Mornac.*

23. Porro is, contra quem testes producti sunt *reprobationes* facere easque novis testibus & instrumentis confirmare, quin & dicta testium refutare potest, quos producens iterum refellere potest, per *salvationes* quas vocant. Eaque novis testibus firmari possunt, quos vocant *contrareprobatorios.* Sand. 1. 10. 5.

24. Extra judicium nemo testimonium perhibere compellitur, neque judex officium suum petentibus (nam ultrò potest judex, vi nobilis officii quod vocant, semper inquirere, ubi res jubet) impertitur, nisi urgente gravi causâ, veluti cum litem futuram metuimus, & testes absfuturi, vel morituri timentur *c. quoniam. d. Test.* hi dicuntur in *perpetuam rei memoriam testes.* Tamen, si quis ad testamentum aliosve actus testes reperire nequeat, judex ei suum officium recusare vix possit.

TIT. VI.

De jur. & facti. ignor.

IN facti quæstionibus, circa quas probatio vertitur, frequens est juris & facti ignorantiæ allegatio, de qua summam habemus regulam, quod facti alieni ignorantia, modo non supina, excuset *l.* 2. *l.* 3. *h.* non æque facti proprii *l.* 3. *h. l.* 15. *C. de resc. vend.* nisi valde antiqui & intricati, cujus oblivio facile obrepere possit, ut exemplum est in *l.* 44. *d. Acquir. possess.*

2. Excusat, inquam, generaliter ignorantia facti tam in commodis adipiscendis, quam in damnis vitandis *l.* 8. *h. l.* 7. *C. eod.* tam in contractibus quam delictis *dd. ll.* in usucapionibus *l.* 17. *d. usurp.* divisionibus *l.* 9. *C. eod.* solutionibus *l. pen.* §. *pen. & ult. h.* in condictionibus *l.* 10. *C. eod.* Cæterum, pro eo qui facti ignorantiam allegat, est præsumptio, donec contrarium probetur, aut validior præsumptio opponatur *l.* 21. *d. probat. c. præsumitur. x. de R. I.*

3. De Juris errore habemus hanc regulam; Iis qui de damno vitando certant non nocet *l.* 7. & 8. *h. t.* in lucris præjudicat, tam fœminis quàm maribus *l.* 7. & 8. *l.* 2. 3. & *ult. C. h. t.*

4. Sunt tamen, quos juris ignorantia facilius excusat, quam alios, maxime in levioribus delictis, ut sunt minores annis 25. feminæ, rustici, milites *l.* 9. *in pr. h. pr. l. de Testam. mil. l.* 1. *C. h. t. l.* 9. *pr.* & §. 1. *h. junct. l.* 1. 2. & 11. *C. h. t.*

5. Sed juris civilis ignorantia duntaxat, non utique Naturæ, Gentium & Divini, cujus inscitia nulli prodest. *l.* 38. *pr.* & §. 2. *ff. ad L. Iul. de Adult. l.* 2. *C. de in jus voc.* nec sane cujusvis juris civilis inscitia excusatur; oportet probabilis sit, maxime, si novum & particulare jus fuerit *l. ult. d. decret. ab. ord. fac.*

LIB. XXIII.

TIT. I.

De Sponsalibus.

SEquitur pars altera hujus quartæ partis, quæ est de actionibus, ex jure mere personali oriundis; cujus generis sunt matrimonium atque Tutela: Idque proximo post contractus loco. Et primo quidem de Matrimonio; quod etsi non sit contractus, ut probavimus

mus *in Prælect. ad tit. Inſt. de Nupt. n.* 2. admodum tamen illis eſt adfine; quemadmodum & ſponſalia, de quibus ſimiliter actum eſt ad *d. tit. Inſt.*

2. Dicta ſunt ſponſalia à ſpondendo, quia veteribus moris fuit ſtipulari, & ſpondere futuras uxores, *l.* 2. *eod.* ſed hodie contrahuntur ſponſalia absque verborum ſolennitate, ſolo conſenſu *l* 4 *l.* 7. *l.* 11. *hic.* tam eorum qui conjunguntur, *d l* 11. *l.* 6 *l* 13. *eod.* quam quorum ſunt in poteſtate. *l.* 9 *l.* 11. *cum ll. ſeqq. eod.*

3. Quanquam autem jure Canonico diximus; ſponſalia diſtingui, quod de præſenti ſint, vel de futuro, vix tamen eſt, ut Canones quicquam à Jure Civ. differant, ut *in Prælect.* ad *d. tit. Inſt. n.* 5. probavimus, clareque liquet, è conſtitutione Pii V. *lib.* 4. *tit.* 1. *c.* 2. *Decret.* VII. Ait enim, *Matrimonia per verba de præſenti contracta non tamen conſummata, interdum ſponſalia appellari*; & mox, *ſponſaliorum appellatione, non niſi improprie, matrimonium verbis de præſenti conceptis contractum contineri.*

4. Ex quibus clarè patet, conſenſum purum de nuptiis per verba præſentis temporis expreſſum, hodieque ſecundum doctrinam Juris Canonici eſſe Matrimonium ſponſaliaque appellari per uſum popularem: hunc peperiſſe abuſum in termino Artis exprimendo.

5. Sponſalia autem de futuro, quotidianum uſum nequaquam habere videntur; ſed aut inter impuberes, quod fit quandoque à magnatibus, aut inter eos locum habere videntur, qui vel à conditione ſuſpendere, vel in tempus non breve nuptias differre cupiunt; de quibus agitur in *l.* 9. *h. t. d. Sponſal.* Et in *l.* 14. *eod. tit. Sponſalia, ſicut nuptiæ, conſenſu contrahentium fiunt & ideo ſicut nuptiis, ita ſponſalibus filiamfam. conſentire oportet.*

6. Sed quæ quotidie contrahuntur, pura & præſenti fide interpoſitâ, hæc quidem ſponſalia vocantur & futurarum nuptiarum, eo quod ad rem futuram, conjugii ſcilicet uſum implementumque referantur; Sed interim matrimonium ipſum in ſe ſuaque natura abſolvunt.

7. Quare definitionem ſponſaliorum, quæ eſt in *l.* 1. *h. t.* de ſponſalibus futuri temporis proprie ſic dictis, accipiemus; aut de ordinariis & præſentibus, eo ſenſu, quo jam diximus. Hæc fuſius diſputata ſunt in *lib.* 2. *Digreſſ. c.* 7. 8. & 9.

TIT. II.

De Ritu nuptiarum.

DEfinitio & requiſita Nuptiarum *ad tit. Inſt. de Nupt.* copioſe expoſita ſunt. Primum requiſitum civitatis Romanæ hodie nullum habet uſum.

2. De ſecundo, quod eſt ætas, hic nihil novi habemus, niſi quod hodie ſenum, licet decrepitorum, nuptiæ permittuntur *l.* 27. *C. d. Nupt.* quod olim ſecus erat *l. Iul. & Pap. Ulp. tit.* 16. § *ult.* Scil: vir ſexagenario major mulierem 50. annis minorem ducere non poterat, & mulier quinquagenaria non rectè ſexaginta annis minori nubebat, ne ſemen proli faciendæ aptum periret.

3. Tertium requiſitum eſt, conſenſus Patris, ſed primo contrahentium. Hinc nuptiæ per vim contractæ ſunt ipſo jure nullæ *l.* 22. *h. t.* ubi nota, metum, qui per reverentiam infligitur, actum non facere invitum, nec adeo, vitioſum *l.* 14. *C. d. Nupt. arg. l.* 21. §. 5 *quod met. cauſa.*

4. Conſenſui adverſatur & error, qui circa ſubſtantialia verſatur, veluti circa perſonam ipſam, qualis Jacobi fuit error. Geneſ. 29. licet ille ſibi imponi ſit paſſus, aut aliud legis requiſitum; velut, ſi per ætatem immaturam aut vitium corporis perpetuum faciendæ proli alter ſit ineptus, aut conditionis ſervilis, aut prohibito ſanguinis gradu reperiatur. Errores alii tranſmittuntur, niſi quod repudii cauſam dare poſſunt, de quo infrà.

5. Cujuſcunque autem ætatis ſint liberi, patris egent conſenſu, quanquam filia major ann. 25. ob turpes nuptias, aut meretricios mores exheredari nequeat.

N. 115.

N. 115. *c.* 3. §. 11. unde tamen minimè sequitur, nuptias à filiafam. majore annis 25. contractas jure valere, licet ita tradat Sandius *lib.* 2. *decis. tit.* 1. *defin.* 5. Tu vide Bachov. *ad Treutl. h. t. th* 5.

6. Curatores nihil hac parte habent auctoritatis *l.* 8. *C. d. Nupt.* nec partes in liberos emancipatos *l.* 25. *h. t.* nisi quod filia minor annis 25. patris arbitrio non planè subducitur, imo nec matris & propinquorum *l.* 18. & 20 *C. d. Nupt.* quas tamen consilii quam necessitatis rectius dixeris. *arg. d. l.* 18. *in verb. si mulieris voluntas.*

7. Sed nec liberos in potestate existentes omnino à nuptiis prohibere possunt parentes, quin eos dotare tenentur *l.* 19. *h.* neque cogi possunt liberi, ut hanc vel illam ducant, etsi filiæ paulo quàm mares adductius habeantur *l.* 12. §. 1. *d. sponsal.*

8. Voluntas patris non sequi sed præcedere debet, nec tamen expressa declaratio requritur *l.* 7. §. 1. *d. sponsal. l.* 5. *C. d. Nupt.* si vetuerit pater, nuptiæ tamdiu nullæ sunt, quamdiu ratihabitio supervenit. §. *pen. Inst. de Nupt.* interposita illa vim habet in hoc negotio parem ac in omnibus iis quæ consensu fiunt, nempe ut effectum suum retro extendat ad principium actus *l.* 16. §. 1. *d. pign. l.* 56. *de jud. l.* 1. §. 14. *d. vi & vi arm.* sicut dix. ad *tit. Inst. de Nupt. n.* 6.

9. Scilicet, ratihabitio facit, ut effectus, qui non in actu transitorio, sed statu permanente consistunt perinde sese habeant, ac si ab initio consensus interveniisset, add. *l. ult. ad SC. Mac. l.* 25. *C. d. Don. int. V. & U.* sed effectus, qui ab historia facti pendent, impossibile est ex post facto mutari. Huc pertinet *l.* 68. *d. jur. Dot.*

10. In quibus igitur non de effectu permanente, sed de facto tantum transitorio agitur, ibi ne quidem post ratihabitionem nuptiæ dicuntur ab initio constitisse. Exemplum in *l.* 13. *d. his qui infam.* Pater est infamis; cujus jussu ab initio matrimonium intra annum luctus est repetitum, non qui postea ratum habuit; Nam hic utique ipso facto non jussit, quo sanctio spectat.

11. Ita nec vir adulteram accusare potest jure viri post ratihabitionem Patris, quæ antea se alii substraverit *l.* 13. § 6. *ad l. Jul. de adult.* Nam talis accusatio veritatem facti supponit, quod fuerit justa uxor, quam ratihabitio non præstat. Illa ad effectum modo nuptiarum statumque liberorum pertinet.

12. Temere igitur hi textus objiciuntur, qui & in materia versantur pœnali ac odiosa, quæ semper restringitur, nos in favorabili, quæ facile extensionem recipit. *l.* 57. §. 1. *h.* fermè ex eodem principio respondendum ad *l.* 4 *l.* 65. §. 1. *d. rit. Nupt.* & *l.* 6. *C. de Nupt. quæ vide, jis.*

13. Nec obstat *l.* 11. *d. stat. hom.* quæ tantum de statu prolis, avo ignaro, conceptæ agit; ut ad ratihabitionem, de qua non loquitur, extendatur, nihil necessum est.

14. Denique, nec exceptio valet, quod effectus ratihabitionis cesset in his quæ ipso Jure nulla sunt *arg. l.* 3. §. 9. *d. Don. int. V.* & *Ux. l.* 25. *C. eod item l.* 17. *d. inj. rupt. irr. fact. test.* Etiam talia convalescunt, si consentiat is, in cujus gratiam nullitas sancita est *dd. ll.*

15. Tu dices, jussus ad ipsam matrimonii formam pertinet *d. pr. I. de Nupt.* hæc autem ex post facto suppleri nequit. Resp. Negotium, unde quod jussu agitur, sine dubio quoque jussum requirit ad formam suam; at tamen ibi ratihabitio perinde sufficit *l.* 1. §. 6. *Quod jussu.* Ratihabitio facit, ut consensus, adeoque forma conjugii à prima hora adesse videatur.

16. De honestate dictum est ad *d. tit. Inst. n.* 44. *eoque* pertinet prohibitio cum sponsis proximorum *l. pen. C. d. incest. Nupt.*

17. Prohibitiones mere civiles sunt ex *l.* Papia *l.* 23. *l.* 44 *h. l. pen. C. h. t.* quod hodie ex parte mutatum *aut h. sed novo jure C. d. Nat. liber.* quâ valent nuptiæ inter illustrem & vilissimam quamque, si dotalia instrumenta sint composita.

18. Secundæ Nuptiæ omni quidem jure licitæ sunt; sed

ſed odioſæ tamen *N.* 22. *c.* 20. & 42. *l. ult. C. quand. mul. tut. off. l.* 3. *C. d. Sec. nupt.* hinc liberis prioris matrimonii ſanctionibus quibuſdam, quæ pœnæ, licet abuſive, dicuntur, conſultum eſt: quæ remedia non ceſſant, etſi maritus prior facultatem uxori rurſus nubendi dederit, aut liberi conſenſerint. D. Wiſſenb. *parte* I. *Pandect. diſp.* 45. *th.* 3. & 4.

19. Sanctionum earum prima eſt, quod amittat proprietatem eorum, quæ à primo conjuge vel liberis primi conjugii accepit, uſufr. tantum retento *l.* 2. 3. 5. *C. de Sec. Nupt.*

20. Leges priores tantum de matre loquuntur, ſed *l.* 5. etiam de patre. uſu fori indiſtincte ad Patres extenditur. Sand. *l.* 2. *tit.* 3. *d.* 2.

21. Altera ſanctio eſt, quod Conjugi ſecundo, nullo titulo plus quam uni ex liberis prioris matrimonii relinquere fas ſit *l.* 6. *C. eod.* quo tamen jus commune, quo liberis diſpares portiones relinquere licet, non eſt mutatum, contra poſteriores liberos. *vid. l. ult. C. fam. erc.* hæc etiam ad patrem producitur in *Nov.* 22. *C.* 27.

22. Tertia pœna eſt, amiſſio uſusfr. à priori conjuge relicti *l. un. C. ſi Sec. Nupt. mul.* quod mutatum *Nov.* 22. *C.* 32 *adde N.* 127. *c.* 3.

23 Quarto, mulier binuba amittit dignitatem ex priore marito *d. N.* 22. *C.* 36. *l.* 10. *C. de Nupt.*

24. Quinto, amittit tutelam liberorum *l.* 2. & *Auth. ſeq. C. quand. mul. tut. off.* quæ tamen vitrico, ſi nihil ſpeciale obſtet, permitti poteſt *l. ult. C. d. contr. tut. act.* Educationem quoque libb. amittit *d. Nov.* 22. *c.* 38.

25. Tenetur & ad cautionem Mutianam propter legatum ſub conditione viduitatis relictum *d. N. c.* 43. & *ſeq.* ut & reliquorum legatorum cautiones *c.* 41. quibus mutatur *l pen.* & *ult. C. d. indict. viduit. toll.*

26. De pœnis nuptiarum intra annum luctus vid. *l.* 1. & 2. *C. de Sec. Nupt.* & *Auth. ſeqq.* quæ hodie vix ſervantur. Plura de ſecundis Nuptiis vide apud Fabr. *Cod. Sabaud tit. de ſecund. Nupt.* Sand. 2. *deciſ. Friſio. tit.* 3.

27. Abſtinentia ab ſecundis nuptiis honoratur ita, ut mulier accipiat portionem filialem de donatione propter nuptias juxta uſumfructum totius *N.* 127. *c.* 3.

TIT. III.

De Jure Dotium.

MUlieres nuptæ bona triplicia habent, dotalia, præterdotalia, quæ Græci parapherna vocant, & receptitia.

2 Dotalium maritus eſt Dominus, quatenus res in dotem datæ dominii capaces ſunt *l.* 1. §. 3 *l.* 13. §. 2. *d. fund. dot.* non modo juris dotalis, ſed & rerum ipſarum *l.* 7. §. 3. *h. l.* 23. *C. eod.* Dix. ad *tit. Inſt. Quib. alien. lic. n.* 16.

3. Paraphernalia ſunt propria Uxoris; ſed â marito adminiſtrantur, nomine tamen Uxoris, quæ hoc ipſum prohibere poteſt *l.* 8. *l. ult.* §. *ante adm. C. d. Pact. conv.*

4. Receptitia ſunt, quæ uxor pleno jure retinet, nec in viri poteſtatem committit. Gell. *l.* 17. *c.* 7. Dicuntur receptitia; quia excipiuntur juri mariti & *recipiuntur* ab uxore. Budæus ad *l. proprium ff. comm. præd.*

5. Eſt adhuc donatio propter nuptias, de quâ dix. ad tit. I. de donat. *n.* 26. & *ſeqq.* cujus loco hodie mulieribus in caſum viduitatis aſſignantur bona certa, quorum aut reditus aut proprietas ad eam, ſoluto matrimonio, pertinebit, vulgo celticè *doüaire al. dotalitium*; cujus dominium conſtante matrimonio ſine dubio penes virum eſt, ſecus ac ſponſalitia largitas, quæ ex Romanis uſitata *l.* 1. §. 1. *d. Don. l.* 8. & *ſeqq. C. d. don. ant. nupt.* eæque puræ & irrevocabiles erant. *dd. ll.*

6. Sed jure novo tacita ineſt conditio, ſi nuptiæ ſequantur: ſi enim â ſponſa impedimentum fuerit, donata reſtituuntur *l.* 15. *C. eod.* quod etiam habet locum ſi per illam ſteterit, quo minus conjugium duraret Sand. 2. 2. 1. ſi morte ſolvantur, diſtinctio oſculi adhibe-

hibebatur. *l.* 16. *C. eod.* scil. in donatis à sponso; verum quod sponsa donavit, seu cum seu sine osculo, id omne post sponsi mortem repetit *d. l.* 16.

7. Cæterum, Dos potest definiri, quod fit pecunia data marito, ad sustinenda onera matrimonii *l.* 56. § 1. *h.* per pecuniam quælibet res, corporales & incorporales, æstimatæ, inæstimatæ intelliguntur *l.* 7. §. 2. & 3. *l.* 52. *h. t. l.* 222. *d. V. S.* etiam alienæ, sc. cum effectu usucapionis & actionis de dote *l.* 6. §. 1. *h. t.*

8. Dicitur *data* in definitione, quia dominium transfertur, de quo jam dictum. Ex differentia generi adjecta liquet, dotem esse titulum onerosum, idemque probatur ex *l.* 19. *d. O.* & *A.* cui proinde convenit effectus, de quo agitur in *l.* 6. §. 11. *d. bis quæ in fraud. cred.*

9. Jus dotale potest quidem à dote distingui, ita ut dos significet universas res in dotem datas *l.* 9. §. 2. *h. t. l.* 1. §. 4. *d. dot. præl.* & jus, facultatem, quæ illis rebus prædicatur, denotet; minime vero jus dotale unionem universitatis infert, qualis est hereditas seu jus hereditarium, quia nulla in rem actio legibus prodita est, quæ ex universitate dotis nascatur, sed tantum de rebus singulis in dotem datis *l.* 9. *C. de rei vind.*

10. Equidem in personam actio, quæ est rei Uxoriæ aut ex stipulatu, datur de universa dote, quemadmodum omnes, quæ generales dicuntur, actiones, multa simul complectentes *l.* 38. *pro soc.* ex quibus sequitur, jus dotis non esse peculiare jus in re, sed aut cum dominio coincidere, aut, jus ad rem sive in personam esse duntaxat, dix. *l.* 4. *Digress. cap.* 9.

11. Dividitur dos in profectitiam & adventitiam: profectitia, quæ a parente virilis sexus proficiscitur, licet filia sit emancipata *l.* 5. *pr.* & § 11. *h.* adventitia est quæ à parente maternæ lineæ, vel quovis alio datur *d. l.* 5. *l. un.* §. 13. *C. d. rei ux. act.*

12. Secundo, Dos necessaria vel voluntaria est; necessaria, quam lex imperat, ut patribus *l. ult. pr. C. d. dot.*

d. dot. prom. nisi forte distinguendum inter filiamfam. & emancipatam, per *l.* 19. *d. Rit. Nupt. l.* 44. *h. t.*

13. Sed filiam locupletem, non videtur dicendum, quod Pater de suis bonis dotare cogatur *arg. d. l. ult. & l.* 22. §. *penult. ad Sct. Treb. vid.* Wissenbach *ad h. t. th.* 8.

14. Mater non nisi volens dat dotem, excepto, si Pater sit inops, illa locuples, vel si filia sit orthodoxa, mater hæretica *l.* 19. §. 1. *C. d. Heret.* aut aliter ex *magnâ causa l.* 14. *C. h. t.*

15. Constituitur dos per traditionem §. 40. *I. d. R. D.* item stipulatione & pacto, quod hodie est legitimum *l.* 6. *C. d. dot. prom.*

16. Nam matrimonio simpliciter contracto, bonisque ad maritum illatis, nihil quam paraphernalia mulier habere intelligitur; quod hodie ut plurimum fit. Quippe dos contrahitur: contractus autem est facti, quem probari oportet *l.* 7. §. *ult. d. Cur. fur.*

17. Potest quidem mulier omnia sua bona dare in dotem *l.* 4 *C. h. t.* sed hoc fecisse non præsumitur: potest etiam ex immodicâ dotis dationę restitui in integrum, non modo si minor sit *l.* 9. §. 1. *d. min.* sed & si major annis 25. *l.* 6. §. *ult. h. t.*

18. Si vir dotem confessus accepisse, non acceperit, datur ei heredique ejus exceptio dotis cautæ non numeratæ; nisi matrimonium ultrà decennium duraverit, quo casu penitus cessat; si ultra biennium, tribus mensibus finitur; si minus biennio, hæc exceptio durat annum *l.* 1. *& ult. C. de dot. caut. non num. & Auth. seqq.*

19. Nota postremo; dote simpliciter promissa, nec quantitate expressa, siquidem Uxor ipsa promiserit, nihil ab illa peti potest *l.* 1. *C. d. dot. prom.* de patre aliter videtur *l.* 69. §. 4. *h. t.* cujus ratio ne extraneos quidem promissores penitus absolvit. vid. Fachin. 8. *controv.* 75. *A. Fab. Cod. lib.* 5. *tit.* 6. *def.* 6.

TIT.

TIT. IV.

De Pactis dotalibus.

PActa circa dotem inita valent, si non evertant dotem, nec cum bonis moribus pugnent. Hinc non valet pactum, ne maritus culpam præstet *l.* 6. *h.* neque, ne de moribus agatur *l.* 5. *pr. h.* adde *l.* 27 *h.*

2. Jure novo etiam requiritur æqualitas inter dotem & donationem propter nuptias *Auth. Æqualitas C. de Pact. super dot.*

3. Ex licitis pactis initio dotis dandæ adjectis non modo Conjuges, sed & hi qui dotem dant, nec tibi tantum, sed & mulieribus actionem adipiscuntur *l.* 7. *D. h. t.* ubi vide *plenius*. De repetitione dotis alibi est locus dicendi.

4. Pacta hæc ita de dote valent, ut fert natura pacti, non ut vim ultimæ voluntatis habeant *l.* 5. *C. d. Pact. conv. l.* 15. *C. d. Pact.* Sed hoc notissima praxi mutatum est, vide citatos a Wissenbachio ad *h. t. th.* 23. quanquam non ubique, non utique in Frisia. vid. Sand. *lib.* 2. *tit.* 2. *def.* 7.

5. Conventiones donationesque particulares valent irrevocabiliter. *l.* 40. §. *ult. d. Pact.* nisi per modum & formam ultimæ voluntatis relictæ sint; quo casu & quinque testes requiruntur & revocandi est facultas. Sand. *d. tit.* 2. *defin.* 4.

TIT. V.

De Fundo Dotali.

CÆterùm, alienatio fundi dotalis, de qua dictum *p.* 1. *l.* 2. *t.* 8. *n.* 12. adeo prohibetur, ut ne divisio quidem fundi cum alio communis à Viro peti possit, quanquam provocanti parere posse necessitas jubet. *l.* 2. *C. h. t.*

2. Quemadmodum & omnis hæc prohibitio de voluntа-

luntaria alienatione, non de necessariâ intelligenda est; quominus enim ære alieno uxoris cogente, aut alimentorum causâ fundus dotalis alienetur, nihil obstare potest. Perez. *ad h. t. C.*

3. Ad res mobiles quoque Legem Juliam non pertinere certum est *l. 4. b & l. 3. C. h. t.* easque mulier a viro alienatas vindicare prohibetur *l. 9 C. d. R. V.*

4. Extra dotales, potest mulier, etiam sine Viri consensu, res suas alienare & obligare *l. 8. C. de pact. Convent. l. 12. C. de pignor.* quod moribus aliter est, cum vir plerumque sit curator uxoris. Perez. *h. t. C. n. 8.* Sand. *2. tit. 4. def. 3.*

5. Dominium, quod maritus habet in fundo dotali, cum soluto matrimonio restituatur mulieri, est revocabile. Unde fit, ut dolum & culpam præstet, quam alioqui nemo in re propriâ luit *l. 17. d. jur. dot.* eoque sensu dominium uxoris aliquando, non ipsius dicitur *l. 3. §. 5. in fin. d. Min. confer l. 22. d. Acquir. poss.* In *l. 30. C. d. jur. dot.* idem est; sed ibi Cæsar exorbitat adeò, ut mulierem rei quoque æstimatæ in dotem datæ dominam esse dicat, quod nullo modo verum esse potest *l. 10. C. de jur. dot. dix. ad tit. I. Quib. alien. lic. n. 12. & seqq.*

LIB. XXIV.

TIT. I.

De Donat. int. Vir. & Uxor.

Dos & donatio propter nuptias sunt justæ inter conjuges donandi causæ; sed mera liberalitas moribus Pop. Rom. inter conjuges abolita est, ratione, quæ prima fronte prope absurda videtur, sed re ipsa & usu magistro necessaria: quoniam vel nimia facilitate, cum fere alter conjugum alteri sit obnoxius, se invi-

invicem exhaurirent, vel negata liberalitate simultates pullularent, quod habendum ad *l.* 1. & 2. *h. t.*

2. Stabilitâ prohibitione, consequens fuit, ut non modo directe vetarentur donationes, sed & inter omnes, per quos videri posset indirecte donatio perpetrari inter conjuges; velut inter socerum ac generum nurumque, imo & consoceros invicem, uxoremque & fratrem mariti, qui est sub eadem patria potestate *l.* 3. §. 1. & *seqq. l.* 5. §. 2. *l.* 26. §. 1. *l.* 32. §. 16. & 18. *h. t.*

3. Verum hi casus hodiernis moribus cessant, sublata videlicet per nuptias patriâ potestate, quæ causa illarum prohibitionum fuit; sed quod nec mater donare potest filio, nisi emancipato, id hodieque viget, quia Pater, id est, maritus donatricis acquirit usumfr. unde sequitur, deducto usufructu, valere donationem *l.* 17. *C. d. Don.*

4. Donatio mortis causa, quia exitum habet in id tempus, quo conjugium non erit amplius, æque conjugibus ac aliis permittitur *l.* 9. § 2. & *ll. seqq. h. t.* cui minime obstat *l.* 53. *eod.* cum ibi donationis exitus conjugio adhuc durante, sit futurus. Neque *l.* 76. *d. her. inst.*

5. Sed nec omnis donatio inter vivos in eadem causa est; nam quæ donantem non facit pauperiorem, vel donatarium ditiorem, illa valet. *l.* 25. *l.* 32. §. 9. & 10. item ob graves causas, ut sepulturæ *l.* 5. §. 8 ædificandi domum exustam *l.* 14. dotandæ communis filiæ *l.* 34. dignitatis adipiscendæ *l.* 40. & *seqq.* exilii *l.* 43.

6. Denique, facta inter conjuges & traditione impleta donatio, nec revocata, morte donantis confirmatur *l.* 32. §. 1. 2. 14. 23. etiam ut à primo initio firma fuisse censeatur, modo non excedat summam insinuationi obnoxiam, de quâ alias. *l.* 25. *C. h. t.*

7. Quæ stipulatione sola facta est donatio, hanc morte non firmari, auctor est Ulpianus in *l.* 23. *h. t.* sibi discors, ut pene videatur, in *l.* 33. Justinianus idem in utraque statuit *Nov.* 162. *c.* 1. Wissenb. *ad h. t. th.* 11.

TIT.

TIT. II.
De Divort. & Repud.

Repudio ſolvuntur ſponſalia, divortio matrimonia; etſi hæ voces quandoque promiſcue ſumantur *l.* 101. *d. V. S.*

2. Solvuntur autem ſponſalia & mutuo & unius conſenſu *l.* 2. §. 7. *h. Sed* jure *Cod.* ſponſus renuncians ſine cauſa perdit arrham, ſponſa ſui juris & major annis 25. duplicatas reddit, minor ſimplum, parentes duplum; quod ad ſponſos minores extenditur *in l.* 5. *C. d. ſponſal.*

3. Jure Can. ſponſalia de futuro recte etiam mutuo conſenſu ſolvuntur *cap.* 2. *extr. d. ſponſal.* ſed altero invito, juſtam cauſam intercedere oportet, quales ſunt diverſitas religionis, paralyſis, cæcitas, naſi ademptio cap. 25. x. de jurejur. item diuturna abſentia, debilitas, laſcivia, de quibus ante ſponſalia non conſtiterit, quælibet denique rationabilis cauſa *cap.* 10. & 17. x. *de ſponſal.*

4 Sponſalia de præſenti, ne quidem mutuo conſenſu, dirimi poſſunt, niſi juſtis de cauſis *cap. pen. eod.* Per hæc etiam priora de futuro irrita fiunt: niſi ad priora coitus acceſſerit, per quem in matrimonium coaleſcunt *cap. ult. eod.*

5. Divortium jure Civ. multas ob cauſas fieri poterat, per conſenſum mutuum ſive bonam gratiam *l.* 62. *pr. d. Don. int. V. & U. l.* 9. *C. d. Repud.* quod mutatum *Nov.* 117. *c.* 10. renovatum ex parte *N.* 140. ubi Juſtin. exemplo Moſaico, pro ultima diſcordantis conjugii medela libellos repudii permittit.

6. Cauſæ aliæ in jure ſunt ſacerdotium, ſterilitas, ſenectus, valetudo, militia *l.* 60. §. 1. *cum l. ſeq. d. Don. int. V. & U.* furor perpetuus *l.* 22. §. 7. *ſol. matrim.* deportatio *l.* 1. *C. de repud.* pleraque etiam crimina *l.* 8. *C. eod.*

7. Ju-

7. Jure noviſſimo ſanxit Juſtinianus, mulierem à viro poſſe dimitti ob has cauſas; ob conſcientiam perduellionis, ob adulterium, ob inſidias viri vitæ ſtructas, ſi cum viris aliis convivata ſit, aut laverit mulier, ſi foris pernoctaverit, niſi apud ſuos parentes, ſi ludos circenſes aut theathrales ſine viri conſenſu ſpectaverit *Nov.* 117. *c.* 8.

8. Tres priores cauſæ uxori etiam præbent divortii cauſam; & præterea 4. ſi vir uxorem proſtituat, 5. ſi adulterii illam accuſaverit. 6. ſi vir alias mulieres domum, invita uxore, ducat, nec monitus deſiſtat, *cap.* 9. *d. N.* 117. VII. cauſa eſt impotentia viri triennalis *Nov.* 22. *cap.* 6. *Auth. ſed hodiè. C. de Repud.* VIII. ſi abſentem maritum non temerè audiverit eſſe mortuum *Auth. Hodie d. t. ex. d. Nov.* 117. *c.* 11. Confer *l.* 6. *b.* & *l.* XI. §. *pen. ad l. Jul. de Adult.* Denique vitâ alterius conjugis monaſticâ, *cap.* 12. *d. N.* 117.

9. Moribus hodiernis, ſequimur jus Divinum novi fœderis, quo duæ tantum cauſæ cognoſcuntur, adulterium. Matth. 5. §. 32. & *cap.* 19. §. 9. item malitioſa deſertio, quæ fit cum animo non revertendi 1. *ad Corin.* 7. §. 17. per quas vinculum quoque ipſum conjugii diſſolvitur, ut è textibus liquet, etſi aliter jure canonico *c.* 16. *de Sponſal.*

10. Eſtque jusob illas cauſas utrique conjugum par *l.* 13. §. 5. *ad l. jul. d. Adult. d. N.* 117. *c.* 9. licet uxor virum adulterii accuſare nequeat *l.* 1. *C. ad l. jul. d. adult.* Quando tamen pars læſa divortium non petit, nihil obſtat, quominus duret matrimonium *d. N.* 117. *c.* 8.

11. A cauſis divortii ſeparantur cauſæ nullitatis, quando unum è requiſitis nuptiarum, de quibus *ad tit. Inſt. de Nupt.* deficit. Eſt inter eas impotentia τῦ παιδοποιεῖν, de qua diximus; ſed an, ut mulieri patientia triennalis imponitur, eadem viro ſuſtinenda, ſi tam arcta ſit mulier, ut mulier fieri nequeat *l.* 14. §. 7. *d. Ædil. Ed.*? Non videtur.

12. De aliis erroribus ſic habendum; Qui circa eſſen-

tiam matrimonii committuntur, nullitatem inferunt, non qui circa accidentia, nisi dolus causam dederit contractui nuptiarum *arg. l. 7. in pr. d. dol. mal.*

13. Corrupta pro virgine ducta est, qualis hic error Accidentalis; divortio tamen causam præbet; si ante copulam, vel statim post eam detectum sit vitium; non æque, si conjugio inveterato. *Deuteron.* 22. *v.* 21. Wissenb. ad *tit. d. Sponsal. th.* 3.

TIT. III.

Soluto matrimonio, Dos quemadmodum pet.

SOluto matrimonio, loco veteris rei uxoriæ actionis datur hodie, ad repetendam dotem, actio ex stipulatu, de dote, quæ admodum singularis est *l. un. pr.* & §. 2. *C. de rei Ux. act.*

2. Nam I. datur hæc actio ex stipulatu de dote, licet nulla stipulatio intervenerit *d. l. un.* §. 1.

3. II. Quod hæc actio sit bonæ fidei, cum alioquin è stipulatu actio sit juris stricti, §. 29. *I. de Action.* ratio reddita est ad *tit. Inst. de Action. n.* 62.

4 III. Hæc actio prædita est hypotheca tacitâ, quam mulier habet in bonis mariti ad dotem conservandam *d.* §. 29. *in fin.*

5. IV. Habet & privilegium, quo mulier præfertur omnibus, licet antiquioribus aliterve privilegiatis creditoribus *d.* §. 29. *l. ult. C. Qui pot. in pign.* excepto solo, qui credidit in militiam, constante matrimonio, emptam *N.* 97. *c.* 3 & 4.

6. Placuit ita in solius mulieris gratiam *d.* §. 29. *in fin.* ut tamen ad liberos ejus extendatur benificium, non ad heredes extraneos *d. l. un.* §. 6. *d. l. ult. vers. exceptis.*

7. Stante matrimonio, dos repeti nequit, nisi maritus deportetur, aut ad inopiam vergat *l.* 24. *b. l.* 29 *C. d. jur. dot. junctâ l.* 31. *in pr.* & *l.* 56. *h. t.* sed ultimo casu, oblato fidejussore, dos retineri, aut deinceps recuperari posse

ri posse videtur, ut & viro locupletiore facto, sine satisdatione, per *d. l.* 24. §. 2. *l.* 4. §. 1. *d. Mun. & Hon.* licet dissent. D. Wissenbach. *ad h. tit. th.* 16.

8. Sed ut distinctius hujus tit. usus capiatur, dicendum: Si morte mulieris solvatur matrimonium, dotem profectitiam reverti ad patrem, licet extent liberi, nisi aliud convenerit, per textus generales in *l.* 6. *d. jur. dot. l.* 12. *l.* 26. *pr.* & §. 2. *d. pact. dot.* Sand. 2. *decis. Fris.* 2. *def.* 5. & *sequ.* Diss. *Bronch.* 3. *antin.* 11.

9. Obst. *l. ult.* §. *pen. Ut leg. nom. cav.* Resp. vel ibi non agi de dote profectitia, vel manere penes maritum non ob filios, sed vi pacti; potior tamen est responsio prior. Responsionem ad *l.* 40. *h. t.* vide apud D. Wissenb. *adh. t.* In foro sequuntur causam æquitatis, quæ pro liberis esse videtur. D. Schotan. *Exam. h.* Sand. *d. loc.* Diss. & Fachin. 3. *controv.* 71. & *lib.* 13. *c.* 59.

10. Si pater non sit, dos tam adventitia quàm profectitia, pertinet ad heredes mulieres *l. un.* §. 6. *C. d. rei Ux. act.* cum olim apud maritum remaneret, tam profectitia, si Pater non esset, quam adventitia, nisi is qui dederat, stipulatus esset, eam sibi reddi, quæ dos receptitia dicebatur. Ulp. *tit.* 6. §. 2.

11. Si tamen vir uxoris mortem non vindicasset, tunc ei auferebatur in fiscum *l.* 20. & *sequ. d. his quæ indign. l.* 27. *d. jur. fisci.* Opp. *l.* 10. §. 1. *Sol. matrim.* apud heredes mulieris remanet. Resp. Ibi vir uxorem ipsemet occiderat, ideoque dotem ab initio non quæsiverat, sed in *d. l.* 2. vir semel dotem acquisierat, postea verò amisit, ut ita ad fiscum pervenire potuerit.

12. Hodie hæc res usum non habet, nisi pactus sit vir, dotem apud se mansuram *d. l. un* §. 6.

13. Aliud est, cum morte mariti, vel divortio solvitur matrimonium: tunc enim pater conjunctâ filiâ, si in potestate sit, emancipata sola dotem repetit; quod jure veteri institutum, non est mutatum *l.* 34. §. 5. *d. leg.* 2. *l.* 2. §. 1. & 2. *l.* 3. *h. l.* 59. *Eod.*

14. Tempus restituendi olim erat annua, bima,

trima dies, hodie res mobiles intra annum, immobiles illico reſtituuntur *d. l. un.* §. 7. ſic ut maritus non teneatur ultra quàm facere poſſit *l.* 12 *& ſeq. h.* quod & ſocero competit, ſtante matrimonio *l.* 16. *pr. h.* non ſi dirempto eo, conveniatur à marito, ob dotem promiſſam *l.* 21. *& ſeq. d. Re jud.* idque per *l. pen. d. jur. dot.*

15. Propter adulterium & quamlibet injuſtam divortii cauſam amittit mulier dotem, quæ cedit marito; & hic, liberis non extantibus, de paraphernalibus tertiam adhuc quantitatis dotalis partem lucratur, ſed liberi extantes omnia retinent, quod perinde reſpectu mariti cautum, niſi quod liberis deficientibus, reliqua omnia bona cedunt fiſco *N.* 117. *c.* 8.

16. Etiam vidua ob ſtuprum intra annum luctus commiſſum, donationem propter nuptias, ſi ſtatuto vel pacto apud eam remanſerit, perdit. *Nov.* 39. *c. ult.* Adde *l.* 1. *& 2 C. d. Sec. nupt.*

LIB. XXV.

TIT. I.

De Impenſis in rem dot. factis.

MAritus dotem reſtituens impenſas non tranſitorias ſervare poteſt §. 36. *I. de action. l.* 12. *h. t.* 2. Sunt autem impenſæ vel neceſſariæ, ſine quibus res conſiſtere non poteſt; vel utiles, quæ rem faciunt meliorem, aut voluptuariæ, quæ tantum ornant ſpeciem *l.* 79. *d. V. S.*

3. Neceſſariæ & utiles petuntur actione mandati, ſi mulieris voluntas conſtet, vel negotiorum geſtorum, ſi non conſenſerit *l. un.* §. 5. *C. d. rei Ux. act.*

4. Voluptuariæ tolluntur duntaxat, niſi mulier eas ſolvere malit *l.* 9. *h.* neque exigi poſſunt, etſi volente muliere factæ *d. l. un.* §. 5.

5. Ibi

5. Ibi & hoc ſtatuitur, retineri propter impenſas nullo modo poſſe res dotales, & tamen ob impenſas neceſſarias dos ipſo jure minui dicitur; quod intellige, quatenus dos non in corporibus, ſed in quantitate conſiſtit, juxta *l. 5. pr. h. t. ubi ergo admittimus diminutionem dotis ipſo jure fieri? ubi non ſunt corpora; ſed pecunia, nam in pecunia ratio admittit diminutionem fieri: proinde, ſi æſtimata corpora in dotem data ſint, ipſo jure dos diminuitur per impenſas neceſſarias.*

6. Adde. *l. 1. §. 4. d. dote præleg. quod diximus, ipſo jure dotem impenſis minui, non ad ſingula corpora, ſed ad univerſitatem erit referendum.* vid. *lib. 4. Digeſſ. c. 9.*

TIT. II.

Rerum Amotarum.

ETiam hæc actio poſt finem matrimonii datur, conjugum uni adverſus alterum, èo quod conſtante matrimonio, divortii cauſa, res amoverit *l. 1. & 3 ff. & C. h. t.*

2. Verba definitionis tria ſuggerunt requiſita: Primo, quod durante conjugio non detur hæc actio, ſed tum condictio eſt *l. 25.* vel actio in factum *l. 2. C. h. t.* quæ & rerum amot. dicitur, utilis ſcil. *l. ult. §. uli. C. d. furt.*

3. Secundo, Divortii cauſam ſubeſſe oportet *d. l. 25. l. 3. §. 3. h.* de quo in dubio juramentum defertur *l. 11. §. 1. 2. h.*

4. Denique, ut amotio facta ſit, durante matrimonio: nam fiante, vel poſt, furtum committitur *l. 3. §. 2. h.* cujus tamen actio in conjugem non exercetur *d. §. 2.* ideoque nec famoſa eſt, per *l. 36. d. O. & A.*

5. In heredem datur, quatenus pervenit *l. ult C. h. t.* eſt enim vere hæc actio ex delicto, licet rei perſecutoria *l. 21. §. 5. h.*

6. Igitur, quod in *l. 6. §. 4. h. t.* heres mulieris ex hac cauſa teneri dicitur, ſicut heres furis ex condictione furtiva, ſecundum quid eſt accipiendum: accurata

dijudicatio hujus comparationis, inde, ubi ex professo hæc res agitur, petenda est, nempe ex *l. 9. d. cond. furt. l. ult. C. h.* dix. *in Prælect.* ad *tit. Inst. d. obligat. ex delict. in fin.*

7. Res in hoc judicio æstimantur, quanti fuerunt eo tempore, quo amotæ sunt. *l. 29. eod.* sed & ejus quod interest actoris, æstimatio habetur *d. l.* 21. §. 4 & condemnatio fit in solidum, non in quantum vir aut mulier facere potest: *d. l.* 21. §. *ult.* interdum etiam, quantum in litem actor juravit *l.* 8. §. *fin. l.* 9. *eod.*

TIT. III.

De Agnoscendis & alendis libb.

RUbrica duas hujus tit. partes indicat. Prima est de agnoscendis liberis, secunda de alendis. De agnoscendo agitur vel soluto, vel constante matrimonio.

2. Soluto per divortium conjugio, Uxor prægnantem se putans intra dies 30. marito vel patri ejus denunciare debet *l.* 1. § 1. & 2. *h.* quo facto, vir partum non utique ut prolem suam, sed quoad alimenta agnoscere debet *d. l.* 1. §. 14.

3. Potest tamen custodibus missis custodire ventrem *d. l.* 1. §. 4. nisi ex se uterum gerere neget, quo casu judicio disceptandum *d. l.*

4. Durante quoque matrimonio agi de agnoscendo, est in *l.* 3. §. 1. Et quidem regula est, patrem esse, quem nuptiæ demonstrant *l.* 3. *d. his, qui sunt sui vel al. jur.* quod tamen non impedit, quominus parentes necessariis argumentis probent, non esse suos *d. l.* 1. §. 14. *vers. cæterum.*

5. Altera pars est de alimentis, ad quæ primo parentes erga liberos coguntur; adeo ut is qui liberos abjicit, de cæde teneatur *l.* 4. *h. t.*

6. Intelligendum hoc autem de liberis semel sublatis & ad alendum susceptis; nam recens nati poterant olim à parentibus impune exponi, ut ex historia notum est, nec

nec non ex *l. 29. d. man. test. l. 16. C. d. Nupt. l. pen. & ult. C. d. infant. exp.* Hinc locutio tollendi liberos, *l. 6. §. 2. d. jur. patron.* respectum habens ad morem, quo pater infantem recens natum & ante suos pedes collocatum tollebat è terrâ, id est, suscipiebat, vel non tollens exponi jubebat.

7. Debet autem alimenta pater, ita, si filius se exhibere nequeat, quod à judicis arbitrio pendet *l. 5. §. 7. h. t.* utrum autem in potestate sint, an secus, non distinguitur *l. 5. §. 1. h.*

8. Post patrem tenentur ulteriores paterni adscendentes, secundum illos mater & materni adscendentes *d. l. 5. §. 2. & seqq.* sed patre existente, mater expensa cum animo repetendi facta, ab illo exigere potest, non si ex *φορυῆ* materna *d. l. 5. §. 14.* Sand. 2. *decis.* 8. *def.* 3.

9. Ubi parentes sunt nulli, fratribus adhuc & sororibus alendi onus incumbere videtur, per *l. 13. §. ult. d. adm. tut. l. 4. ff. Ubi pup. educ.* Ut in *Foro* sentiunt: vide *Sandium d. tit.* 8. *def.* 2.

10. Ratio, qua parentes tenentur, est necessitas naturalis, quatenus quod quisque procreavit, quantum in ipso est, tueri debet; in liberis est gratitudo & pietas arg. *l. 15. d. inoff. test. l. 9. d. Cond. insl.* & indignitas, ut Pater egeat, cum filius sit in facultatibus *l. 5. §. 13. h.* eædemque rationes analogice in fratribus obtinent.

11. Post illos ratio propinquitatis remissior est, quàm ut cogendi vim addere possit, adeo ut nec patruus fratris sui filios alere cogatur. Sand. *d. tit.* 8. *def.* 2. Diff. Fachinæus 12. *controv.* 61.

12. Discrimen & hoc inter parentes videtur & cæteros, quod hi non aliter tenentur, quam si in facultatibus sint *d. l. 5. §. 13. & 19.* sed parentes, ne quidem pauperrimi hoc onere liberari possunt, etsi publice vel privatim opem alienam implorare debeant; per *d. l. 4. h.*

13. Cæterum; liberi incestuosi, adulterini ac nefarii hoc remedio prætoris, & ordinaria jurisdictione digni non habentur; quare nec ad ullam partem successionis paternæ vocantur *N.* 89 *c. ult.* ubi & alimen-

tis indigni dicuntur; quæ ratio à negatis alimentis non valet ultra quam ad justificandam sanctionem ejus loci, quæ unice de successione concepta est; nam Parentes liberis sua bona relinquere debent, quia tenentur ad eos alendos; Quibus igitur successio non debetur, hi nec alimentis digni esse videntur. Idque obiter ibi ponitur: de alimentis vitæ sustentandæ necessariis ut ibi non agitur, ita nec negatur, extra ordinem officium esse magistratuum ejusmodi liberis etiam sumptibus parentum prospiciendi, ne quod innoxium est puniatur & flagitium sit levamento *in Prælect. Inst. ad Nov.* 118. *n.* 7.

14. Ad heredes alimentorum obligatio non videtur transire, nisi respectu liberorum in summa egestate parentum *d. l* 5 §. 17.

TIT. IV.

De Inspic. Ventr.

MUlier, quæ post divortium odio viri negat se prægnantem, à tribus obstetricibus exploratur, eo modo, qui in *pr.* & §. *seqq.* legi potest.

2. Similis exploratio fit, cum mulier, mortuo marito, se prægnantem esse affirmat; sed quia tum majus agitur præjudicium, exploratur mulier per quinque obstetrices, non tamen nisi volens, qua de re latius vid. *l.* 1 §. 10. *b.*

TIT. V.

Si ventr. nom. mul. in possess.

SI mulier ventris nomine missa in possessionem bonorum defuncti, dolo malo eam ad alios transtulerit, tenetur actione in factum perpetua, in id quod actoris interest; & qui per dolum venit in possessionem, per interdictum decedere cogitur *l.* 1. §. 1. *h. t.*

TIT.

TIT. VI.
Si mulier ventr. nom. per cal.

QUod si mulier calumnioſe mentita, ſe eſſe prægnantem irrepſerit in bon. Poſſeſſionem, tenetur actione in factum in id quod intereſt actoris *l. un.* §. 2. & 3. *h. t.* quæ eſt annalis *l. un.* §. 3. *h.* & famoſa actio *l.* 15. *cum ll. ſeqq. de his qui not. infam.*

TIT. VII.
De Concub.

COncubina eſt, quæ cum cœlibe vivit Uxoris loco; nam quæ marito adhæret, pellex uxoris eſt, quas omnino habere prohibitum *l. un. C. h. t. vid. l.* 121. §. 1. *d. V. O. l.* 144. *d. V. S.* uti nec plures habere concubinas licet *Nov.* 18. *c.* 5.

2. Concubinatum jure Civ. eſſe permiſſum, probat *l.* 1. *pr.* §. 1. & *ult. h. l.* 41. §. 1. *d. Rit. Nupt.* ubi patroni concubinæ, matrisfam. adſcribitur honeſtas. Imo in *l.* 1. *fin. pr. d. Concubin.* ſcribitur, *honeſtius eſſe Patrono libertam Concubinam quam matremfam. habere*, dix. *lib.* 2. *Digeſſ. cap.* 11.

3. Nec uſquam hoc jus mutatum liquet ex *N.* 12. *c. ult. N.* 89. *c.* 8. ubi quod in *pr.* dicitur, naturales veteribus incognitos fuiſſe, id de effectu ſucceſſionis legitimæ eſt accipiendum, per *l.* 17. §. 4. *ad Sct. Treb. l.* 7. *pr. d. confirm. tut.*

4. Moribus Chriſtianis, concubina nihilo melior eſt quàm vaga amica, & inter naturales atque ſpurios nihilo plus diſcriminis eſt, quàm quæ ex certitudine aut incertitudine patris oriatur, quod & Leo in *Nov.* 91. conſtituit.

LIB. XXVI.

TIT. I.

De Tutelis.

DE Tutela atque de curâ in Institutionibus separatim agitur, non æque in Pandectis. Quæ in parte I. de utraque diximus, heic non repetemus; ut est definitio Tutelæ, quæ exponitur *adtit. Inst. de Tutel. n. 4. & seqq.* De cura agitur in *lib. 1. tit. 23.* ubi etiam convenientiæ & discrepantiæ Tutelæ atque Curæ.

2. Qui tutori vel curatori ad tempus impedito in certis negotiis substituitur, is actor dicitur, maxime, si ad litem detur *tot. tit. C. d. act. à tut. l. 24. d. adm. tut.*

3. Qui vero ad universa tutoris negotia, sine tutoris nomine adjungitur ipsi, is adjutor vocatur. Uterque à tutore privatim assumitur, ejusque periculo administrat *l. 13. §. 1. d. Tut.*

4. Alius est tutor qui notitiæ gratia datur, id est, ad instruendos tutores principales *l. 14. §. 1. & 6. d. solut.* nam is directe à magistratu creatur; unde nec periculum ex his ad tutores pertinet *d. l. 14.*

TIT. II.

De Test. Tut.

TEstamentaria Tutela jure patriæ potestatis nititur, ejusque origo ex XII. tabb. repetitur *l. 1. h. t.* cujus tamen verba fuere generalia: *Ut paterf. super pecunia tutelave rei suæ legassit l. 120. d. V. S.*

2. Hæc verba Jcti de quolibet testatore interpretari non potuerunt, siquidem huic qua tali, plus, quam in bona, juris competere non potest: Talis autem tutor

tor improprie, & in rem datus dicitur, à magistratu confirmandus *l. 4. C. h. t. 5. d. conf. tut. junct. l. 14. h. t.*

3. Cum igitur *L. XII. tab.* de tutela propria capienda esset, necessario ad potestatem patriam debuit referri; quare nihil causæ est, ut alia verba Legis XII. huic tutelæ stabiliendæ conquirantur, ut aliis visum. dix. *lib. 3. Digest. c. 3.*

4. Patrem filio quoque exheredato posse tutorem dare testamento, diximus ad *tit. Inst. de Tutel. n. 14.* Objecti sunt ibi tres textus, ad quos velim responsa teneas; sunt in *l. 73. §. 1. d. R. I. l. 53. d. V. S. l. 26. §. ult. h. t.*

5. Responsio *ad l. 73 §. 1. d. R. I.* hæc est; Nemo potest tutorem dare cuiquam, nisi ei, quam in suis heredibus, cum moritur, habuit, habiturusve esset, *si vixisset*, ordine scil. legitimo ab intestato, non eventu testamenti inspecto. Sic autem exheredatus etiam fuisset heres, scil si vixisset testator; quæ verba ad eventum mortis non spectant.

6. In *l. 53. pr. d. V. S.* reperies, quod Tutor separatim sine pecunia dari non potest, hoc est, Pater non potest tutorem dare testamento, nisi de pecuniâ simul disponat, id est, heredem eodem testamento faciat; non utique necessario filium, sed ut aliquem instituat heredem.

7. Ad *l. 26. §. f.* sic habendum; Confirmatio illic adhibetur; quia tutor vult movere querelam inofficiosi & rescindere testamentum, ex quo non potest sumere qualitatem tutoris, quæ ipsi ad querelam nomine pupilli est necessaria; ideo tutoris nomen à confirmatione Magistratus petere debet. Reliqua pete ex *tit. 13. & 14. Inst. lib. 1.*

TIT. III.
De Confirm. Tut.

QUando tutor Testamentarius sit confirmandus docet *l. 1. h. t.* & expositum est ad *tit. Inst. de Tutel.*

tel. n. 16. *& ſeqq.* nempe, ſi quis è tribus aut quatuor illis detectibus ſit commiſſus. Et ſiquidem Pater vitium commiſerit, fit confirmatio ſimpliciter; ſi mater aut extranei, cum ſatisdatione vel inquiſitione fit *d. l.* 3. & 4. *h. t. junct. pr. I. de Satisd.* Fit tamen & in caſu dati à Patre tutoris aliqua, ſine præjudicio Paternæ voluntatis, inquiſitio *l.* 8. 9. 10. *h. t.*

2. Cæterum, quia confirmatio non fit, niſi ad ſupplendos juris defectus, certum eſt, nec legitimos, nec teſtamentarios à magiſtratu confirmari, nec in eos inquiri *l.* 3. §. 5 *d. ſuſp. tut.* niſi in caſu, ut dictum, confirmationis ſubſidiariæ *l.* 10. *h. t. l.* 3. *d. adm. tut.* nam & ſatisdatio ab illis exigitur *l.* 5. §. 1. *d. leg. tut.* quo caſu apud majores magiſtratus inquiri communis eſt doctrina ad *pr. I. d. ſatisd.* vide *lib.* 3. *Digreſſ. cap.* 4.

3. Quæritur, Confirmati Tutores ſub Teſtamentariis, an dativis contineantur. Ego, ſi ad alterutram ſpeciem ſint referendi, potius ad dativos retulerim.

3. Rationes ſunt hæ 1. Teſtamentarius is demum eſt, qui teſtamento jure datur *l.* 3. §. 1. *d. Teſtam. tut.* at qui confirmatur, is jure non datur *l.* 1. *h. t.*

5. Teſtamentarius immediate à teſtatore datur *l.* 7. *d. teſtam. tut.* confirmatus fit demum Tutor ex datione magiſtratus, ante confirmationem non eſt Tutor, neque excuſat ſe *l.* 13. §. 12. *in fin. d. Excuſat.* aliter in teſtamentario *l.* 7. *l.* 9. *& Teſtam. Tut.*

6. Teſtamentarius neceſſario admittendus eſt, non æque is, qui confirmandus *l.* 8. 9 *d. confirm. Tut.*

TIT. IV.
De Legit. Tut.

QUatuor illæ ſpecies legitimæ tutelæ, quas in Inſt. habuimus, jure novo aut abolitæ, aut in unum conflatæ ſunt, coaleſcente cum illis & quinta ſpecie matrum & aviarum, de quibus cunctis valet regula; quod gradu primus, in tutela ſit primus, gradu pares in

in hac quoque pares sint, manente unius administratoris electione, ex dispositione juris communis *N.* 118. *d.* 5. pete reliqua *è tit. Inst. de Legitimâ Tutelâ.*

2. Ad Curam matres non admittuntur. Textus enim in *l.* 2. *C. Quand. mul. Tut.* & Authenticæ subjectæ de Tutela sola agunt. Moribus passim secus est, ob confusionem Tutelæ atque Curæ, de qua dix. *ad tit.* 1. *h. lib.*

TIT. V.
De Tut. & Cur. Dat.

DAtiva tutela in defectum testamentariæ & legitimæ proficiscitur à magistratibus & quidem à majoribus, cum inquisitione, à minoribus, cum satisdatione; de quibus actum *ad Inst.*

2. Non esse dationem tutoris ordinariæ jurisdictionis, sed competere Magistratibus iis, quibus id lege speciali concessum fuit, intelleximus in *tit. de Jurisd. n.* 19. *& seqq.* Proinde nec mandari potest *l.* 1. §. 1. *d. off. ej. cui mand.* non obstante *l.* 13. *&* 15. *d. off. Præt. de quibus vid. supra add. tit. sub fin.* quanquam jussum recipit Tutoris datio §. 4. *Inst. d. Attill. tut.* ubi nota, *secundum suam jurisdictionem.*

3. Magistratus tutorem dare non potest, nisi suæ provinciæ, & municipalis magistratus eum duntaxat dare potest, qui ab eodem municipio vel agro est *l.* 3. *h.* sive municeps sit, sive incola vel advena.

4. Verum si desint in eodem municipio ad tutelam idonei, potest alios ex vicinis civitatibus considerare, eorumque nomina mittere ad Præsidem, cui isti alii subsunt, ut hic unum ex iis det Tutorem, *l.* 24. *d. Tut. dat.* sic accipe *l.* 10. *d. Tut.* vide sis Ant. August. *l.* 1. *emend. pag.* 25.

5. Est autem datus tutor perpetuus vel temporarius; perpetuus, cum ex testamento nullus est vel expectatur, temporarius, cum testamentarius speratur: quo casu magistratus partes sunt, quia legitima cessat, dum testa-

testamentaria speratur. *l.* 11. *d. test. tut.* Casus vid. *in* §. 1. *I.* & 2. *d. Attil. tut. l.* 10. §. 3. *d. excus. tut.*

6. Enimvero ille temporarius proprie curator est; quoties enim tutela jure & actu delata est, si tunc alius surrogetur, is est curator, non tutor, propter regulam: Tutorem habenti non datur tutor. §. 5. *I. de Curat. l.* 27. *d. test. tut. l.* 9. *C. h. t.*

7. Talis etiam est, qui in locum absentis reip. causa datur *l.* 15. *h. t. junct. l.* 12. *d. tut.* item qui datur in locum relegati *l.* 28. §. *ult. d. excus. junct. l.* 4. *C. in quib. caus. tut. hab.* Talis item, qui pro absente vel appellante datur *l.* 15. *junc. l.* 2. *h. t.*

8. Sed qui datur in locum remoti tutoris, is est vere tutor *l.* 11. §. 2. *d. test. tut.* item, qui in locum muti & surdi *l. pen. d. tut.* qui in locum excusati *l.* 11. *d. test. tut.* tametsi abusive curator ille dicatur *l.* 2. *l.* 5. *C. in quib. caus. tut. hab.*

9. Sic, qui pendente conditione, sub qua tutor datus erat, surrogatur, is vere tutor est *d. l.* 11. *pr.* Imo & *ibidem*: qui vice tutoris in diem dati substituitur, est verus tutor; adeoque omnibus illis casibus tutorem non habenti tutor datur.

10. Exceptio duntaxat est in hereditate adeunda, ad quam curator dari nequit, sed tutore opus est *l.* 17. §. 1. *d. appell.* quoniam aditio est solennitas, & in solennibus tutore opus est. *l.* 19. *d. autor. tut.*

11. Datio Curatorum, cujus etiam mentio fit in hac Rubricâ, satis explicata ad *tit. Inst. de Curator.* & differentia ejus à tutoris datione maxime est in *th.* 18. & *seqq.*

12. Illa, inquam, curatorum datio, de quâ *hoc tit.* sanè quidem ab iisdem magistratibus fit, qui dant tutores, sed modus est dispar: nam adolescentibus invitis curator non datur, ne quidem post tempora D. Marci *l.* 2. §. *pen.* & *ult. Qui pet. tut.* §. 2. *I. d. Curat. l.* 13. §. 1. *h. t. l.* 2. *inf. tit. sequ. l.* 43. §. 3. *d. Procur.* adeoque ipso facto multos fuisse sine curatoribus minores probatur ex *l.* 7. §. 2. *d. Min. l.* 3. *C. d. in int. rest.*

13. Pe-

13. Petebant igitur, si res eorum exigeret *l. 6. C. qui pet. tut.* quæ est Alexandri Cæsaris, octavi post Marcum Principis Adde *l. 3. C. de rest. in integr.* ubi minores distinguuntur, quod vel habeant curatores vel non.

14. Una L. obstat 1. *in fin. d. Minor.* Sed cum illa aperte de administratione recipienda, hoc est, amovendo curatore jam dato loquatur, ut ex l. seq. appareret, certum est, nihil eam obstare sententiæ tot locis probatæ. Quæ præterea objiciuntur, ea plena manu executi sumus *lib.* 3. *Digress. c.* 15. 16. 17.

TIT. VI.

Qui pet. tut.

OFficium petendi tutorem quibusdam commendatur, aliis ex necessitate imponitur; commendatur cognatis, affinibus, domesticis & amicis.

2. Libertus negligens corporaliter punitur. Mater perdit successionem ab intestato liberorum ante pubertatem morientium, quod & patitur, si non serio petierit tutorem *l.* 2. §. 1. *h. l.* 3. *C. ad SCt. Tertull.*

3. Curator non petitur, nisi ab ipso minore, per se, aut per procuratorem specialiter delegatum *l.* 2. §. 4. 5. *& seqq. h. t.* Invitis illis nemo petere potest; duntaxat exceptis casibus adolescentes, qui non habent curatores, petere coguntur, ut in *l.* 7. §. 2. *d. minor d.* §. 2. *I. de Curat.* ubi diximus, adde *l.* 3. *Digress. c.* 15. *& seqq.*

TIT. VII.

De Administr. Tut.

HIc titulus duabus constat partibus, indicante rubr. Prima est de administratione, altera de periculo tutorum & curatorum.

2. Initium & fundamentum administrationis præter Jusjurandum & satisdationem *Auth.* Quod nunc *C. de Cur. fur.* ex *Nov.* 72. *c. uls.* est confectio publica inventarii *l. uls. C. Ar-*

C. arbit. Tut. quo omisso, tutor infamia removetur *l. 7. pr. h.* nisi testator id omitti jusserit *d. l. ult. §. 1. C. arb. tut.* quo tamen non obstante, descriptionem ejusmodi facere debet tutor, unde ratio bonorum deinceps constare queat. Schoran. *ad h. t.*

3. Usus inventarii est, ut secundum id rationes reddantur, & debitores pupilli, forte, amissis instrumentis, ex eo conveniantur *l. 57. h. t.*

4. E scriptura inventarii nascitur præsumptio juris & de jure; adeo ut tutor, conquerens, se majorem pupillarium bonorum quantitatem in eo esse professum, quam revera sit, non audiatur *d. l. ult. in pr.*

5. Administratio circa personam & negotia vertitur: personalia sunt educatio & institutio pro dignitate & ingenio pupilli *l. 12. §. 3. h. t.*

6. Circa negotia, quantum ad providentiam pupillarem domini loco habetur *l. 27. h. t. l. 7. §. 3. ff. Pro Empt.* eademque diligentia ab eo exigitur, quam diligens paterf. rebus suis adhibet *l. 33. h. t.*

7. Hinc debitores pupillares morosos compellet ad solvendum, *l. 18. C. h. t.* prorogare tempus gratificandi animo nequit, at re exigente potest. Idem de transactione judicandum *l. 46. §. ult. h. l. 28. §. 1. d. pact.*

8. Pecuniam collocabit aut emptioni prædiorum, aut fœnori, cum laxamento bimestri *l. 7. §. 3. & 11. h. t.* in prædiis comparandis tantum de lata culpa tenetur. *d. l. 7. §. 2.* in pecuniis usurariis non ultra levem *l. 7. C. arb. tut.* sed hodie pecunias non debet elocare tutor, nisi tam angustum sit patrimonium, ut ex reditibus prædiorum pupillus vivere nequeat. *Auth. novissima C. h. t.*

9. Sequitur pars altera tit. de periculo, quod hic ratione culpæ intelligendum, si quidem de casu fortuito non tenetur Tutor *l. 33. in pr. h.*

10. Hic dicendum, quid juris sit, quando plures tutores culpæ reos se fecere, distinguendum inter tutelam divisam & indivisam. Si divisa non sit, tum singuli in solidum pupillo tenentur, sive unus *sive*

omnes

omnes in culpa sint, salvo tamen beneficio ordinis *l. 6. C. arb. tut.* & beneficio divisionis *l. 1. §. 11. & 12. d. jut. act.* quo tamen caret is, qui ex suo facto convenitur *d. l. 1. §. 13.*

11. Denique, cedendarum actionum habet beneficium, qui solidum solvit *d. l. 6. inf.* quo caret is qui ex dolo aut contumacia communi convenitur *d. l. 1. §. 14. l. 38. §. ult. h.* imo licet actiones cessæ non fuerint, utilem tamen negotiorum gestorum in contutores habet §. 13. *d. l. 1.* quæ tamen fidejussoribus inter se in simili casu negatur *l. 39. d. fidejuss.*

12. Divisio consensu tutorum facta nihilo plus juris habet; sed quæ à testatore vel à magistratu fit, singulos liberat præstatione facti alieni; de suo tantum tenentur, & quatenus collegam suspectum accusare neglexerint *l. 2. C. d. div. tut.*

13. Creditoribus tamen divisio nulla præjudicat, quin contra quemlibet tutorum aut pariter omnes agere possint *l. 36. l. 47. §. ult. h t.* nec obstat *l. 2. C. Si ex plur. tut.* videtur enim esse exceptio, si tutores in diversis habitent provinciis; aut officium tutoris in quaque Provincia indicatur, ut liti se offerant, hoc casu.

14. Cæterum, cui administratio concedenda sit, ubi plures sunt tutores, dictum est ad *tit. Inst. de Satisdat. tut. §. 1.*

15. Moribus hodiernis fere ita obtinet, ut nullus Tutor administrationem suscipere, quam præcedente speciali Magistratus decreto, possit; etiam si Tutores sint Testamentarii. D. Wissenb. ad *h. tit. th. 3.* Statutis nostris nihil hac de re cautum *lib. 1. Statut. tit. 1.* Jure civili nusquam id requiritur. De satisdatione & juramento Tutorum diximus ad *tit. Inst. de Satisd. tut.*

TIT. VIII.

De autor. & consens. tut. & cur.

HUnc titulum expositum vide *parte I. lib. I. tit. 21.* adde hoc; si plures sint tutores, sufficit unius autoritas *l. 4. h.* adeo ut honorarius tutor & qui notitiæ causa datus est, recte adhibeatur *l. 14. §. 1. 5. 6. d. solut. l. 49. d. acq. her.* additur exceptio in *d. §. 1.* nisi interdicta sit ipsis administratio; quales & in *d. l. 4.* intelligi possunt his verbis, *quibus administratio tutelæ concessa non est*, & tum nihil erit pugnæ inter *d. l. 4. & l. 14. §. 1.*

2. Quod si tutela sit divisa, singuli pro suis partibus auctorari debent; nisi cum aliquid agitur, unde resolutio ipsius tutelæ secutura sit *l. ult. h. t.*

3. Curatores minorum magis consensum adhibent, quam autoritatem; hæc n. vox magis est propria tutorum *arg. h. rubr. & l. 46. d. O. & A.* Quæ autem de tutoribus hac parte dicta sunt, ea ad curatores, cæteris paribus, transferre licet.

TIT. IX.

Quand. ex fact. Tut.

EST hæc una earum exceptionum, quibus alius alii obligationem quærere potest: nam ex contractu tutorum, etiam ubi proprio nomine sed pecunia pupillorum contraxerunt, actio datur pupillis utilis *l. 2. h.* velut si tutor vel curator pecuniam minoris credidit, & sibi illam reddi stipulatus est, vel si quam rem pecunia pupilli emerit, eam rem pupillus vindicare potest, quod aliis non licet, nisi militibus *l. 2. l. 6. l. 8. C. de R. V. l. 2. C. b. t.* cujus rei usum explicat D. Schotan. *exam. h. t.*

2. Vicissim ex tutorum contractibus pupilli tenentur, nisi quatenus dolum admisit tutor; tunc enim non tenen-

tenentur pupilli, nisi quatenus sunt locupletiores *l.* 3. *hadd. l.* 2. 3. 4. *C. h. t.*

3. Cæterum, de pecuniis in rem suam non versis, quamdiu id non probetur, pupilli minimè tenentur *l.* 3. *C. h. t. l.* 2. *C. de Curat. fur.*

TIT. X.
De Susp. Tut.

DE remotione suspecti, quod in Inst. non sit dictum, nihil memorabile occurrit. Nam quod de ratione differentiæ laboratur, quare Tutor suspectus ob facultates solas non fiat, heres fiat suspectus *l.* 31. §. 1. *d. reb. auctor. jud. possid.* id facile à nobis explicatum est in *lib.* 3. *Digest. C. pen.*

LIB. XXVII.

TIT. I.
De Excus. Tut.

EXcusatio est immunitas ab onere tutelæ vel curæ. Hæc nulli competit *l.* 1. *d. vac. & excus.* nisi cui speciali ex causa lege data est *l.* 15. §. 12. *l.* 17. §. 3. *h.* adeo ut generalis immunitas hic non prosit, ut in reliquis muneribus: quo sensu capienda oppositio tutelæ cum muneribus civilibus, in *l.* 8. §. 1 *d. vacat.*

2. Causæ speciales aut sunt vere excusatoriæ, aut prohibitoriæ. Illas distinguere licet in publicas & privatas. Publicæ quatuor sunt, administratio fisci, magistratus, absentia reip. causa, & professio artium.

3. Privatæ etiam quatuor; liberi, tres tutelæ, inimicitia, impotentia; cujus iterum quatuor species; paupertas, morbus, senectus, imperitia literarum.

4. Prohibitiones à tutela & cura sunt similiter qua-

tuor; minor ætas, causa litis, militia, denique natura, eaque ob sexum vel ob vitium. ob sexum mulieres arcentur.

5. Vitia sunt quatuor, sc. mente capti, surdi, muti, cæci. Una est causa, quæ tantum a cura prohibet, matrimonium. Clericatus partim prohibet, partim excusat; nempe à legitima excusantur, à testamentaria & dativa excluſi videntur Clerici, per *Nov.* 123. *c.* 5. ibique Cujac. & Ritterhus.

6. Poterant plures quadrigæ constitui: nam fiscalis administrationis hac parte quatuor capita traduntur, fisci in specie, rei dominicæ *l.* 41. *h t.* cura vectigalium *l. un. C. ne tut. vectig. cond. l.* 10. *C. h. t.* Denique conductio fundi principalis *l. ult. qui dar. tut. vel cur.*

7. Artium quoque imprimis quatuor excusant, Grammatica, Rhetorica, Philosophia, Medicina *l.* 6. §. 13. *h.* 15. *l. h. t.* quanquam hodie omnes Academici Doctores excusari videntur, per *l.* 6. *C. d. Profess.*

8. Hæ & reliquæ modo enumeratæ causæ in *Inst.* enarratæ sunt.

9. Debet autem una ex his præcisè existere: nam plures imperfectæ, licet cumulentur, non sufficiunt pro una *l.* 15. §. 11. *h.*

10. Prosunt istæ causæ ad declinandam noviter oblatam tutelam, non ad veterem deponendam. sed hanc licet amoliri ob sequentes causas.

11. Primo, si quis trans mare absit reip. causâ; secundo, sit in Principis consistorio adsumptus *l.* 11. §. 2. *d. minor.* tertio, si Senator factus *l.* 15. §. 3. *h.* Quarto, si jussu Principis domicilium mutaverit *l.* 12. §. 1. V. Si valetudinarius aut cæcus sit factus *l.* 40. *h.*

12. Surdus & mutus improprie illic adduntur, quatenus deponere tutelam possunt; sed & insuper debent *l.* 1. §. 2. & 3. *d. tut.* & quia autoritatis incapaces sunt, ut *supr.* dictum, ex *d. l.* 1. §. 2. & 3. & *l.* 3.

13. Cæteræ causæ supervenientes, ne quidem tunc prosunt, quando, lite excusationis pendente, nascuntur *l.* 2. §. 8. *l.* 28 *pr. h.*

14. Mo-

14. Modus excusandi est pro tribunali, non per libellos *l.* 25. *h.* quamvis ad impediendam præscriptionem recte libellus offeratur *l.* 13. §. 10. *h.* Præstat, omnes causas simul allegari *l.* 13. §. 1. ut una rejecta vel non probata, urgeatur altera *l.* 21. §. 1. *h.* causæ, pendente lite, supervenientes non prosunt *l.* 28. *pr. h.* Reliqua fusius ad *Inst. h. t.*

15. Proponi debet apud judicem ordinarium; à quo si rejecta fuerit, superior appellandus; antea non oportet provocari, sed frustra appellatus, ait textus, in *l.* 1. §. 1. *quand. appell.* quo mutatur jus vetus *l.* 11. *C. d. appell. l.* 1. *d. vacat.*

16. Non obst. *l.* 13. *h. t.* quia verba, *necesse non habent*, accipi debent, ut in ead. *l.* §. 12. ac *alibi.* Idem etiam ad curam producitur; quo sensu vox *etiam* capienda in *l.* 16. *h. t.*

17. In aliis textibus, appellationis ideo simpliciter fit mentio, quia cum in recenti usu fuisset directa appellatio, neque adhuc in usu prorsus esse desiisset, solitam locutionem Jcti retinuerunt *l.* 4. *h. t. l.* 39. §. 6. *d. adm. tut. l.* 2. *& pen. d. tut. dat. l.* 17. §. 1. *d. appell.*

18. Nec turbat *l.* 18. *C. h. t.* ubi supplicator putans se errasse, quod non appellasset, eruditur ab Imp. id non fuisse necessum, sed frustraneum.

TIT. II.

Ubi pup. educ. vel. mor. deb.

EDucari debet pupillus, ubi Prætor id tutissime fieri posse arbitratur *l.* 1. *h.* & quibus id impositum est, hi coguntur id onus suscipere *l.* 1. *infin. C. h. t.*

2. Plerumque alitur apud matrem, nisi hæc transierit ad secundas nuptias *l.* 1. *C. h.* non facile tamen apud alios, qui successionem expectant. *l.* 2. *C. eod.*

3. Proinde vitrico non permittitur educatio, nec adeo Tutela, per *d l.* 1. *in pr. C. h. t. & l.* 2. *sub fin. C. Quand. mul. Tut. off. l.* 22. §. *Servi etiam C. de Admin.*

tut. Non obſtat *l ult. C. d. contrar. Tut. jud. l.* 32. §. 1. *d. Adopt.* ubi vitrici tutores memorantur; Hoc enim inde factum forte, quia fuere Tutores, antequam matres iis nuberent *arg. l.* 2. *C. de Interd. matrim.*

4. Moribus hodiernis, vitricis frugi hominibus non interdicitur tutela vel educatio, Perez. *adh. t. Cod.* Apud nos tamen, ſi petatur alius Tutor, alius ſæpe datur & vitrico præfertur, etſi jam ille fuerit electus, ut ſcio judicatum.

5. Porro alimenta decernit Prætor, conſulente tutore *l.* 2. §. 2. *h.* ita, ut ſemper aliquid ex reditu, ſi potis eſt, ſuperſit *l.* 1. §. *ult. l.* 3. §. 3. *h.* ſi tamen interſit pupilli, ſtatum patrimonii non propagari, tunc eum ſuo arbitratu tutores frugaliter alet *l.* 2. *C. d. alim. pup.* quod moribus hodiernis in univerſum & indiſtinctè obſervatur.

TIT. III.

De Tut. & ration. diſtrah.

TRes hoc tit. traduntur actiones. Prima eſt Tutelæ directa & contraria; Directâ tutor ad reddendam rationem & reliqua præſtanda tenetur *l.* 82. *d. cond. & dem.* de qua dix. ad *tit. Inſt. de Quaſ. contract. n.* 9. *& ſeqq.*

2. Actio de rationibus diſtrahendis datur in duplum, cui ſimplum inest, quando tutor aliquid ex pupilli rebus dolo malo avertit *l.* 55. §. 1. *d. adm. tut. l.* 1. §. 19. *& ſeqq. h.*

3. Cum eâ furti actio concurrit, ſi furandi animus adfuerit *d. l.* 1. §. 22. *& l.* 2 §. 1. *h.*

4. Eſt perpetua & heredibus datur, non tamen in heredes, niſi quatenus pervenit *d. l.* 1. §. 23.

5. Competit eodem tempore, quo tutelæ actio *d. l.* 1. §. *ult.* ſed hoc ſpeciale eſt, quod, tutelæ actione motâ, de diſtrahendis extinguitur Quæ penitus etiam tollitur per condictionem furtivam, *l.* 2. §. 1. *h. t.*

6. Un-

6. Unde sequitur, si furti agatur, nihil obstare, quominus cumulative actiones concurrant *d. l.* 2. §. 1.

7. Nomen habet actio de rationibus *distrahendis*, à distrahendis, id est, conturbandis rationibus, ut vult Cujac. hic; qui eo refert distractionem, quæ est in *l.* 26. *d. liberat. Leg.* At tum potius, de rationibus distractis, erat dicendum; nec enim distrahendæ rationes, id est, turbandæ fuerunt.

8. Videtur hujus actionis appellatio petita ab intentione actoris, qui vult distrahere, id est, rescindere malè conceptas rationes. Sic distrahere usurpatur in *l.* 2. *d. divort. l.* 7. *C. de donat. ant. nupt.*

9. Tertia hujus *Rubricæ* est actio de curatione, quæ & utilis vocatur, cum directa nulla sit, eo quod cura non lege certa introducta, sed usu recepta fuerit. Dicitur autem utilis tutelæ *l.* 3. *C. arb. tut.* imo utilis negot. gest. *l.* 17. *C. d. neg. gest.*

10. Videtur utilis tutelæ esse, quæ datur finitâ administratione *arg. l.* 4. *pr. h.* utilis negotiorum gestorum, quæ durante administratione datur. De priori accipienda est *l.* 2. *l.* 14. *C. d. adm. tut.* in quibus curator ante finem officii negatur teneri. De posteriori *l.* 16. & 26. *C. d. adm. tut.*

11. Eo sensu utilis tutelæ dabitur de tota administratione, utilis neg. gest. de certis rebus. Conf. *l.* 4. §. 4. *rem. pup. salv. for.* Sic antinomiæ conciliantur.

TIT. IV.

De Contrar. Tut. act. &c.

TUtor contra pupillum pro indemnitate suâ actionem habet contrariam *l.* 1. & *ult. h.* licet impensæ supra vires pupilli sint factæ nec, non male cesserint *l.* 3. *pr.* & §. 7. *h.* modo sc. justa ex causa sint factæ.

2. Potest hoc judicium vel per modum reconventionis vel actionis separatæ exerceri; quamvis pupillus nihil moveat *l.* 1. §. 4 *& ult. h.* Etiam derationibus distrahendis actioni, recte opponitur *l.* 2. *h.*

TIT. V.

De eo qui pro Tut. &c.

PRo tutore gerere dicitur, qui tutor non est, seu sciens, sive ignorans *l.* 1. §. 1. *h.* hic tenetur actione protutelæ, & habet contrariam, nihilo secus ac tutor *l.* 1. *pr. l. pen. & ult. h.* at etiam ante pubertatem *l.* 1. §. 3. Idem analogice in curatore obtinet, *ut rubr.* indicat.

2. Cæterum, quasi tutor hic gerere dicitur, qui vere tutor est *l.* 1. §. 5. ut sæpe alias vox, quasi, accipitur. Brisson. *d. V. S.*

TIT. VI.

Quod Fals. tut. auct. &c.

FAlsus tutor est, qui se mentitur tutorem, idemque respectu pupilli protutor dicitur *l.* 1. §. 1. *tit. præc.* ratione tertii falsus vocatur; & huic competit actio ad restitutionem in integrum, si ignoraverit, eum esse falsum, aut si minor sit, etsi sciverit *l.* 1. §. *ult. & l.* 4. *h. t.*

4. Restitutio datur in rem, adeoque & contra pupillum prodest *d. l.* 1. sed insuper falsus tutor tenetur, in id quod interest *l.* 7. *pr. h.* scil. si dolus ejus arguatur §. 1. *d. l.* 7.

3. Si plures sint dolo autores facti, & ab uno, quanti res est, actor consecutus sit, reliqui liberantur *l.* 7. §. *ult. cum l.* 8. Heredibus datur hæc actio, in heredes negatur, quia ex delicto esse videtur *l.* 9. §. 1. *h.*

TIT.

TIT. VII.

De Fidejuſſ. & Nominat. & heredibus Tutorum & Curatorum.

FIdejuſſores pro indemnitate pupillorum non modo per expreſſam ſtipulationem, ut alias, conſtituuntur, ſed & ſi minorari ſe tanquam ſponſores paſſi ſunt: imo & hi qui tutores eſſe idoneos adfirmarunt, ut fidejuſſores obligantur *l.* 4. §. 3. *h. t. l.* 5. *C. de Magiſtrat. conven.*

2. Idque adeo, ut plures ab uno tutore dati fidejuſſores, careant beneficio diviſionis *l. ult. ubi & ratio ff. rem pup. ſalv. for.* Sed â diverſis tutoribus dati fidejuſſores dividunt actionem *l.* 9. *in f. h. t.*

3. Heredes Tutorum & Curatorum actione tutelæ ſine dubio tenentur *l.* 4. *in pr. h.* ſed tantum de dolo & lata defuncti culpâ, non de levi *l.* 1. *C. de hered. tut.* quæ eſt exceptio â regula *l.* 2. §. 2. *d. V. O.*

4. Debet etiam heres, ſi poteſt, inchoata à defuncto perficere, & hactenus de dolo quoque tenetur & quatenus locupletior eſt *l.* 1. *in pr. d. l.* 4. *pr. h.* non de negligentia *d. l.* 4. §. 1. quod refer ad levem culpam; nam de lata ſine dubio tenetur *arg. l.* 32. *d. depoſ.* etſi Tutor, qui, finitâ tutelâ, etiam tenetur ad inchoata abſolvenda, culpæ ne tum quidem immunis eſt *l.* 5. §. 6. *d. Adminiſtr. Tut.*

TIT. VIII.

De Magiſtrat. Conv.

SI nec tutorum nec fidejuſſorum bona ſufficiant, ultimum pupillis ſubſidium contra magiſtratus comparatum eſt, actione, quæ ex re, ſubſidiaria dicitur, quod aut nullos, aut non idoneos exegerint fidejuſſores: de quo ſi dubitetur, an fuerint idonei, probandum â magiſtratu *l.* 1. §. 3. *h.*

2. Donec autem vel unus tutorum fidejussorumque supereſt, ad magiſtratum perveniri nequit *l. 2. h. t.* cui non obſt. *l. 1. §. 15. d. tut. & rat. diſtr.* quæ loquitur de his qui tutelam habent diviſam.

3. Dicitur hæc actio utilis tutelæ per *l. ult. h.* quia ad exemplum tutelæ reperta eſt: tamen longius â tutelæ actione diſtat; quo ſenſu in factum â Theoph. forte appellatur ad §. 2. *d. Satisd. tut.* pari ſenſu, quo in §. *ult. I. ad L. Aquil.* Aliter D. Wiſſenbach. *ad h. tit.*

4. Moribus, hanc actionem, penitus obſoleviſſe vulgo teſtantur, & diximus ad *tit. Inſt. ae Satisd. Tut. n.* 16. quod verum eſt, quoad exactionem fidejuſſorum, non etiam quod ad alia culpæ dolive commiſſa attinet, quæ à Magiſtratibus in dandis tutoribus admitti queant.

TIT. IX.

De rebus eor. qui ſub tut. vel cur.

ANceps juris quæſtio eſt, an minores annis 25. habentes Curatorem è contractibus obligari poſſint. De pupillis hac parte dictum eſt abunde *in Prælect. ad tit. Inſt. d. quaſi contract. n.* 4.

2. De pubere quid juris ſit, poſuimus ad *tit. I. de inutil. ſtipulat. n.* 11. Ex quo colligere licet, nihil opus eſſe emendatione *l.* 101. *d V. O.* ubi Anteceſſor olim in Belgis clarus, pro obligari, legendum affirmabat, *oblgare.*

3. Hoc inter omnes conſtat, alienationem minoribus, qui ſub curatoribus agunt, eſſe interdictam, ſine curatorum conſenſu *d. l.* 3.

4. Tutores & Curatores jus alienandi liberum habuerunt uſque ad Severum Principem, â quo effectum eſt, ne prædia ruſtica & ſuburbana aliter, quam decreto magiſtratus adhibito, alienentur *l. 1. §. 2. h.*

5. Quod Conſtantinus in *l.* 22. *C. d. adm. tut.* ad urbana quoque prædia, omneſque majoris pretii res, quæ ſervan-

servando servari possunt, extendit, ita ut, omisso decreto, nullius momenti alienatio sit, ac res à minore vindicari possit *l. 5. §. pen. h. t.* etsi pupillo sit utilis alienatio *d. l. 5. §. 14. l. pen. pr. eod.* Sande 2. *decis. 9. defin. 15.*

6. Potest autem magistratus adhibere decretum, urgente ære alieno duntaxat, aut si minores aliter alii nequeant *l. 12. C. de præd. min.* vel propter dotem aut donationem propter nuptias *d. l. 12.*

7. Quin etsi obreptum sit magistratui & permissa sit alienatio, quasi ex causâ legibus probata, cum talis revera non subesset, tunc nulla est alienatio, *d. l. 5. §. pen. h. t. l. 5 C eod.*

8. Sunt tamen casus, quibus decretum non requiritur, qui vel à persona, vel ab re ipsa desumpti sunt, etiam sine causa necessitatis *tot. tit. C. Quand. decr. op non est.*

9. A persona patris, si is in testamento vel codicillis rem alienari permiserit *l. 1. §. 2. h. t.* licet testamentum vitiose factum sit *l. ult. eod. l. 3. d. t. C. Quand. decr.*

10. Si pater, vel is, cui pupillus successit, stipulanti fundum spopsonderit l. 5. §. 6. *h. d. l. 3. C. Quand. decret. opus non est.* si emerit fundum, sub lege retrovendendi *l. 1. C. eod.*

11. Ab repetitus est casus, si cavendum sit, pupilli nomine, judicatum solvi *l. ult. §. 3. C. de Administr. Tut.* si vendendum sit pignus, quod cum venia prætoris erat oppignoratum; quanquam tutius est, denuo adire prætorem *l. 7. §. 1. h.*

12. Propter dotem opus est decreto, si bonis venditis, pecunia viro danda sit; si ipsa prædia in dotem danda, non est opus *l. 61. §. 1. d. jur. dot. l. 62. eod.* fundus autem propter nuptias donatus simpliciter requirit decretum *l. 8. C. de præd. min.*

13. Pater etiam tutor vel curator existens indiget decreto, non tamen, si liberos in potestate habeat *l. 7. §. 2. h. t.* quanquam bona liberorum ne hic quidem ipse ven-

vendere poteſt, niſi ob cauſam æris alieni *l. 1. C. d. bon. mat.* & *l. 1. d. bon. quæ lib.*

14. Cæterum, ſub prohibita alienatione comprehenditur etiam tranſactio, datio in ſolutum, diviſio, repudiatio legati, pignoris & ſervitutis impoſitio *l. 1. l. 3. §. pen. l. 5. §. 8. l. 7. pr. h. l. ult. C. d reb. al. menat. l. 4 C. ae Præd. min.*

TIT. X.

De Curat. furioſ.

TItulo de curatoribus furioſis & aliis extra minores datis, ſatisfactum eſt ad *tit. Inſt. de Curator. n.* 12. & *ſeqq.*

2 Furioſi intervalla habent, vel brevia & obſcura, veldi lucida & longiora. In illis nihil mutatur *l.* 18. §. 1. *d. Acquir. poſſ.* ubi, *ſi forte in conſpectu inumbratæ quietis.* In dilucidis intervallis manet quidem Curator idem, ſed auctoritas ejus ceſſat *l. 6. C. de Curat. fur. l. 9. C. Qui teſtam. fac.* In prodigis nulla intervalla diſcrimen juris inferunt.

Pars V. Pandectarum.

LIB. XXVIII.

TIT. I.

Qui teſt. fac. poſſ. & quemadmodum teſtamenta fiant.

POſt contractus, qui naſcuntur ex actibus inter vivos, ſequitur ingens caput de ultimis voluntatibus.

2 Hic tit. eſt bimembris, ut rubr. indicat. de primo articulo, qui *teſt. fac. poſſ.* ad Inſtitutiones

tiones abunde est dictum *h. t.* ubi & vitia corporis, quæ obstant testamenti factioni habuimus. Morbus sane aut infirmitas corporis non obstat, modo animus valeat *l.* 2. *h. l.* 3. *C. h. t.* etsi lingua balbutiens seminecis eam protulerit *l.* 15. *C. de Testam.*

3. Altera pars est de solennibus testamenti requisitis, quæ similiter in Inst. absoluta est. *tit. de Testamentis ordinandis.* Adde, quod ibi omissum; si testator integrum testamentum sua manu conscripserit, non esse necessariam ipsius subscriptionem, modo testium nomina signaque reperiantur *l.* 28. §. 1. *de Testam.*

TIT. II.
De lib. & postum.

ARgumentum hujus tit. habuimus ad Institutiones *tit. de Exhered. liber.* ubi Exheredationis requisita habuimus *n.* 7.

2. Postumi sunt vel vere vel quasi tales; vere postumi sunt, qui post testamentum factum sui heredes statim nati, vel postea facti sunt; & sunt quadruplices, Antiquus, Aquilianus, Vellejanus primus & Julianæus.

3. Antiquus est filius post mortem patris natus. Aquilianus est nepos, mortuo avo, suus heres natus, ex traditione Galli Aquilii *l.* 29. *d. lib. & Postum.*

4. Primus Vellejanus, qui vivo testatori post factum testamentum suus adnascitur seu filius, seu nepos ex cap. 1. l. Vellej. *l.* 29. §. 11. *& seqq.*

5. Julianæus, hoc est, ex sententia Juliani dicitur Nepos, qui post testamentum avi natus non suus, patre mox moriente, proximus avo, ac ita suus est factus *d. l.* 29. §. 15.

6. Quasi postumi dicuntur nepotes, qui tempore conditi testamenti jam erant nati, sed non erant sui, verum morte vel emancipatione patrum sui sunt facti, quod constitutum fuit *cap.* 2. *L. Vellej. d. l.* 29. §. *pen.*

7. Hæc tam anxie distinguebantur, quia, si postumus

mus uno casu heres vel exheres scriptus, altero natus esset, testamentum rumpebatur *l.* 10. *l.* 29. §. 8. *b. l.* 2. *d. subst.* quæ subtilitas à lege Justiniani aliena videtur, ut apparet ex *l. ult. C. d. post. hered. inst.* ubi casus unus porrigitur ad alterum.

8. Causas exheredationis excuti sumus *ad tit. Inst. de Inoff. testam.* Verum, quid si Pater cum filio exheredato reconciliatus sit eumque in gratiam pleniſſime receperit, an manebit exheredatio? manebit, hactenus, ut testamentum quasi illo præterito non sit nullum: Sed filius querelam instituet, exceptionemque ingratitudinis per replicationem reconciliationis elidet, per *l.* 5 *C. fam. ercisc.*

9. Opp. *l.* 23. *d. lib.* & *post. b.* Pater filium exheredatum, emancipatum, rursus arrogavit eique tamen nocet prior exheredatio. Resp. Arrogatio illa non valet. *Instas*, non quidem ad effectum patriæ potestatis, bene tamen ad argumentum animi reconciliati, vult enim pater eum habere pro filio. Resp. Arrogatio non semper est indicium benevolentiæ, potest ob alias fieri causas, velut conditionis implendæ gratiâ.

TIT. III.

De injust. rupt. irr. fact. test.

HAnc rubricam excuti sumus in Inst. *tit. Quib. mod. testam. infirm.*

2. An heres ea quæ testamento non jure facto relicta sunt, ratione conscientiæ præstare debeat, fuse disputavimus in *lib.* 4. *Digression.* aliquot *capp. sub. fin.* sane id constat, eum qui solvit, non posse prætextu defectæ solennitatis repetere quod dedit *l.* 2. *C. de fideicomm.* cui minime adversatur *l.* 2. §. 1. *d. Cond. ind.*

3. Ruptum testamentum agnatione postumi restituitur, si vivo patre postumus decesserit *l.* 12. *d. injust. rupt. testam.* Eo vero mortuo natus, licet illico decesserit, nihilominus ruptum manet testamentum *l.* 2. *C. de post.*

post. hered. instit. etsi ne vocem quidem emisserit *l. pen. eod. tit.*

4. Quanquam prius testamentum scriptum sine dubio rumpitur per posterius nuncupatum §. 2. *Inst. Quib. mod. testam. infirm.* si tamen in posteriore nuncupativo princeps aut aliquis e potentioribus heres sit dictus, non rumpitur prius *l.* 20. *C. de Testam.*

5. Magis ἀπροσδόκητον hoc est, quod Testamentum parentis inter liberos, per posterius rumpi non potest, nisi solenniter factum & prius expresse revocatum sit *Nov.* 107. *c.* 2. tametsi prius solenne per posterius jure privilegiato factum alioqui rumpatur *l.* 2. *h. t. V. l.* 36. §. *ult. de Testam. mil.*

6. In *d. l.* 2. est adhuc; prius testamentum rumpi per posterius imperfectum, si in hoc sint heredes legitimi, in priore heredes extranei Adde *l.* 12. §. 1. *d. bon. poss. contr. tab.*

TIT. IV.

De his quæ in test. del. &c.

QUod deletum, inductum, vel cancellatum est consulto a testatore, id irritum habetur; reliqua non deleta valent, etsi nomen heredis inductum sit *l.* 3. *h.* confer omnino *l.* 2. *h.* per imprudentiam deleta valent, modo legi possint *l.* 1. *h.*

2. Quin etsi totum testamentum per imprudentiam perierit, valent tamen omnia, quæ scripta in eo fuisse probari possunt *l.* 1. §. 3.

3. Si ex duobus testamenti exemplaribus unum perierit, ex altero peti potest hereditas, nisi constet animo adimendi abolitionem esse factam; quod ab adfirmantibus probandum *l. ult. h.* Adde casum notabilem ex *l.* 47. *d. leg.* 2. qui meretur hoc loco illustrandi causa explicari.

4. Cæterum, in dubio præsumetur consulto facta deletio, quæ liquido apparet *l.* 3. *in fin. h.*

TIT.

TIT. V.
De Hered. inſt.

HEredis inſtitutio pertinet vel ad perſonas, vel ad partes hereditatis, vel ad modum inſtituendi, *quæ capita in Inſt. expoſita ſunt.*

2. Heredes ex rebus certis inſtituti, quanquam diſparis pretii, tamen quod ad reliqua, partes aſſis habent æquales *l.* 9. §. 13. *h.* Quid alioqui, inſtitutione ex rebus certis factâ, juris ſit, dictum eſt *ad. tit. Inſt. Quib. mod. teſt. inf. n.* 11.

3. Heres ex ſolo uſufructu inſtitutus per eandem rationem fiet heres in ſolidum *l.* 1. §. 4. *l.* 74. *h. l.* 13. *C. eod.* Quid ſi poſt mortem ejus ſcribatur alius heres? Tunc perinde fit heres ex aſſe, cum opere fideicommiſſi in gratiam alterius poſt mortem ejus vocati.

4. Error in perſonâ vitiat heredis inſtitutionem, ſi quis volens Titium inſtituere, Cajum ſcripſerit *l.* 9. *pr. h. t. l.* 62. §. 1. *eod.*

5. Si verò de perſona conſtet, error autem in nomine ſolo fuerit, nominis error non magis vitiabit inſtitutionem quam Legatum §. 29. *Inſt. de Legat.*

6. Quod ſi ut filium quis ſcripſerit heredem, qui dein non eſſe filius probatur, inſtitutio nulla eſt *l.* 3. 4. *C. de hered. inſtit.*

7. Inſtitutio ſine nomine valet, modo indubitabili ſigno heres ſit demonſtratus & quidem tali, quod non contumeliæ causâ ſit additum. *l.* 9. §. 8. *h. t.*

8. Si pater dicat; filius meus *impiiſſimus*, *male de me meritus*, ea verba non vitiant inſtitutionem, quia monendi cauſa adjecta creduntur *l.* 48. §. 1. *h. t.* multo minus, ſi dicat Pater, filius meus, aſinus ad lyram, ut eſt apud Gell. 3. *Noct. Att.* 16.

9. Ad modum inſtituendi pertinet captatoria inſtitutio, quæ eſt, cum quis ſcribit heredem, ut ipſe viciſſim ſcribatur, quomodo accipienda *l.* 70. *h. t.* ex qua patet,

ſet, in *l. præced.* non tradi definitionem captatoriæ, quod ſit ea, quæ in alienam voluntatem confertur, nam hæc alio nomine prohibita eſt *l.* 32. *h. t.*

10. Sed mens eſt, captatoriam non eſſe, quæ ex honeſtâ & reciprocâ actione fit, verum quæ dirigitur ad aucupandam ſucceſſionem ejus, de cujus voluntate nobis non conſtat. add. Wiſſenb. *diſput. ff. 56. th. 16.*

11. Denique, in arbitrium alterius collata inſtitutio nullius momenti eſt *l.* 32. *h.* uti & legatum *l.* 52. *d. C. & D.* Quanquam heres ſub conditione, quæ ab alterius arbitrio pendet, recte inſtituitur *l.* 68. & *l.* 1. 2. *d. C. & D.*

12. Nota denique caſum *l.* 13. *d. lib. & poſth. hered. inſt.* cui adde temperamentum ex *l.* 32. *C. d. Inoff. teſtam.* ſcil. ut Filia nunquam minus Legitimâ habeat.

TIT. VI.

De vulg. & pup. ſubſt.

DE utraque ſubſtitutionis ſpecie actum eſt ad *tit. Inſt. de Subſtitut. vulg. & ad tit. de pupill. ſubſt.* ubi ſis, vide.

2. Sub forma vulgaris ſubſtitutionis, ſi heres non erit, monuimus, tres comprehendi caſus; ſi primus heres ante teſtatorem moriatur, ſi poſtea nolit, vel non poſſit *tit. de vulg. ſubſt. n.* 5.

3. Quando teſtator formula communi uſus eſt, *ſi heres non erit*, ſubſtitutus admittitur, quicunque de tribus illis caſibus extiterit. Sed cum Teſtator unum eorum caſuum expreſſit, ut *ſi primus heres nolit*, & deinde mortuus ſit, antequam *poſſet*, ſubſtitutio evaneſcit, ut videtur; quia caſus iſti realiter diſcrepant *arg. l.* 10. *lib. & poſt. hered. inſt. vel exhered. vid.* Treutler. *vol.* 2. *diſp.* 11. *ed.* 6. ibique Bachov.

4. In utriſque ſubſtitutis habet etiam locum regula, quod legitima ceſſet, quamdiu teſtamentaria ſucceſſio

speratur *l.* 39. & *l.* 70. *d. acquir. hered.* unde sequitur si matrem heredis instituti à substituto excludi; quod etiam obtinet in pupillari, ne legitima quidem excepta *l.* 8. §. 5. *d. inoff. test.*

5. Pater quoque heredis instituti cedit substituto, per *d. l.* 70. & *l.* 39. *eod.* nisi filius repudiet hereditatem delatam, quo casu pater quasi ex testamento immediate vocatur *l. ult.* §. 1. *C. d. bon. quæ lib.* ubi non modo filius sed etiam nolente eo, Pater in cujus potestate est, jus succedendi habet.

6. Verba, *Si heres non erit*, in eo quidem, ait Imp. §. *ult. Inst. de vulg. subst.* quem alieno juri subjectum esse testator scit, sic accipiuntur; Si nec ipse heres erit, neque alium heredem effecerit, Patrem scilicet, si filiusfam. institutus sit. Unde probatur, quod Pater, quando acquirit hereditatem, vi institutionis à Testatore factæ eam acquirat. Ac ita non modo legis sed testamenti quoque sententia fretus est. Diss. D. Wissenbach aliique ab eo citati, parte 2. *Pand. disp.* 36. *th.* 17.

7. Sunt & alii casus, quibus heres instituti potior est substituto, quoties scil: hereditas non adita transmittitur in heredem, modo tum primus heres testatori superstes fuerit, cum alioqui non possit fieri transmissio.

8. Casus illi sunt, primus, cum vulgariter substitutum est liberis puberibus à Patre vel Matre, (nam *in pupillari* expressâ vel tacitâ substitutus vocatur, sola sui heredis existentia *l.* 42. *in pr. d. Acquir. hered.*) liberi non possunt esse superstites patri, quin fuerint heredes, utique si non abstinuerint se *l. un. C. d. his qui ant. ap. tab.*

9. Idem juris vulgo esse traditur (D. Wissenbach *ad tit. ff. hered. inst. th.* 19). cum extraneus heres deliberans decessit, quasi & tunc vulgariter substitutus excludatur; sed contrarium verius videtur, quia institutus non adiit hereditatem; & transmissio juris deliberandi, de qua in *l.* 19. *C. d. jur. delib.* venit ex voluntate defuncti tacita; & heres primus hoc casu defecit neque factus est heres, quod ad substitutum excludendum requiritur.

10. Rur-

10. Rurſum aliud eſt in caſu *l.* 84. *d. Acquir. hered.* ubi filius emancipatus teſtamento inſtitutus non potuit adire quamdiu venter præteritus non eſt editus; Ideo ſi interea moriatur, heres ejus ſubſtituto præfertur ex æquitate.

11. Quod Ulpian. in *l.* 2. §. 1. *h.t.* ait, *niſi adita ſit patris hereditas, pupillare teſtamentum evaneſcere*, intelligendum eſt de caſu, quo pater extraneum ſcripſit heredem aut coheredem. Adde *l.* 11. §. 1. *ad Sc. Trebell.* Aliter & perplexe D. Wiſſenbach *ad h.t. th.* 24.

12. Subſtitutio vulgaris non tollit ſuitatem, neque ex neceſſario facit voluntarium heredem, ut DD. ſine juris autoritate volunt. Verum, quando pater de filio ait, *ſi heres non erit*, tum non ſpectat utrumque caſum, ſi *aut non potuerit aut noluerit*, ſed juxta terminos habiles legum id eſt accipiendum, *ſi vel non potuerit morte præventus ante me*, vel dein emancipatus *repudiaverit, aut etiam abſtinuerit*; quod tantum ſcilicet eſt juris prætorii. Ita & Sand. *lib.* 4. *tit.* 3. *def.* 1. ubi uſum hujus rei practicum obſerva in hoc exemplo.

13. Filia abſtinens hereditate patris ob æs alienum petit avitam, ut vulgariter ſubſtituta patri ſuo, qui quidem non miſcuerat ſe bonis paternis, at nec abſtinuiſſe probabatur. Filia dicet; Pater meus non fuit heres, Ego ſubſtituta ſum in caſum, ſi heres non ſit; Ergo ad me bona ſpectant. Creditores patris ejus reſpondent. Tuus pater fuit ipſo jure heres & ſic bona ei acquiſita fuere, nobiſque in ea licet agere. Filia replicat; Pater meus accepit vulgarem ſubſtitutum & ſic voluntarius heres factus eſt, nec ideo fuit heres, quia facto non adiit. Creditores duplicant; Imo manſit heres ſuus & neceſſarius, & bona quæſivit ipſo jure. Inde reſultat τὸ κρινόμενον, quod jam diximus. Diſſ. Fachin. *lib.* 4. *controv. c.* 71.

TIT. VII.

De condit. instit.

SUperest tertius de heredum institutione articulus, ad modum, quo fit institutio, pertinens, qui vel ad diem, vel ad conditionem refertur.

2. Tempus certum heredis institutioni non potest adjici per naturam, hoc est: proprietatem & ingenium juris civ. *l.* 7. *d. reg. jur. l.* 88. *d. her. inst.* nam jure gentium nihil obstat, quin ut conditio rectè adjicitur & retrotrahitur ad tempus mortis *l.* 26. *h. t.* sic etiam dies addi ac retrahi posset. subtiliter quidem ratio differentiæ excogitari potest, sed ultra simplicitatem juris gentium.

3. Implendo conditionem heres non statim acquirit hereditatem, sed facultatem acquirendi consequitur, *l.* 13. *l.* 26. *d. cond. inst.* quod aliter in suo herede.

4. Impleri conditio præcisè & specifice debet, non per æquipollens, adeo ut institutus, si *monumentum fecerit*, paruisse non videatur, si pecuniam alii dederit, ut faciat. *l.* 11. §. *ult. d. Leg.* 3. quod tamen non impedit, quominus faciendum locet; neque enim suis manibus ut faceret, voluit testator.

5. Modus tamen, per quem conditio veniet, æquipollentiam recipit, ut *si per emancipationem sui juris factus erit.* Perinde enim est, si per mortem patris *l.* 11. §. 11. *d Leg.* 3. *l.* 3. *d. inst. & substit.*

6. Pendente conditione, bona manent ubi sunt, & si heres sub conditione scriptus ea tenet, is cavere debet de bonis restituendis, si conditio defecerit *l.* 12. *Qui satisd. cog. l.* 8. *d. Stipul. præt.* etsi potest implere conditionem, ad hoc cogendus est *l.* 8. *d. Curat. bon. dand.* Heres conditionalis bona non possidens ea petere non potest, ut videtur ante conditionem impletam, *arg. l.* 8. *quib. ex causs. in poss. & d. l.* 1.

7. Omitti non debet notissima regula, quod posi-

tivi

siti in conditione non sint positi in dispositione. Hinc qui uxorem fecit heredem, si filium non reliquerit, is filium præteriisse videtur, & testamentum est nullum *l.* 16. §. 1. *d. vulg. & pup. substit. l.* 19. *d. hered. inst.* Non obstat *l.* 37. *d. hered. inst.* ubi supponitur filium heredem institutum fuisse. *vid. Sand. lib.* 4. *tit.* 2. *def.* 1.

8. Similiter, si quis fratri, si sine liberis decedat, alium substituat, liberi non sunt instituti, nec proinde jus fideicommissi habent *l.* 8. *si quis om. cauf. test. d. l.* 19. *d. her. inst.* tametsi votum testatoris appareat, ut liberi fiant heredes, sed non aliter, quam ab intestato Sic cape *l.* 85. *d. her. inst.*

9. Notum est ex *l.* 1. *l.* 6. *l.* 9. *l.* 14. *l.* 27. *h.* conditiones impossibiles & turpes pro non scriptis haberi; sed mirum videtur, inter turpes etiam jurandi conditionem censeri, *l.* 20. *l.* 26. *d. C. & D.* nam quæ sub jurisjurandi conditione relinquuntur à Prætore improbantur, ut est in *l.* 8. *pr. d. cond. inst.*

10. Jusjurandum scil. quod necessarium non est, merito temerarium & turpe habetur. Quid enim jurejurando opus, si dederit aut fecerit heres, quod erat jussus jurare, se daturum vel facturum? hoc enim omnino ipsi injungitur *d. l.* 8. §. 6. neque his adversantur *l.* 62. *d. acq. her. l.* 97. *d. C. & D. l.* 13. §. 3. *d. Statulib.* ad quæ facilis responsio.

11. Ab his diversa est conditio *perplexa*; quæ Inutilem reddit institutionem *l.* 16. *h.* quemadmodum turpis adposita Filiofam. testamentum patris infirmat *l.* xv. *Eod.*

12. Porro Hereditas sub conditione adempta, sub contraria conditione dari intelligitur *l. pen. in fin. h. t.*

13. Conditio, si volet esse heres, in extraneo nihil efficit, in necessario herede facit, ut sit voluntarius, *l.* 12. *h.* cum quo conferendum, quod *suprà* dictum *tit. de subst. sub fin.*

14. Si idem in eodem testamento pure & sub conditione heres instituatur, institutio pura prævalet, adeò ut conditionalis non valeat *l.* 27. §. 1. *l.* 67. *d. hered. instit.*

15. Heres institutus, *si decem heredibus dederit*, tota decem coheredibus dare debet, ut conditionem impleat: quamvis, si fundus uni ex heredibus sub hac conditione prælegatus sit, coheredibus pro eorum portione dabit, & partem pro sua hereditaria portione retinebit. *l. qui heredi.* 44. §. *ult. d. C. & D.* ubi ratio.

16. Facti conditio, veluti, *si Romam iverit*, *si insulam ædificaverit*, omnino est individua; proinde, *si* unus non impleverit, nemo admittitur; secus est in conditione dandi pecuniam; qui suam partem oneris solvit, pro parte sua honoris admittitur *l. pen. pr.* §. 1. & 2. *d. C. & D.*

17. Si jam factum est, quod conditionis loco ponitur, sic distinguendum: Aut testator ignoravit, aut scivit: si illud, pro impleta habetur; si scivit, rursus distinguitur; aut id potest iterum fieri, veluti, *si navis ex Asia venerit*, *si nupserit*: aut est ejusmodi, ut semel tantum fieri possit, veluti, *cum pubes erit.* hoc casu conditio pro impletâ habetur, priori exspectandum, donec iterum impleatur *l.* 10. §. 1. & *l. seq. l.* 68. *d. C. & D. Pac. h. Sand.* 4. 6. 3. Plura de conditionibus: *infra.*

TIT. VIII.

De jure deliberandi.

ABolita *Cretione* antiqua, de qua *Ulp. tit.* 22. solum deliberandi jus & tempus in usu remansit, de quo tu vide sis, *tit. Inst. de Hered. qual. & diff. n.* 7. *& seqq.*

2. Sed Justin. penedissuadet jus deliberandi, alio tutiori suggesto remedio, quod inventarii dicitur *l. ult. C. h. t.* de quo egimus ad *eund. Tit. n.* 14. *& seqq.*

3. Beneficia Inventarii tria sunt, nota ex Inst. & incommoda neglecti sunt totidem, directe illis contraria, inter quæ non est jactura legitimæ, ut dictum *t. I. de hered. qual. & diff. n.* 21. & disputavimus in prælect. ad *d. tit. n. ult.*

4. Adde *Nov.* 1. *c.* 2. *junct. c.* 1. & 4. ubi heres intra annum

annum legata non solvens perdit quidem hereditatem, non tamen legitimam: unde istud collabitur argumentum, quo dicitur, neglecto inventario heredem omnia amittere, consequenter & legitimam, quæ est pars hereditatis. Nam si in *d. cap.* 1. & 4. integræ hæreditatis appellatio exceptionem legitimæ admittat, etiam in hac quæstione admittet.

5. Aliud dissent. argumentum â præsumptâ fraude solvitur inde, quod fraus probata duplo tantum puniatur *d. l. ult.* §. 10. ergo nec præsumpta plus efficit: Denique illa præsumptio jure veteri æque fuit; tunc autem hoc legitimæ non nocuit; ergo nec jam trahi potest ultrâ quam jure veteri potuit.

6. Cessat hoc beneficium, si à testatore prohibita sit confectio inventarii aliusque in eum casum sit substitutus *arg. l.* 78. *d. Acquir. hered.* vel conditio expressa sit, *si pure adierit*, nec enim hæc est è prohibitis conditionibus *arg. l.* 9. & *l.* 14. *d. Condit. instit.*

7. Non amittitur contrectando res hereditatis ante factum inventarium, utique non, si animus hæredis & dolus malus absit; nec quidem si furtivè quasdam res subtraxerit, tenetur enim in duplum *l. ult.* §. 10. *in pr. C. de jur. delib.* Aliter in foro servant. Sand. *l.* 4. *tit.* 12. *def.* 6.

8. Denique nec amittitur omissione æris alieni *arg. l. ult.* §. *fin autem dubius C. de jur. delib.* neque neglecta citatione quorundam è creditoribus, nisi quod hisce non præjùdicetur. Sand. *d. tit. def.* 4.

9. Sicut nec iisdem præjudicatur, eò quod creditoribus primo venientibus sed jure posterioribus est solutum. Potiores enim pecunias etsi consumptas ab illis repetere possunt *d. l. ult.* §. 5. & 8. *C. de jur. delib.*

10. Heres etiam, consumptis bonis, tenetur ad rationes reddendas universi patrimonii acceptorum & expensorum *d. l. ult.* §. 5. *verb. post emensum patrimonium* §. 7. *ubi, qui quantitatem rerum hæreditariarum expendit.* §. 9. *verb. in computatione patrimonii &c.*

LIB. XXIX.

TIT. I.

De Testamento militari.

TEstamentum est vel solenne vel privilegiatum. De solenni dictum: E privilegiatis præcipuum est militare: de quo, titulo peculiari dictum est ad *Instit.*

2. Hic addemus, quod hoc privilegium habeant etiam hi, quos fortuna belli in hostili solo deprehendit, ita ut ibi decedant *l. un. ff. d. bon. poss. è testam. mil.*

3. Privilegia militum ad quatuor capitula referri possunt. I. ad modum testandi, quia remittuntur iis solennia, ut possint facere & rescindere testamentum nudâ voluntate *l.* 15. §. 1. *l.* 34. §. 1. *h. t.* ut etiam notis scriptum valeat *l.* 40. *pr. juncta l.* 6. §. *f. d. bon. poss.*

4. II. Ad personam militis, si filiusfam. *pr.* 1. *Quib. non est permiss. fac. test.* si capitis sit damnatus, valet adhuc ejus testamentum *l.* 11. *pr. h. t.*

5. III. Ad heredes & Legatarios, cum quibus etsi non sit testamenti factio, possunt tamen a milite scribi heredes *l.* 13. §. 2. *d. mil. test.* adde *l.* 41. §. *ult. l.* 9. *C. h. t.* §. *pen. Inst. de exhered. lib.*

6. IV. Ad ipsam quasi substantiam testamenti, licet enim ei plura facere testamenta, ut omnia valeant *l.* 19. *h.* Codicillis hereditatem dare potest *l.* 36. *in pr. h. t.* Testamentum ejus non subjacet querelæ inofficiosi *l. ult.* §. 1. & 2. *C. de inoff. testam.* neque nullum dicitur ob liberos præteritos *l.* 9. & *sequ. C. h. t.* pro parte testatus, pro parte intestatus decedere potest *l.* 7. *d. R. J.* quod facit *l.* 17. *pr.* & *l.* 37 *pr. h. t.*

7. Tamen sunt etiam Leges, quibus miles non est solutus, ut Legè Juliâ de fundo dotali *l.* 16. *h. t. v. l.* 62. *d. A. R. D.* L. Ælia Sentia *l.* 29. §. 1. Edicto de jurejur. con-

conditionis implendæ cauſa §. 2. *ibid.* Mulieri turpi nihil poteſt relinquere *l.* 41. §. 1. quod paganis licet *l.* 3. §. 1. *d. donat. vir. & ux.*

8. Ex reliquis teſtam. privilegiatis, quædam cunctis, quædam certis ſolennibus liberantur. Quæ cunctis eximuntur, ſunt hæc; Primo, teſtamentum Principi oblatum; ſecundo, quod inter acta judicii conditum eſt *l.* 19. *C. de teſtam.*

9. Tertio Parentum inter libb. *l.* 21. §. 1. *C. eod. & auth. ſeq. Nov.* 107. *C.* 1. quæ ſine ullis ſolennitatibus habent vim teſtamenti, adeoque & inſtitutio & exheredatio in illis fieri poteſt. *d. N.* 107. *c.* 1. non obſt. *l. ult. C. fam. erciſc.*

10. Forma poſtremi eſt, ut parens omnia manu ſua & literis claris exprimat, tantumque inter liberos diſponat; etſi legata aliis quoque relicta valeant *d. N.* 107. *c.* 1.

11. Speciale autem eſt, quod hoc teſtamentum non niſi per aliud ſolenne & ſpecialiter poſſit revocari *d. N. c.* 2. In nuncupativo teſtamento parum liquet jure civ. hoc privilegium obtinere, probabilius tamen eſt. Sand. *d. lib.* 4. *tit.* 1. *def.* 7.

12. Sunt & alia, in quibus nonnullæ ſolennitates remittuntur, ut eſt ejus, qui ruri habitat teſtam. quod cum quinque teſtibus, etiam illiteratis, in defectu aliorum, ſubſiſtit *l. ult. C. d. teſtam.*

13. Secundo, tempore peſtis conditum, in quo remiſſum eſt, ne teſtes pariter intervenire cogantur, licet omnes teſtatorem videre debeant *l.* 8. *C. eod.* Sed moribus hoc totum fere privilegiatum eſt. Sand. *d. tit. def.* 4. ut & teſtamentum ad pias cauſas factum ex jure Can. *cap. relatum.* 11. *extr. de teſtam.*

TIT. II.

De acquir. hered.

DOctrinam hujus tituli habes *in parte I. ad tit. de Hered. qualit. & diff. n.* 23. *& seqq.*

2. Ante nonum à morte diem Justinianus non vult heredibus molestiam creari, *Auth. sed neque C. de sepulchr. viol.* Quod tamen non excludit legale officium signacula rebus hereditariis ex justis causis imponendi *Auth. Item qui eod. tit.*

3. Notum est, suos heredes licet ignorantes, transmittere hereditatem in quoslibet successores, ut *dix. ad tit. I. de Hered. qual. & diff.* heredes non sui ne quidem jus deliberandi ignorantes transmittunt, *l.* 19. *C. d. jur. delib.* idque procedit, etsi heres scire non potuerit, heredem se esse factum; utique jure directo, nam ex probabili causa peti potest restitutio in integrum *l.* 86. *in fin. pr.* vid. Sand. *lib.* 4. *tit.* 9. *def.* 1. Alios tamen casus, quibus transmissio fit sine facto, vid. *in l.* 12. §. 1. *d. Carb. edict. l.* 3. §. 30. cum *l.* 4. *ad SCt. Syllan.* cujus casus hodie sub *l.* 11. *C. de suis & legit. hered. & l. un. C. de his qui ant. ap. tab.* comprehenditur.

4. His consentaneum est, suis heredibus mortuis antequam se abstinuerint, præsumi quod heredes fuerint: ideoque creditores bona paterna non minus quam propria filii occupabunt. Sand. *d. lib.* 4. *tit.* 9. *def.* 9.

5. Quod temperandum tamen, nisi contraria præsumptio adsit; quæ colligitur, si paterna hereditas onerosa fuerit, per *l.* 12. *h. t.* certe, cum sui heredes liberos reliquerunt, hi licet pater non abstinuerit, tamen abstinere possunt *l.* 7. §. 1. *h.*

6. Aditio hereditatis non modo efficax est in futurum, sed etiam retrotrahitur ad tempus mortis defuncti *l.* 138. *pr. l.* 193. *de R. I. l.* 28. §. *fin. de stip. serv. l.* 54. *h.*

TIT.

TIT. III.

Teſtam. quemadm. aper.

APerturam teſtamenti poſt mortem, & deſcribendi copiam petere poſſunt omnes, quorum intereſt, etiam alieno nomine *l.* 1. *h.* licet cauſa non ſit evidens; modo de calumnia juretur *l.* 3. *h. t.*

2. Et hoc ſenſu publicum dicitur eſſe inſtrumentum *l.* 2. *pr. h. t.* nam forma conficiendi publicum non eſt; quia privatim à ſolo teſtatore poteſt ſcribi, licet nullus adſit tabellio, aliave publica perſona, quia hoc nuſquam inter requiſita teſtamenti memoratur.

3. In deſcriptione dies & conſul debent omitti; quod in foro non ſervatur *l.* 2. §. 6. *h.* deſideranti heredi dilationem exhibendi teſtamentum, Prætor tempus præfinit *l.* 2. §. 7. *h. l.* 2. *C. h. t.*

4. Modus aperiendi eſt, ut ſignatores à Prætore cogantur, quo ſigilla recognoſcant, quorum tamen abſentia vel mors minime vitiat teſtamentum *l.* 7. *h. t. vid.* Vigl. *ad* §. 6. *I. d. Teſt. Ord.* In praxi forenſi magiſtratus aperiendo teſtamento non adhibetur, poſſet tamen, ſi petatur. & ſæpe fit, ut teſtes examinentur in judicio; at vix aliter quam ſi res venerit in diſceptationem.

5. Tempus aperiendi teſtamenti eſt, die tertio vel quinto a morte teſtatoris, juxta Paulum *l.* 4. *ſent. tit.* 6. niſi jure novo dicas, nonum diem eſſe præſcriptum. *Aut. ſed neque C. de ſepulch. viol.*

6. Viventis teſtamentum nullo prorſus modo fas eſt aperiri *l.* 2. §. 4. *h. t.* notatuſque eſt eo nomine Auguſtus, quod Antonii viventis teſtamentum, ut Dion auctor eſt, publicaverat.

7. Datur etiam hac de re interdictum de tabulis exhibendis *l.* 2 §. *ult. h.* de quo locus eſt *inferius.*

TIT.

TIT. IV.

Si quis omiſſ. cauſ. teſt. &c.

LEgitimi heredes teſtamento inſuper ſcripti & legatis onerati non poſſunt adeundo ab inteſtato hoc onus evitare, ſed legatariis actio manet integra *l. 1. pr. & 7. t. t. h.* Subſtitutis autem ipſi loco cedere debent *l. 3. C. de Impub. & al. ſubſt.*

2. Directe vero honoratis datur actio tantum, non his qui mortis cauſa capiunt *l. 8. h. add. l. C. de his qua ſub mod.*

3. Datur eadem actio quæ prius: nam pœnale hoc judicium non eſt, unde nec falcidiam heres amittit *l. 18. §. 1.* niſi is qui pecuniam fraudandi cauſa accepit, etſi pro parte heres, in ſolidum teneatur *l. 10. pr. h.* Contra ſubſtitutos alioſve poſſeſſores utilis actio datur *l. 4. pr. h. l. 27. §. 2. h.*

4. Ceſſat hæc actio, ſi teſtator heredi veniam dederit omittendi cauſam teſtamenti *l. 6. §. 1. h.* Secundo, propter vitium teſtamenti aliamve juſtam cauſam *l. 6. §. 3. h.* Denique, ad titulos particulares, ut eſt emptionis, hæc ſanctio non pertinet. *l. ult. h. t.*

TIT. V.

De Sct. Silan. & Claud.

DOmino morte violenta, non clam, ſublato, heres primo omnium, quæſtionem de ſervis habere debet, adeo ut fiſcus tanquam indigno auferat hereditatem, ſi quæſtione neglecta hereditatem adierit, vel tabb. aperuerit *l. 1. §. 17. & 21. l. 5. §. 2. junct. l. ult. h. t.*

2. Atque hæc fuit ſententia Sct. Silaniani Claudianum ſententiam Silaniani confirmavit, inſuper Juſſit, viro occiſo, de uxoris ſervis, & uxore necata, de mariti ſervis æque ac de propriis perſonæ occiſæ ſervis haberi quæſtionem. *d. l. 1. §. ſi vir.* Paul. 3. *ſentent. tit. 5. §. Neroniano.*

3. Acceſ-

3. Acceſſit edictum Prætoris, *in l.* 25. §. *ult. h. t.* quo cavetur, ne ſciens quis teſtam. dolo malo, aperiendum, recitandum, deſcribendum curet, priuſquam de ſervis quæſtio habita fuerit; & ut is qui adverſus ea fecerit, teneatur actione populari in centum aureos: cujus ſummæ dimidia pars accuſatori conceditur: altera dimidia confiſcatur. *d. l.* 25. §. *ult. h.* Adde *l.* 14. *l.* 22. *l. ult. h. t.*

TIT. VI.

Si quis aliquem teſt. prohib. vel coeg.

Aufert etiam fiſcus hereditatem ei, qui defunctum teſtari prohibuit *l.* 1. *D. & C. h. t.*

2. Cum vi comparatur dolus *d. l.* 2. *pr.* quo pertinent mendacia & ſugillationes, quibus teſtator ſeductus eſt, non blanditiæ *l. ult. h. t.* niſi quod preces importunæ, inſtantes, adſiduæ proximead vim accedere videntur, maxime ſi reverentia illis juncta ſit. Sand. *l.* 4. *tit.* 1. *def.* 11.

3. Edictum quod metus cauſa, ad ultimas voluntates ſpectare non videtur *arg. l.* 1. *quod met. cauſ.* junc. *l.* 20. *d. V. S.* unde ſequitur, teſtamentum vi factum non reſcindi, ſed eſſe ipſo jure nullum, per *l.* 85. *d. acq. her. l.* 5. *C. d. LL.* add. *l.* 20. §. *ult. qui teſt. fac. poſſ.* ubi coactio teſtium infert nullitatem.

TIT. VII.

De Codicill.

HUnc titulum habes explicitum, quod ſatis ſit, in parte I. *lib.* 11. *tit. ult.*

LIB.

LIB. XXX.

XXXI. XXXII.

De Legatis & fideiCommiſſis I. II. III.

Dictum eſt alias, legata & fideicommiſſa per omnia eſſe adæquata, *l.* 2. *C. Comm. de legat. & fid. l.* 1. *b. t.* quod attinet ad effectus videlicet; at res & termini adhuc ſunt diſtincti. Nam l. diverſas habent definitiones, & etymologias. Legatum dicitur, quia legis modo, id eſt, imperative relinquitur: fideicommiſſum, quia fidei & pudori committitur ejus, qui præſtare rogatur. *pr. & §. ult. Inſt. de fideic. hered.*

2. II. Appellatione legati ſæpe ſignificatur fideicommiſſum: fideicommiſſi vero appellatione nunquam ſignificatur legatum. Cujac. 4. *obſerv. cap.* 23.

3. III. Omne legatum eſt particulare, fideicommiſſum vero partim eſt univerſale, partim ſpeciale ſeu particulare.

4. IV. Fideicommiſſi proprium eſt, non legati, ut qui præſens à teſtatore rogatus eſt; omnimodo fideicommiſſum ſolvere cogatur, etiamſi nullus teſtis adfuerit, niſi juret, ſe non fuiſſe à teſtatore rogatum §. *ult. Inſt. de fideic. hered.*

5. Cæterum, Materia de legatis primo generaliter tribus libris exponitur, dein certa de illis capita ſub titulis peculiaribus adduntur. Locum generalem explevimus in titulo *Inſt. de Legatis*; quem qui intelligit, is ad paratitlarem diſciplinam non eſt quod plus deſideret. Specialia additamenta, quæ in *parte I.* non habuimus, heic proſequemur.

LIB.

LIB. XXXIII.

TIT. I.

De ann. & menstr. leg.

ANnuum legatum est, cum testator quotannis parem quantitatem legatario vult præstari; à quo diversum est legatum annuâ, bimâ, trimâ die relictum: nam hoc est unum in tres pensiones divisum *l.* 3. *pr. h. t.*

2. Sed vere annuum legatum est multiplex; tot enim legata sunt, quot anni *l.* 4. *h. t.* adeo, ut singulis annis jus capiendi spectetur *l.* 11. *h. t.*

3. Primi quoque anni legatum est purum & certum, statimque â morte peti potest, reliqua habent conditionem, si vivat legatarius initio cujusque anni *d. l.* 4. quod secus in stipulatione *l.* 16. §. 1. *d. V. O.*

4. Hinc præscriptionis tempus ducitur â singulis annis; adeo ut cum longissimum tempus elapsum est â primo anno, sequentibus tamen non sit præscriptum, per *l.* 7. §. 4 6. *& ult. C. d. præscr.* 30. *ann.* junct. *d. l.* 4. *l.* 12. §. 1. *& 3. quand. dies leg. ced.*

5. Sed quod ecclesiæ relictum est, vel etiam reipub. id purum est & perpetuo debetur *l.* 6. *& pen. h. t.* ut & illud, quod sacerdoti & custodibus templi relinquitur, quia ecclesiæ datum censetur *l.* 20. §. 1. *h.*

6. Denique & hoc annuum est legatum, si quis puellæ donec nubat, vel studioso donec Doctor fiat; centum relinquat; nam quotannis centum debebuntur *l.* 17. *pr. h.*

7. Menstrui Legati eadem ratio, quæ annui. Unde in Rubrica conjunguntur.

TIT.

TIT. II.
De Usu & Usufr. & reditu & habitat. & oper. leg.

HOc & superius legatum conveniunt, quod utrumque morte finiatur *l.* 8. *d. ann. leg.* sed differunt, quod ususfr. capitis quoque diminutione extinguatur, non annuum *d. l.* 8.. quod & ita est in alimentis legatis *l.* 11. *d. alim. leg.* Ususfr. legati dies cedit ab adita hereditate, ut habuimus *super. l.* 7. *t.* 2. annuum statim à morte testatoris *l.* 12. §. 3. *Quand. d. leg. ced.* ususfr. unum est legatum, nisi cum alternis annis vel mensibus legatur *l.* 13. *h. t.* secus ac de annuo dictum.

2. Legatum ususfr. à reditu modo magis, quam copia differt, nam fructuarius ipse colit rem & fructus percipit, in reditu heres præstat fructus legatario.

3. Reditus est, cum dicitur, dari volo *l.* 22. & 38. *h. t.* ususfr. directis verbis relinquitur, ut *l.* 20. & 41.

4. Si quantitas annua ex certo fundo percipienda relinquatur, tota, licet minus proveniat, debebitur *l.* 17. §. 1. *d. ann. leg.* Sed si quantitas semel legetur, quæ ex alio fundo proveniet, tum nihil quam quod provenit, debetur *l.* 5. *d. trit. vin. Leg.* Ratio est, quia in annuo testator usum & indigentiam legatarii spectavit, non æque in altero.

5. Denique, de habitationis legato nota, hoc simile esse annuo legato *l.* 11. *h.* sed operarum legatum cedit à die petitionis *l.* 7. *h.*

6. Sub usufr. omnium bonorum comprehenditur & ususfr. rerum, quæ sunt fideicommisso subjectæ; quorum restitutio ipsi heredi facienda est, non quod directe illa bona gravari possint, sed quia heres voluntatem defuncti implere debet arg. *l.* 207. *d. R. I.* vid. Sand. *lib.* 4. *tit.* 4. *def.* 9. Sed tu confer, sis, *Prælectiones* ad *h. t.* ubi *Auctor* mutat sententiam.

TIT.

TIT. III.

De Servit. Leg.

SErvitutis realis legatæ (nam ita ſtrictè hoc vocabulum accipitur, ut alibi) diverſa ab uſufr. ratio eſt: nam illius legatum eſt individuum, ſecus ac uſusfr. *l. 5. D. de Uſufr.* unde ad ſervitutis legatum ſinguli heredes in ſolidum tenentur, ſecus ac in uſufr. *l. ult. h.* Uſusfr. legatum cedit ab adita hereditate, *ut ſupr.* de ſervitute hoc non videtur, per *l. un* §. 6. *C. d. cad. toll.* non obſt. *l. ult. ff. comm. præd. l.* 19. §. 1. *quemad. ſerv. amitt.* vid. Wiſſenbach. *ad h. t. th.* 1. Diſſ. Bachov. *vol.* 2. *diſp.* 13. *th.* 7. *lit. A.* Servitute alternis annis vel menſibus relictâ, manet unum legatum. Secus ac de uſufr. *l.* 13. *de Uſufr. leg.*

TIT. IV.

De Dote præleg.

DOs à marito dicitur uxori & relegari & prælegari. *rubr. & l.* 1. *pr. h.* hoc eſt, legando reſtitui & celerius ſolvi, quo reſpectu utile eſt hoc legatum; dix. *tit. Inſt. de Legat. n.* 16.

2. Si præter dotem, legatum aliud acceperit uxor, aut hoc, ſine dotis mentione; poteſt utrumque petere, ſublato edicto de alterutro *l. un.* §. 3. *C. d. rei ux. act.*

TIT. V.

De Opt. Vel elect. Legat.

OPtio & electio ſynonyma ſunt *l.* 2. *pr. h.* legaturque aut expreſſe vel tacite *d. l.* 2. §. 1. tacitè, cum genus legatur. De utroque diximus ad *tit. Inſt. de Legat. n.* 24 *& ſeqq.*

2. Semel autem facta electio mutari pœnitentiâ nequit *l.* 20. niſi facta ſit ante aditam hæreditatem, *l.* 16.

b. aut non omnibus exhibitis ſpeciebus, aut re aliena, *l.* 2. §. 2. vel quæ non ſit in commercio, optata *l.* 4 hæc enim vitia ſunt electionis.

TIT. VI.

De Trit. vin. ol. frum. Leg.

VIno, cæteriſque hujus rubr. ſpeciebus legatis, debetur quicquid teſtator numero vini habuit. Modo non toto genere diverſum *l.* 9. *b.*

2. Sed hæc res pendet ab ingenio cujuſque linguæ & circumſtantiis in quoque teſtamento. Si triticum oleumve, quale non fert natura, legetur, id inutile eſt *l.* 7. §. 1. *b.*

3. Quando eadem quantitas in eodem teſtamento bis legatur, fieri poteſt, ut etiam bis debeatur, ſi hoc voluerit teſtator & evidentiſſime liqueat, idque Legatarius probare debet, per §. 4. *in fin. Inſt. de Legat.* & *l.* 34. §. 1. & 3. *d. Leg.* 1.

4. Imo heres *l.* 12. *d. probat.* ſi nempe diverſis ſcripturis eadem quantitas legata fuerit, quia tum præſumitur pro Legatario, teſtatorem voluiſſe conduplicare Legatum. In eodem teſtamento creditur, non tam ſæpius legaſſe, quam ſæpius eſſe locutus teſtator *l.* 66. §. 5. *d. Legat.* 2.

5. Quod ſi corpus idem bis in eodem Teſtamento legatum fuerit, conſtanter tenendum, non niſi ſemel eſſe præſtandum *d. l.* 34. §. 1. *d. Legat.* 1.

6. Legato indefinite concepto neque certa quantitate adjecta; veluti heres uxori meæ oleum, acetum dare damnas eſto, id omne debetur, quod teſtator mortis tempore reliquit *l.* 7. *in pr. b.*

TIT.

TIT. VII.
De Instruct. & instrum. leg.

INstrumentum est apparatus rerum diutius mansurarum, sine quibus possessio exerceri nequit *l.* 12. *pr. h.* proinde instrumento fundi continentur ea, quæ fructus quærendi, cogendi, conservandi gratiâ parata sunt *l.* 8. *h.*

2. Non supellex, neque penus, nec pecora, quæ pascuntur *l.* 9. *l.* 12. §. 15. *h.* at sub instrumento villæ urbanæ continetur supellex *l.* 19. §. 1. *h.* mola quoque est instrumentum ædium *l.* 26. §. 1. non fundi *l.* 18. §. 2. quod moribus hodiernis plerumque contra se habet.

3. Sed fundi instructi plenius est legatum *l.* 12. §. 27. *h. t.* instrumentum enim ad possessionem rei pertinet, instructi vox etiam ad usum patrisfam. unde & supellectilem continet *d. l.* 12. §. 28. add. tamen §. 29. & 30. item *l.* 2. *C. d. V. S.*

4. Fundo instructo legato, debetur instrumentum, etsi fundus perierit, aut alienatus sit; nempe, quod ad usum patrisfam. in eo fundo attinet *l.* 5. *h. t.* Sed instrumentum, quod ad fundum pertinet, non debetur §. 17. *l. d. Leg.* alioqui fundo Legato, Instrumentum non debetur, nisi id specialiter expressum sit *l. ult. d. Supell. Leg.*

5. Fundo Legato, cum omnibus, quæ in eo sunt, etiam res quas testator vendiderat, debentur *l.* 27. §. 3. *h. t.* at usufructu ita legato; merces venales non debentur, quia venditionis causa modum ususfr. excedit *l.* 32. §. 2. *d. usuf. Leg.*

TIT. VIII.
De Pecul. leg.

TIt. de peculio legato nihil habet præcipui, prætet id quod est in §. 20. *I. d. Legat.* nisi hoc addere velis; servo legato, aut libertate ei data, non intelligi pe-

gi peculium datum, nisi exprimatur, *l. antep. hic. l. un. C. de pecul. ejus qui lib. mer* legatum vero accessionis vicem obtinet, itaque extincto servo, simul extinguitur *l. 1. & 2. eod.*

2. Filiifam. quoque peculium legari potest *l. 19. §. 2. h.* Idque usum habere posset hodieque; sed ejus dies cedit, ut alias, à morte testatoris; sive ipsi filiofam. sive tertio legatum sit. Aliter ac in peculio servi, nam hujus dies, cum servo legatur, cedit ab adita hereditate, quia Libertas legata tum cedit diem *l. un. §. 7. C. de Cadu. toll.* & quia legatarius habet, quicquid tempore diei cedentis est in legato; habet etiam servus, augmentum peculii, quod inter mortem & aditam hereditatem accessit, secus ac alius, cui peculium fuerit legatum *d. §. 20. Inst. de Legat.*

TIT. IX.

De Penu legatâ.

Dicitur penus ex eo, quod non in promptu est, sed intus & penitus reconditum. Gell. *lib. 4. c. 1.* Penu legata, debetur quicquid esui potuique est *l. 3. pr. & §§. seqq. h.* etiam ligna, carbones, thus, cerei, unguentum, charthæ epistolares, & vasa, sine quibus penum habere non licet *l. 3. §. 9 10. & 11.* non medicamenta *l. 5. pr. h.* non vasa cocitatoria, nec reliqua instrumenta culinæ *l. 6. h.*

2. Quod si aliquid penoris dare jussus, & ni dedisset, pecuniam solvere heres damnatus est, penus erit in præstatione, pecunia vero in petitione, postquam heres est in morâ dandi *l. 2. eod. l. 19. l. 24. quand. dies leg. l. 115. de V S.*

TIT.

TIT. X.
De Supell. leg.

SUpellex inde dicta est, quod olim his qui in legationem proficiscebantur, locari solebant ea, quæ sub pellibus usui forent *l.* 7. Species vide in *l.* 3. *pr.* §. 1. 2. 3. & *l.* 4. *h.* Supellex est domesticum patris fam. instrumentum, quod neque argento aurove facto neque vesti adnumeratur *l.* 1. *h.* cui junge fis, *l.* 9. §. 1. *h.*

2. Aliquod tamen argentum factum, ut quod est in usu quotidiano, potest deberi *l.* 3. §. *fin. l.* 7. §. 1. *h. t.* excepto escali potorioque argento *l.* 8. aliter apud Sand. *lib.* 2. *tit.* 5. *def.* 5.

3. *Si* primo legetur suppellex, deinde species una & altera adjiciatur, ea tanquam superflua non minuit legatum *l.* 2. §. *pen. d. instr. leg.* sed pluribus speciebus accurate adjectis derogatum videtur legato *l.* 18. § *pen. eod.* vid *l.* 9. *h. t.* Latius hoc D. Wissenb. *ad tit. de Instr. Leg. th.* 8.

4 Sub Legato mobilium continentur etiam nummi simpliciter, etiam quos Testator præsidii vel mutui dandi causa repositos habuit *l.* 79. §. *d. Legat.* 3. at si mobilia quæ certo loco sunt, legaverit, tum nummi ad mutuo dandum repositi, non videntur legati *d. l.* 79 §. 1. vid. *l.* 41 §. 6. *l.* 44. *D. d. t.* ne merces quidem venales continentur sub mobilibus certo loco demonstratis *l.* 92. §. *ult. eod. l.* 32. §. 2. *d. usufr. Leg. l.* 1. & 2. *C. de V. S.*

5. Cautiones quoque & nomina & actiones sub tali legato non continentur; imo hæ, cum ne quidem corporales sint, plane sub Legato mobilium & immobilium non comprehenduntur *l.* 86 *pr. d. Leg.* 2. *l.* 12. §. 45. *d. Instruct. vel instrum. Leg.* Sand. *lib.* 4. *tit.* 4. *def.* 6. adde Wissenbach. *ad tit. de Legat.* 3. *th.* 9. Hodie sub mobilibus suppellectilem duntaxat contineri notat ex Pinello aliisque D Wissenb. *d. th.* 9. quod verum de voce gallicana *meubles*, aliter minimè.

LIB. XXXIV.

TIT. I.

De Aliment. Legat.

SUb alimentis continentur cibaria, veſtitus, habitatio, non quæ ad diſciplinam pertinent, niſi teſtator aliud voluerit *l.* 6. 7. *h.* quod in patre facilius præſumitur *arg. l.* 4. *Ubi pup. educ.* & in edicto Carbon. diſciplina ſemper ſub alimentis continetur *l.* 6. §. 5. *d. Carb. Edict.*

2. Interpretatio alimentorum legatorum eſt favorabilis, unde heres educare duntaxat juſſus omnino alere tenetur *l. ult. h.* item alimenta ſimpliciter relicta in perpetuum relicta videntur; ſi ad pubertatem, plena pubertas intelligitur *l* 14. *pr.* & §. 1. *h.* add. *l.* 11. *h.*

3. Quantitate alimentorum non expreſſa, modus ſecundum facultates & ex præſumpta voluntate teſtatoris ſtatuendus eſt *l.* 22. *pr. h.*

4. Prægio alicui ad alimenta legato, non alimenta exinde ad vitam ſed proprietas debetur; alimentorum adjectio cauſæ locum habet *l.* 4. *verſ. quæro l.* 22. §. *ult. h. t.*

5. Diaria idem ſignificant quod cibaria, quibus neque veſtis, nec habitatio, nec calcearia continentur *l.* 21. *h.*

TIT. II.

De Aur. & arg. leg. &c.

AUrum eſt triplex, factum, infectum & ſignatum, ſed hoc tertium ſub auro argentoque legato non continetur *l.* 19. *l.* 27. §. 1. *& ſeq.* Qui legat omne ſuum argentum aut veſtem ſuam, neque legat hoc quod eſt in credito, nec id quod facto teſtamento compara-

paratur; quia vox *suum* & proprietatem & tempus præsens arguit. *l.* 7. *l.* 27. §. 2. *h. t. l.* 9. *h.*

2. Quid differat mundus & ornamenta, vid. *l.* 25. §. 10. Vestis est, quicquid induendi, præcingendi, amiciendi, insternendi, injiciendi, incubandive causa habetur *l.* 23. §. 1. *& seq.* aliter hodie, nec enim vernacule vestem dicimus, quod insternimus, injicimus, aut cui incubamus.

3. Distinguuntur vestimenta in virilia, muliebria, communia, puerilia, familiaria *d. l.* 23. §. 2.

4. In his omnibus regula est, quod accessio cedat suo principali *l.* 9. §. 2. *l.* 32. §. 1. *h.* utra vero sit accessio, id non ex pretio spectamus, sed utra res ob alteram habeatur *l.* 19. §. 5. *& ult. l.* 20. *h.*

5. De statuis & imaginibus vid. *l.* 12. *& l.* 14. *h.*

TIT. III.

De liberat. leg.

Liberationis legatum dicitur, cum testator legat alicui quod ipse defuncto debebat; per quod, vinculum obligationis, quo legatarius tenebatur defuncto, licet ipse legatarius rei dominus sit, remitti videtur *l.* 1. *pr. l.* 7. *pr. h.*

2. Forma est non modo, ut testator summam sibi debitam leget aut remittat sed etiam ut damnet heredem, ne petat *l.* 2. *h.* vel chirographum aut instrumentum obligationis tradat *l.* 3. §. 1. at redditio pignoris non ipsum debitum, sed jus pignoris tantum arguit esse remissum *l.* 1. §. 1. *h. t.* plura dix. ad *tit. Inst. de Legat. n.* 12.

TIT. IV.

De Adim. & transfer. leg.

Hic titulus non eget amplioris explicationis, quam est ad eundem titulum in parte I. *lib.* 2. *tit.* 21.

TIT. V.

De reb. dub.

ULtima voluntas dubia eſt, aut ob verba teſtatoris, vel ob rem ipſam De verbis regula eſt in *l.* 7. § 2. *de ſup leg* ut ſi ullo modo cum mente teſtatoris conciliari poſſint, ſecundum mentem explicentur, ac ita, ut actus valeat potius quam pereat *in l.* 67 *d. R. I. l.* 12: *l.* 21. *l* 24. *h.*

2. At in dubio præſumitur Teſtator locutus ex more Patriæ ſuæ *l.* 18. §. 3 *d. Inſt. & inſtrum. leg. l.* 19. *pr. d C. & D. l.* 19. §. 1. *ad Sc. Trebell. l.* 9. *d. Trit. vin. ol. leg. l.* 3. *d. ſupell leg.*

3 Si prorſus uſus hominum abhorreat ab eo, quod teſtator voluiſſe creditur, tunc neque hoc fit quod defunctus voluit, quia hoc non dixit, neque id quod dixit, quia hoc non voluit *l.* 3. *h. t.*

4. Dubii à parte rei exemplum eſt in *l.* 9. §. 1. *& ſeq. h t.* in caſu, quo parens una cum filio periit & quæritur uter ſupervixerit; reſolutio eſt, pariter mortuos credi, niſi aliud conjecturæ ſuadeant *l.* 16. *& ſeq. h.* nam filius pubes patri, parens impuberi ſupervixiſſe creditur *d. l.* 9 §. 1. *& ult.*

5. Item, favore patroni libertus filio ſupervixiſſe creditur, ut patrono locus in ſucceſſione detur *d. l.* 9. §. *pen.* Denique, in caſu fideicommiſſi ſub conditione relicti, ſi ſine liberis decedat, filius cenſetur præmortuus, ut locus fideicommiſſario detur *l.* 17. §. *pen. ad Sc. Trebell.* adde quod dix. ad *tit. I. de Pupill. ſubſt. n.* 17.

6. Inter dubia & hoc poni meretur; Legatum alicui relictum eſt, cum quatuordecim annorum erit, tempus naturaliter computatur & impleſſe oportet annos 14. antequam peri poſſit *l.* 49. *D. legat.* 1.

7. Quid ſi relictum ſit fideicommiſſum, cum pervenerit ad annum XIV? Idem juris eſt *l.* 48. *d. C. & D.*

8. Fieri tamen poteſt, ut ex meritis & æquitate circum-

cumstantiarum aliter sic respondendum, ut fit in *l.* 74. §. 1. *ad Sc. Trebell.* quam superioribus non putem adversari, licet aliter D. Wissenbach. ad *tit. de Legat.* 1. *th.* 18.

TIT. VI.
De his quæ sub pœn.

EXplicitus est hic Titulus in parte I. *tit.* 20 *n.* 83. & *seqq.*

2. Inter conditiones impossibiles olim erat, si nuptiæ secundæ Uxori vetarentur, hoc modo; si nupserit Uxor mille aureos dato *l.* 22 & 64 *d. C.* & *D.* junct. *l.* 61. *eod.* sed hodie tale legatum valet, quia per modum conditionis id uxori cum effectu injungi potest. *Nov.* 22. *c.* 44. junct. § *ult. l. d. Leg.*?

TIT. VII.
De regul. Caton.

REgula Cat. dictat, legatum tempore conditi testamenti inutile, postea nunquam convalescere *l.* 1. *h. l.* 29. *d. R. I.*

2. Tantum ad pura legata & institutiones, non ad conditionalia pertinet: nec ad ea, quorum dies non cedit statim à morte testatoris, sed ab apertis tabulis quod novis legibus sive caducariis introductum *l.* 3. & *seq. h.*

3. Nec etiam ad earum rerum legata, quorum dies cedit ab adita hereditate *l.* 3. *d. Reg. Cat. l. un.* §. 6 *C. de Cod. toll. l.* 17. *Quand. d. Leg. ced.*

4. Hujus Regulæ instar, pertinet etiam ad contractus §. 2. *Inst. de Inutil. stipul. l.* 83 §. 5. *d V. O.*

5. De re Legatarii propriâ legatâ, quæ vivo testatore à Legatario alienata est, *diximus ad* §. 10. *Inst. d. Legat. n.* 38. Lex 1. § *ult. h.* agit vel de legato conditionali, vel *ἀντινομία* est.

TIT. VIII.

De his, quæ pro non ſcript.

PRo non ſcriptis habentur, quæ per ſe & ab initio inutilia ſunt, ut ea quæ perſonis incapacibus palam relinquuntur *l.* 3. *pr. b.* qualia penes heredem manent, ut & ea, quæ quis ipſe ſibi adſcripſit *l.* 1. vel ex ore dictantis Teſtatoris ſcripſit *l.* 3. *C. de his qui ſib.* item, ſi legatarius in vivis non fuerit *l.* 4. *b.* & quæ intelligi nequeunt *l.* 2. *b.* item legata turpia, *l.* 54. *pr. d. Leg.* 1.

2. Cæterum, quæ clam perſonis incapacibus relinquuntur, ea cedunt fiſco. *l.* 1. *d. jur. fiſc.* Cujac. 7. *obſerv.* 21. *vid. d. l.* 3.

TIT. IX.

De his, quæ ut indign.

INdigni ſunt, qui per ſe capaces, ob maleficium jure ſuo privantur.

2. Cauſæ vel ſumuntur â reſpectu teſtatoris; vel teſtamenti, vel alterius delicti. Reſpectu teſtatoris, ſi quis eum occiderit *l.* 10. *C. b.* vel ſi cujus negligentia periit *l.* 3. ſi necem defuncti non ſit ultus, *ſupra de Sct. Silan.* ſi bona viventis alienaverit *l.* 2. §. 3. *b. l.* 29. §. *ult. d. Donat.*

3. Reſpectu teſtamenti, ſi hoc factum ſit, cogente legatario aut herede, vel prohibente mutari. *ſupra ſi quis aliq. teſt.* ſi quis teſtamentum dixit falſum vel inofficioſum *l.* 5. *l.* 7. *b.* percepto legato, falſum licet, inofficioſum non licet accuſare *d. l.* 5. *pr.* Sed non jure factum impune ſemper arguere licet *d. l.* 5. §. 1.

4. Referatur huc etiam caſus *l.* 12. *b. t.* In priore teſtamento ſcripti ſunt heredes capaces, in ſecundo incapaces: Secundum ſcilicet, ipſo jure non valet, ideoque prius non rumpitur, ſed ipſo jure valet: attamen heredibus in primo teſtamento ſcriptis, bona tanquam indignis

Indignis auferuntur; qui non habent ultimam testatoris voluntatem: Ideoque bona publicantur, salvis tamen legatis.

5. Propter aliud delictum; primo omnes capitis damnati, quorum bona publicantur, quod hodie intelligendum juxta limitationem, quæ est in *N.* 134. *c. ult.* secundo, si quis duxerit adulteram suam vel nupserit adultero, licet non damnatis *l.* 13. *h.* tertio, si quis aliam duxerit uxorem lege prohibitam, ut præses provincialem *l.* 2 §. 1. *l.* 13. & *l.* 14. *h. t.*

6. Ob has causas fiscus admittitur, *l.* 2. & *seqq.* Sunt tamen & aliquæ causæ, ob quas amittitur quidem, at non confiscatur legatum, ut si tutor se excusaverit à tutela, propter quam honoratus erat legato *l.* 5. §. 2. *h.* Et in *l. ult. in f. Non fisco hoc vindicatur, sed apud eum à quo relictum est remanet.*

7. Forte etiam huc pertinet, quod libertus carere dicitur legato, relicto ipsi à patrono, quem illicitæ mercis negotiatorem detulerat; nam propter quod præmium meruit à fisco, vix est ut eidem obnoxius videri possit *l.* 1. *h.* junc. *l.* 2. *pr.*

LIB. XXXV.

TIT. I.

De Cond. & Dem. & causis & modis &c.

DE conditionibus tam supra quam in Inst. est dictum. Adde impossibilem conditionem haberi illam, quæ per se repugnantiam à natura vel jure implicet, non quod impossibilis sit ei, cui injungitur, modò ab alio possit impleri: ut si spadoni legatum relin-

relinquatur sub conditione, si filium procreaverit, vel homini octuagenario, si post L. annos monumentum sibi fecerit. Proinde ejusmodi conditio vitiat legatum, per *l.* 4 §. 1. *d. statulib.*

2. Ubi plures conditiones eidem legato ex intervallo sunt impositæ, non omnes sed ultima duntaxat spectatur *l.* 87. *& seqq. h. t.* secus ac in heredis institutione, ubi quæ prior exstitit, institutionem facit puram *l.* 17. *d. cond. inst.* hinc legatum in prima parte testamenti pure, dein sub conditione relictum conditionale censetur *l.* 89. *h. t.* heredis institutio pro pura habetur *l.* 27. §. 1. *d. her. inst.*

3. Conditio *non* faciendi, legatum non suspendit, sed petitionem dat continuo, sub cautione Mutianâ à Mutio Scævolâ repertâ *l.* 7. *h. t.* quæ præstatur ei, ad quem, deficiente conditione, legatum pertinet *l.* 18. *h. t.* atque hæc cautio & in institutione locum habet *d. l.* 7. §. 1. estque etiam præstanda heredibus ab intestato, Vide tamen *Nov.* 22. *C.* 43. *&* 44.

4. Imò, generaliter ex justa causâ dabitur judicium de Legato conditionali, ut condemnatio fiat, etiam ante conditionem existentem, si forte testes jam mihi sint, qui tempore conditionis existentis possint non esse; At executio usque ad diem impletæ conditionis differenda est *l.* 40. *ad l. Aquil.*

5. Possunt etiam tacitè adjici conditiones, velut, quando testator legat fructus ex eo fundo nascituros, *l.* 1. §. *f. h. t.* si enim nihil natum fuerit sine facto vel culpâ heredis, nihil debebitur *l.* 73. *d. V. O.* At eo casu Legatum, quod ad transmissionem attinet, conditionale non est, quia conditio non è testamento sed extrinsecus accedit *l.* 99. *h. t.*

6. Si tempus implendæ conditionis non sit adjectum potest eam Legatarius, quandocunque velit, implere *l.* 10. *h.* Cæterum, si non impleat, deficit legatum, ut dixi *ad tit. d. condit. Instit.*

7. Servus

7. Servus recte conditionem sibi impositam implet absque jussu domini, *l.* 5. §. 1. *h.* Imo non, *l.* 25. *d. Cond. inst.*

8. Notandus etiam casus *l.* 72. §. 4. *h. t.* Legatum Sejæ relictum est, sub conditione, si arbitratu Titii nupserit, conditio impleta censetur, *si nupserit Seja*, licet arbitratu Titii neglecto; ne sit in alterius potestate nuptias impedire. Et videtur hæc esse ex earum numero, quæ libertati nocent, *add. l.* 28. *pr. l.* 77. *h. l.* 134. *pr. d. V. O.* de quibus *ad tit. de his quæ pœn.* Tu vide insuper *l.* 22. *h.* eamque concilia cum *l.* 14. *d. Leg.* 3.

9. Diem hæredis institutioni adjici non posse dictum est alias, ex ratione *l.* 7. *d. R. I.* quæ cessat in legatis, adeoque illa diei adjectionem non respuunt *t. h. tit.*

10. Sed dies incertus pro conditione habetur *l.* 75. *h.* nisi præstationi duntaxat apponatur *l.* 26. §. 1. *quan. dies leg. ced. l.* 5. *C. Eod.* nec tantum incertus habetur dies, de quo plane non constat, an & quando sit exstiturus, sed etiam, cum certum est quando, incertum, an sit exstiturus, imo etiam cum certum est, quod sit exstiturus, incertum quando: veluti cum Cajus heres morietur *l.* 4. *pr.* nempe, si legatum alii sit relictum, quia tunc manet incertum, an Cajus, vivo altero, sit moriturus, secundum *l.* 4. *pr. Quand. dies leg. ced.*

11. Quod si hereditas aut legatum alicui relinquatur, cum ipse morietur, hoc purum est *l.* 79. *h.* non obst. *l.* 9. *C. d. Her. inst.* ubi adjectio cum morietur, non ad honoratum, sed ad tertium referri debet, licet aliter Godofr. ad *d. l.* 9.

12. Sequuntur in rubr. demonstrationes & causæ, de quibus dictum satis *ad Inst. de legat. n.* 69. *& seqq.* ut & de modo *n.* 76. *&* 77.

13. Effectus modi est, ut legatarius, antequam accipiat legatum, caveat, se modum esse impleturum, quo non facto, heres, ex vi cautionis repetit, quod illi præstitit *l.* 80. *h.* verum cogi, ut, accepto legato, modum impleat, non potest legatarius neque ab hæ-

ab herede, neque ab eo, in cujus favorem modus est adjectus *l.* 92. *b. l.* 50. §. 1. *d. her. pet.*

14. Sed hodie hi, quibus aliquid sub modo relictum est, quasi ex fideicommisso ad *Modum* implendum conveniri possunt *l.* 2. *C. de his quæ sub mod.* Quin & olim extra ordinem is qui agnoverat legatum compelli potuisse videtur, per *d. l.* 92.

15. Debet autem modus sine dubio præcise impleri, modo per testatoris verba possit; Quid enim, si is jusserit monumentum sibi fieri, ad exemplum ejus, quod est in tali loco, idque sub pœna, ubi nullum reperiatur. Monumentum quidem omnino faciendum est, at si exemplum illud, cujus ideam testator habuit animo conceptam, ignoretur, faciendum est secundum substantiam & dignitatem defuncti *l.* 27. *b. t.*

16. Sic etiam, si modus per Legem civitatis non sit licitus, in alium usum quàm proxime ad voluntatem testatoris accedentem pecunia destinata converti debet *l.* 16. *d. usufr. Legat.*

17. Pari modo Legatum Ecclesiæ relictum sub modo secundum ritus ejus Ecclesiæ prohibito, nihil causæ est, quare non ad alium maximè similem usum legatum sit applicandum.

18. Nec aliud dicendum, si modus initio fuerit licitus, dein reformatione in melius facta illicitus evaserit; Legatum neutiquam intercidit, nec in profanos usus converti potest, verum manet Ecclesiæ in usus pios custodiendum. Hæc accedunt ad τολυθρύλλητον quæstionem, quæ jam consenuit: sunt enim controversiarum, sicut aliarum rerum, certæ incertæve periodi.

TIT. II.

Ad L. Falcid.

Dictum est ad Institutiones. Adde hæc; Ad rationem Quartæ stabiliendam, legata tam ab institutis quam à substitutis heredibus relicta contribuuntur, ita ut si

ut ſi vel pariter dodrantem hereditatis excedant, nec Quartam heredi ſalvam relinquant, Falcidiæ ſubjecta ſint *l.* 11. §. 5. *l.* 79. *b. t.*

2. Quid ſi heres æquivalentem Quartæ ſummam acceperit, legati, fideicommiſſi vel conditionis implendæ cauſa? Tamen gaudet Falcidiâ, quia in hanc imputantur ea duntaxat, quæ jure hereditario ſunt apud heredem *l.* 74. *l.* 91. *b. t.* prælegata tamen coheredibus imputantur, quatenus illa capiunt à ſe *l.* 22. *b.* adde *l.* 83. *l.* 86. *eod.*

3. Legata per hanc legem *ipſo jure* minuuntur *l.* 73. §. *ult. b. t.* ita ut quarta de ſingulis rebus legatis deducenda intelligatur *l.* 49. *eod.* in quantitatibus legatis, velut in pecuniis, diminutio illa fit immediate, in corporibus ſuppoſita æſtimatione *l.* 5. *in pr. d. Impenſ. in rem dot.*

4. In alimentis, in annuis & in uſufr. legato alio modo exploramus, ſitne Legis Falcidiæ locus alio modo hæc ipſa exercetur. Prius ita fit. Ex. gra. Annua decem relicta ſunt juveni; multiplicantur illa *decem* tricies & fit ſors trecentorum: quæ tum legatum fingitur. 75. *l.* 68. *b. t.*

5. Nempe, quia morte finitur annuum & uſusfr. legatum, cumulantur reditus tot annorum, quot legatarius præſumitur victurus, eaque ut ſors habetur, Jam qui non eſt major annis 30. præſumitur victurus adhuc 30. qui eſt major annis 30. ei vita tribuitur ad annos 60. at nunquam pauciores 5. nam & ſexagenariis majoribuſque ſemper adſcribitur quinquennium *d. l.* 68.

6. Poteſt etiam ratione Falcidiæ legatum annuum æſtimari, quatenus vendi queat, ut illa quantitas Legatario data cenſeatur, *l.* 55. *eod.*

7. Vel heres poteſt reditus, ſicut legati ſunt, quotannis præſtare, tantiſper dum nihil amplius de bonis ſupra quartam ſuperſit, & tunc finitur legatum *l.* 47. *b.*

8. Annuo Reip. legato v. gr. *centum*, hi ſumuntur,

tur, ut usura triens, tum heres ponit sortem tali usura convenientem, quæ quasi Reip. legata ceteris legatis contribuitur. Tunc ex ipso annuo eadem pars quotannis deducitur, quæ decederet huic summæ si legata esset, *l.* 3. §. *ult. d. tit.* De servitute vide *l.* 7. *h.*

9. Producta est lex falcidia ad donationes mortis causa *l.* 5. *C. h. t.* & ad eas inter vivos, quæ non valent, nisi morte firmatæ, *l.* 42. §. *ult. d. Donat. m. c.* ut inter conjuges *l.* 12. *C. eod.* etiam ad fideicommissa, quæ ab intestato relinquuntur *l.* 18. *D. eod.*

10. Non tamen ad mortis causa capiones *l.* 38. *eod.* nec ad ea, quibus legatarii gravantur *l.* 47. §. 1. *eod.* solis heredibus & heredum heredibus hoc jus datur *l.* 10. *C. d. tit.*

TIT. III.

Si cui plus quàm per L. Falc.

HEres, qui ignorans vires hereditarias plena legata solvit, laudatur, si acquiescat *l.* 5. §. 15. *d. don. int. V. & U.* si jure velit uti, habet vindicationem rei legatæ pro rata falcidiæ *l.* 26. *ff. ad Leg. Falc.*

2. Prudentius tamen fecerit, si legata soluturus exigat cautionem â legatario, ut si apparuerit, quartam non esse salvam, sive ob æs alienum, sive per plura legata, tum legatarius sibi, quanti res erit, restituat *l.* 1. *pr. &* § 11. *h.*

3. Quod si necdum cuncta legatario præstiterit, habet & exceptionem doli pro quarta retinenda *l.* 16 *pr. d. leg. falc.* quin & ipsa cautio potest condici, si per errorem seu juris sive facti omissa fuerit *l.* 3. §. *ult. h. l.* 1. *pr. Ut in poss. Legat.*

LIB.

LIB. XXXVI.

TIT. I.

Ad Sct. Trebell.

POst particularia tam fideicommissa quam legata, sequuntur universalia fideicommissa, de quibus est Sc. Trebellianum. Nam detractio quartæ de fideicommissis singularibus ad Legem Falcidiam refertur. *arg. l.* 1. *pr. h. t.* quanquam Sc. Pegasianum de his quoque conceptum fuit, ut apparet ex §. *sed quia Inst. de fideicomm. hered. vers. ex singulis & l.* 2. §. 6. *C. de Vet. jur. enulc.*

2. Sanè, cum L. Falcidia rogabatur, fideicommissa vim juris necdum obtinuerant: lata est enim Calvino & Pollione Coss. anno V. C. 714. teste Dione *lib.* 48. anno post primum Aug. consulatum quarto: at fideicommissa lege nulla constituta, verum exemplo Augusti uno alteroque, cum diutius jam imperasset, recepta, paulatimque in jurisdictionem perpetuam conversa sunt, §. 1. *Inst. de fideicom. hered.* adeò ut fideicommissa nunquam fuerint civilia & legitima, sed auctoritate jus dicentium heredes rogata præstare cogebantur, Giphan. *ad d. pr. Inst.*

3. Unde hoc esse videtur, quod per fideicommissum non transfertur dominium *l* 3. *Si usufr. pet.* hoc enim Legis non Prætoris opus est §. 1. *Inst. de bonor. poss.* ut observat idem Giphan.

4. Cæterum, in *Pandectis*, Quarta universalis fideicommissi sæpe *Falcidia* vocatur, *l.* 11. *d. Leg.* 1. *l.* 3. §. 7. *l.* 13. *l.* 14. *D. Leg. Falcid.* §. 3.

Inſt. Quib. mod. teſt. infirm. verb. ut contentus rebus. l. 19. d. bis quæ in fraud. cred. quoniam exemplo *Falcidiæ* fuit introducta *Sc. Pegaſiano.*

5. Imo Trebellianicæ Quartæ, ita ut hic terminus hodie uſurpatur, nulla uſquam in Jure fit mentio. Hodie longè alium ac ab initio fideicommiſſorum uſum eſſe *dix. adpr. I. d. tit.* Trebellianoque hodie Pegaſianum contineri, totamque hujus tit. exegeſin *in parte I. tit* 23. habuimus.

6 Adde, hæc verba, *ſi heres moriatur*, ſimpliciter poſita tam vulgari quam fideicommiſſariæ ſubſtitutioni convenire, diſcrimen in hoc conſiſtit, utrum addatur aliquid, ex quo inter primum & ſecundum heredem aditio ponatur. Ex. gr. *uxor heres eſto, poſt mortem uxoris frater heres eſto*: hæc utrique ſubſtitutioni conveniunt; nihil enim de aditione, ſed; *ab uxore volo bona devolvi ad fratrem, ad proximos*; hoc eſt fideicommiſſum, quia ſupponunt acquiſitionem uxoris præcedentem. *Sand.* 4. 5. 1.

7. Fiduciarius hereditatem reſtituere cogitur *l. 4. h. t.* Quod ſi fiduciarius hereditatem non coactus repudiaverit, proximi à Teſtatore vocantur ab inteſtato, cum onere fideicommiſſi in favorem eorundem, qui prius vocati ſunt *l. 2. §. ult. d. ſuis & legit. hered.*

8. Si vero nec repudiaverit nec ad adeundum remediis prætoriis compelli potuerit, verum celaverit ſe aut mortuus ſit abſque herede & reſtitutione, jus hereditarium actioneſque utiles ſponte tranſeunt in fideicommiſſarium; idemque reſpectu fideicommiſſarii, qui rurſus alii reſtituere debet, *l. pen §. 1. C. ad Sc. Trebellian.*

9. E contrario, ſi fideicommiſſarius tempore diei cedentis non extet aut repudiet, hereditas manet penes fiduciarium aut ejus heredem, niſi alter ſubſtitutum habeat; ſi vero poſt diem cedentem moriatur, fideicommiſſarius tranſmittit fideicommiſſum ad heredem ſuum *l. 11. in fin. d. Leg. 1. l. 25. in pr. l. 56. eod. tit.*

10. Sed quarta ſalvâ, an & heres prælegata portioneſque

neſque ſibi à coherede per fideicommiſſum ejuſdem teſtatoris advolutas reſtituere debet? Ita, ſi reſtituere juſſus eſt, quod ad eum de bonis defuncti pervenit, vel ſimpliciter portionem ſuam; ſecus ſi portionem hereditariam. *l.* 3. §. 4 *l.* 18. §. *ult. ad Sc. Trebell.* Sand. 4. 5. 12. Gail. 2. 135.

11. Pendente conditione adjectâ, bona poſſunt alienari *l.* 48. §. *ult. d. jur. fiſc.* qua exiſtente, revocantur, exceptâ Quarta *l.* 3. §. 3. *d Sc. Trebell.* & dote pro liberis gravatis *Auth. Res quæ C. Comm. de leg. & fideic.*

12. Rogatus reſtituere, quod ex bonis ſuperfuerit, uſque dodrantem alienare poteſt, imo & ultra ob dotem aliamve neceſſitatem *Auth. contra C. de Sc. Trebell.* cum quâ confer. *l.* 54. *b. t.* ubi diminutio imputatur ex æquo bonis fideicommiſſariis, & quæ aliunde poſſeſſor habet. Adde quæ ſcripſimus ad *tit. Quib. alien. lic. vel non. n.* 20.

13. De prohibita, inquam, alienatione per teſtamentum ibi actum eſt, quæ tacitum inducit fideicommiſſum in gratiam eorum, qui ſunt è familia, indiſtincte, ut tamen proximi præferantur *l.* 69. §. 3. *d. Legat.* 2.

14 Scilicet, ſi res extra familiam alienata ſit; quamdiu enim manet in familia, licet ad remotiorem pervenerit, non datur actio *l.* 67. §. 2. *l* 69 *pr. eod.*

15. Quod ſi res non ſimpliciter ſint prohibitæ alienari extra familiam, ſed etiam familiæ relictæ ſint, non poteſt remotior proximo præferri; multo minus, ſi proximi diſerte ſint vocati, ut frequenter uſu venit. *Sand. de prohib. rer. alien. p.* 3. *c.* 6. *n.* 29. *& c.* 5. *n.* 7.

16. Si addatur, id fieri ad tuendum nomen & honorem familiæ, mares præferuntur feminis; alioqui promiſcue gradus ſpectantur. *Sand. ibid. cap.* 3. *& l.* 4. *deciſ. t.* 5. *def.* 8.

17. Propinquitas non ad ultimum poſſeſſorem, ſed ad primum fideicommiſſi conditorem refertur, idque jure repreſentationis; at in ſimplici prohibitione, ne res

Inſt. Quib. mod. teſt. infirm. verb. ut contentus rebus. l. 19. d. his quæ in fraud. cred. quoniam exemplo *Falcidiæ* fuit introducta. *Sc. Pegaſianum.*

5. Imo Trebellianicæ Quartæ, ita ut hic terminus hodie uſurpatur, nulla uſquam in Jure fit mentio. Hodie longè alium ac ab initio fideicommiſſorum uſum eſſe *dix. ad pr. I. d. tit.* Trebellianoque hodie **Pegaſianum** contineri, totamque hujus tit. exegeſin *in parte l. tit* 23. habuimus.

6 Adde, hæc verba, *ſi heres moriatur*, ſimpliciter poſita tam vulgari quam fideicommiſſariæ ſubſtitutioni convenire, diſcrimen in hoc conſiſtit, utrum addatur aliquid, ex quo inter primum & ſecundum heredem aditio ponatur. Ex. gr. *uxor heres eſto, poſt mortem uxoris frater heres eſto*: hæc utrique ſubſtitutioni conveniunt; nihil enim de aditione, ſed; *ab uxore volo bona devolvi ad fratrem, ad proximos*; hoc eſt fideicommiſſum, quia ſupponunt acquiſitionem uxoris præcedentem. *Sand.* 4. 5. 1.

7. Fiduciarius hereditatem reſtituere cogitur *l. 4. h. t.* Quod ſi fiduciarius hereditatem non coactus repudiaverit, proximi à Teſtatore vocantur ab inteſtato, cum onere fideicommiſſi in favorem eorundem, qui prius vocati ſunt *l. 2. §. ult. d. ſuis & legit. hered.*

8. Si vero nec repudiaverit nec ad adeundum remediis prætorſis compelli potuerit, verum celaverit ſe *aut* mortuus ſit abſque herede & reſtitutione, jus hereditarium actioneſque utiles ſponte tranſeunt in fideicommiſſarium; idemque reſpectu fideicommiſſarii, qui rurſus alii reſtituere debet, *l. pen §. 1. C. ad Sc. Trebellian.*

9. E contrario, ſi fideicommiſſarius tempore dicti cedentis non extet aut repudiet, hereditas manet penes fiduciarium aut ejus heredem, niſi alter ſubſtitutum habeat; ſi vero poſt diem cedentem moriatur, fideicommiſſarius tranſmittit fideicommiſſum ad heredem ſuum *l. 11. in fin. d. Leg. 1. l. 25. in pr. l. 56. eod. tit.*

10. Sed quarta ſalvâ, an & heres prælegata portioneſque

nesque ibi à coherede per fideicommissum ejusdem testatoris advolutas restituere debet? Ita, si restituere jussus est, quod ad eum de bonis defuncti pervenit, vel simpliciter portionem suam; secus si portionem hereditariam. *l.* 3. §. 4 *l.* 18. §. *ult. ad Sc. Trebell.* Sand. 4. 5. 12. Gail. 2. 135.

11. Pendente conditione adjectâ, bona possunt alienari *l.* 48. §. *ult. d. jur. fisc.* qua existente, revocantur, exceptâ Quarta *l.* 3. §. 3. *d Sc. Trebell.* & dote pro liberis gravatis *Auth. Res quæ C. Comm. de leg. & fideic.*

12. Rogatus restituere, quod ex bonis superfuerit, usque dodrantem alienare potest, imo & ultra ob dotem aliamve necessitatem *Auth. contra C. de Sc. Trebell.* cum quâ confer. *l.* 54. *h. t.* ubi diminutio imputatur ex æquo bonis fideicommissariis, & quæ aliunde possessor habet. Adde quæ scripsimus ad *tit. Quib. alien. lic. vel non. n.* 20.

13. De prohibita, inquam, alienatione per testamentum ibi actum est, quæ tacitum inducit fideicommissum in gratiam eorum, qui sunt è familia, indistincte, ut tamen proximi præferantur *l.* 69. §. 3. *d. Legat.* 2.

14 Scilicet, si res extra familiam alienata sit; quamdiu enim manet in familia, licet ad remotiorem pervenerit, non datur actio *l.* 67. §. 2. *l* 69 *pr. eod.*

15. Quod si res non simpliciter sint prohibitæ alienari extra familiam, sed etiam familiæ relictæ sint, non potest remotior proximo præferri; multo minus, si proximi diserte sint vocati, ut frequenter usu venit. *Sand. de prohib. rer. alien. p.* 3. *c.* 6. *n.* 29. & *c.* 5. *n.* 7.

16. Si addatur, id fieri ad tuendum nomen & honorem familiæ, mares præferuntur feminis; alioqui promiscue gradus spectantur. *Sand. ibid. cap.* 3. & *l.* 4. *decis. t.* 5. *def.* 8.

17. Propinquitas non ad ultimum possessorem, sed ad primum fideicommissi conditorem refertur, idque jure representationis; at in simplici prohibitione, ne res

vadat extra familiam, magis ultimi poſſeſſoris ratio habetur. *Sanc. l. 4. t. 5. def. 2 6. 7.*

18. Placet ad detegendam hujus rei naturam referre caſus, quibus illa prohibitio ceſſat, quod alibi commode fieri non poteſt. Ceſſat prohibitio, ratione formæ prohibendi. 2. ratione cauſæ alienandi. 3. ratione petitoris, 4. ratione poſſidentis.

19. Ratione formæ prohibendi: I. ſi nudum præceptum, ne res alienetur, ſine mentione cauſæ vel perſonæ, cujus intuitu prohibitio fiat *l.* 114. §. 14. *d. Legat.* 1. *l.* 93. *in pr. legat* 3. II. ſi prohibitio ſit in gratiam certorum hominum, hique jam deceſſerint *l.* 38. §. 2. & 5. *d. legat.* 3. III. ſi temporaria prohibitio ſit atque tempus ſit elapſum *arg.* §. 5. *I. Quib. mod. tut. fin.*

20. Reſpectu cauſæ alienandi, ceſſat prohibitio, quatenus ſolvendum eſt æs alienum defuncti, à quo prohibitio facta eſt, *d. l.* 114. §. 14. per §. *ult. I. de leg. Falcid. l.* 16. *C. eod. l.* 1. *C. debit. vend pign.* II. ob æs alienum poſſeſſoris, dum is vivat, & quatenus ille jus in ea re habeat, ſi aliunde non ſit, unde ſolvi queat *l.* 69. §. 1. *d. legat.* 2. III. ob impenſas in res alias quoque prohibitas neceſſariò faciendas *l.* 53. *d. hered. pet.* IV. Pro quantitate legitimæ, per *Nov.* 18. *c.* 1. & Trebellianicæ, de quâ *inferius.* V. Propter dotes & alimenta liberorum, *Auth. res quæ C. Comm. de legat.*

21. Reſpectu petitoris; I. quod indignus ſit beneficio defuncti, qua de re *ſit ff. de his quæ ut indign.* II. Quod ipſe ſuam partem alienaverit *l.* 11. *C. de Fideic.* III. Quod conſenſerit alienationi *d. l.* 11. *l.* 120. §. 1. *d. legat.* 1. *l. pen.* §. 14. *de legat.* 2 IV. Quod fideicommiſſo renuntiaverit, per *l* 29. *C. d Pact.* V. Si heres ſit venditoris, aut ejus qui venditioni conſenſit *l.* 149. *d. R. V.* Adde Sand. *tract. de prohib. rer. alien. p.* 3. *c.* 8. *n.* 38. & *ſeqq.*

22. Ratione poſſeſſoris, ceſſat effectus prohibitionis; ſi ipſe ex eorum numero ſit, in quorum gratiam prohibitio facta eſt *l.* 38. §. 5. *d. Legat.* 3. II. Si per annos

nos 30. possederit, nam usucapio hic cessat, ut *alias* dictum. *vid. eund. Sand. d. cap.* 8 *n.* 31. *& seqq.*

23. Sunt sané fideicommissa stricta interpretationis, unde, gravatus restituere liberis, non videtur oneratus respectu nepotum; nisi ex aliis testamenti verbis id evincatur. *Sand. l.* 4. *tit.* 5. *def.* 11. licet alioqui sub liberis nepotes contineantur *l.* 220. *d. V. S.* §. *ult. Qui testam. Tut.*

24. Quando quis etiam ordinat fideicommissum in gratiam certorum propinquorum, & subjicit, nolle se ut bona extra sanguinem alienentur, tum hæc verba non inferunt novum fideicommissum, sed tantum pro sanctione præcedentis fideicommissi habentur, nisi perinde contrarium ex aliis dictis colligi possit. *Sand. d. l.* 4. *tit.* 5. *def.* 20.

25. Pactione successoria coheredum posse constitui fideic. particulare, placuit DD contra juris rationem, ut probat Sand. *l.* 4. *t.* 5. *d.* 19. tametsi per modum actus inter vivos aliquid instar fideicommissi possit oriri, si mentio mortis facta sit, ut in *l* 26. *pr. Depos. l.* 77. *d. leg.* 1.

TIT. II.

Quand. dies leg. ced.

Legata pura & vetustissimo & novissimo jure cedunt ex morte testatoris *l.* 5. §. 1. *h. l. un.* §. 1. *& 5. C. d. Cad. toll.* ex quo interpolata est *d. l.* 5. idem est, si ad diem certum, vel sub impossibili conditione sit relictum *d. l.* 5. §. 4.

2. Excipiuntur legata usus fr. & libertatis, ut alias dictum ex *d. l. un.* §. 6. & habitationis *l.* 9. *h.* Denique conditionalia *l.* 4 §. 2. *h.*

3. Effectus hujus rei est, quod legatario ante diem cedentem mortuo, legatum extinguitur, secus ad heredem transmittitur *l.* 4. *pr. l.* 8. 9. 21. 22. 16. §. 1. *h.* ubi & exempla. Tu vide, sis, ad *tit. Inst. de Legat. n.* 78. *& seqq.*

TIT. III.

Ut leg. nom. cav. &c.

HEres cavere debet datis fidejussoribus, se legata vel hereditatem fideicommissariam præstiturum, ubi dies adjecta venerit & conditio exstiterit *l.* 1. *l.* 14. *& pass. h. t.* qualis cautio in omnibus b. f. judiciis ex causa exigi potest *l.* 41, *d. jud.* quin & in puris legatis, si qua mora interveniat, sæpe præstatur *l.* 15. *pr. h.*

2. Debet ab omnibus præstari heredibus, etsi locupletissimis *l.* 1. §. 1. *h.* Pater tamen filio non nisi per hypothecam cavet *l.* 7. *h. t* quæ lenior est quam satisdatio per fidejussorem *l.* 17. §. *ult. d. Test. tut. junct. l. pen.* §. 1. *d Pign.* Excipe Fiscum quoque, *l.* 1. §. 18. *& l.* 6. § 1. *h.*

3. Præstatur ante litem contest. quia prætoria est *l.* 1. §. 9. *h.* cui non obst. *l.* 5 §. 1. *h.* quæ de judicio appellationis loquitur.

TIT. IV.

Ut in possess. leg.

SI heres nolit cavere, mittitur legatarius in possessionem omnium rerum hereditariarum *l.* 13 *h. t.* earum etiam quæ dolo heredis esse desierunt *l.* 8. *h.* quæ non tollitur per *N.* 53. *c.* 4. quia non agit de hac missione, sed de eâ, quæ fit in bona eorum, qui se judicio sistere nolunt.

2. Quid juris tribuat possessio, vid. in *l.* 5. §. 22.

3. Cæterum, executio & distractio non nisi ad quantitatem legati potest fieri *arg. d. N.* 53. *c.* 4.

Pars Sexta Pandect.

LIB. XXXVII.

TIT. I.

De bonor. poſſeſſ.

A Libro XXVIII. cœpit Imperator agere de ſucceſſionibus. Etenim *lib.* 5. propoſuit univerſales in rem actiones, hereditatis petitionem & querelam inofficioſi; ſed cauſam hereditatis non attigit, verum alia actionum genera cauſaſque proſecutus eſt.

2. His abſolutis, ingentem ſucceſſionum materiam, quâ tractatus actionum præcedentium enormiter interruptus fuiſſet, in *lib.* 28. aggreſſus eſt: tam quod ad hereditates quam Legata.

3. Et quidem uſque Librum XXXVI. de ſucceſſione civili actum, quibus fideicommiſſa ſubjunguntur. Nunc Prætoria Succeſſio, quæ nihil eſt aliud quam bonorum poſſeſſio, ſequitur; quemadmodum *lib.* 5. hereditatis petitio poſſeſſoria civilem quoque ſecuta fuit.

4. Definitur bonorum poſſeſſio, quod ſit jus perſequendi retinendique patrimonii ſive rei, quod cujusque cum moritur fuit *l.* 3. §. 2. *h.*

5. Ex eo quod dicitur, *Jus perſequendi*: ſatis intelligitur, poſſeſſionem heic longe aliter accipi, quam infra *tit. de Acquir. poſſ.* Nam illic poſſeſſio nihil eſt aliud quam detentio; at heic etiam qui res non detinet, æque habet bonorum poſſeſſionem, ac is qui rebus incumbit. Adeo in effectu nihil eſt bonorum poſſeſſio quàm hereditas prætoria *l.* 1. & 2. *h. l.* 119 & 138. *d. V. S.*

6. Proin, ut hereditas â rebus hereditariis etiam de

niversis, ita bonorum possessio â patrimonio defuncti distinguitur. Subtilitate tamen juris dicimus, bon. possessionem non tribuere dominium §. 1. *I. h. t.* sed hoc nomine tenus, effectus est idem. *ll. citt. & l.* 3. §. 4. & 8. *h. l.* 2. §. 1. *Quis ordo in bon. poss. serv. l.* 1. §. 7. *d. Succes. Ed.*

7. Non sine emphasi dictum est in definitione, *patrimonii sive Rei.* Patrimonium significat universas res, quomodo agitur adversus eum, qui bona cuncta tenet; Rei vox certorum bonorum licet minimæ rei detentorem significat, adversus quem datur etiam possessoria hereditatis petitio *l.* 9. *& seqq. d. hered. pet. junct. l.* 2. *d. poss. hered. pet.*

8. Clarius bonorum possessionem ab hereditate discernere possis his aut similibus verbis definitioni additis; *Edicto prætoris supplendi juris civilis causâ introductum.* Hic enim est scopus, ut ubi Lex civilis non dat successionem, Prætor eam ex æquitate suppleat, in gratiam illorum, qui licet sanguine propinqui ab Lege XII. tabb. negligebantur in *fin. pr. Inst. h. t.*

9. Eorum, inquam, gratiâ, qui Jure civili erant neglecti; nam quibus Lex prohibebat successionem, his nec Prætor, qui minister legis est, eam decernere poterat *l.* 12. §. 1. *h. t.*

10. Dividitur bonorum possessio in edictalem & decretalem. Illa, quæ ex edicto certis personis de plano datur. Decretalis non tribuit plenum jus, sed est tantum provisionalis, ut ita loquar, qualis Carboniana bonorum possessio, de quâ *infra.*

11. Decretales sunt utique etiam ex Edicto *l.* 2. *l.* 4. *d. Carbon. Ed.* Sed insuper causæ cognitionem requirunt *d. l.* 3. §. 4. & 8 *h. t.* Edictalis tribuit quidem plenum jus, sed sub conditione, si non alius potiori jure superveneri, quo casu bonorum possessio sit sine re & sine effectu, nisi tempus elapsum sit, intra quod bonorum possessio agnosci debet *d. l.* 3. §. 4. *l.* 2. *pr. de bon. poss. sec. tabb.*

12. Di-

12. Dividuntur etiam b. possessiones in ordinarias & Extraordinarias. Hæ bifariam explicantur. Primò ordinaria est, quæ ex Edicto venit. Extraordinaria, quæ ex novis Legibus, prout quæque res incidit, extra ordinem datur §. 3. & 4. *vers. septima Inst. h. t.*

13. Rursus, ordinaria est, quæ aliter Edictalis, Extraordinaria, quæ fit cum causæ cognitione *l.* 3. §. *ult. d. Carbon. Ed. l.* 5. §. 3. *d Legat. præst. l.* 1. §. 4. *Unde Liberi.* Pleræque sequentibus titulis expositæ, sunt Edictales. D. Wissenb. *adh. t th.* 5.

14. Tempus autem petendi est in extraneis centum dierum, in parentibus liberisque anni spatium *l.* 1. §. 12. & *seqq. d. succeff. edict.* extra quam, ubi lex eam prohibet *l.* 12 §. 1. *h.*

TIT. II.

Si tabb. testamenti extabb.

EDictalis sive ordinaria bon: possessio datur vel testato, quando testamentum jure conditum est, vel ab intestato, quando nullum testamentum jure factum exstat.

2. Ad eas, quæ testamento condito dantur, requiritur præcise, ut tabulæ tempore mortis exstiterint *l. an. h.* junctâ *l.* 1. §. 3. *de his quæ test. del.* unde ad nuncupativa testamenta non pertinent hæ bon. possessiones, proprie & instituto primævo, sed tamen postea ad illas quoque translatæ sunt. *l.* 8. §. *ult. d. bon. poss. sec. tab.* Cæterum, quæ testato dantur, sunt vel contra vel secundum *tabulas*, ut *infra.*

TIT. III.

De bon. poss. furioso, infanti &c.

QUi sub curatoribus sunt, petunt per hos bon. possessionem, sic tamen ut eorum negligentia non præjudicet infantibus, furiosis &c. *l.* 1. *in med. h. t.* licet

cet aliter sit scriptum. in *l.* 7 §. *ult. de bon. poss.* si modo recte ibi sit scriptum, vel nisi de præjudicio tutoris aut patris hoc tantum intelligatur. D. Wissenb. *ad tit. præced. th.* 7.

TIT. IV.

De bon. poss. contr. tabb.

COntra tabb. bon. possessio propriè datur liberis emancipatis præteritis *l.* 1. §. 6. sed usus ejus extenditur ad suos *l.* 12. §. 1. *h.* quin & interdum ad institutos: nempe, si unus liberorum sit præteritus *l.* 3. §. 11. *l.* 10. §. *ult. h.*

2. Est quidem ipso jure nullum id testamentum, in quo filius fam. est præteritus *l.* 1. *d. injust. rupt. testam.* sed Prætori nullitas illa non attenditur, quominus testamentum hactenus agnoscat, ut adversus tabulas det bonorum possessionem contra tabulas §. 12. *Inst. de bered. quæ ab intest.* Vigl. *in pr. Inst. de liber. bered. instit. n.* 4.

TIT. V.

De Leg. præst. &c.

LEgata tamen per hanc possessionem evertuntur, exceptis iis, quæ debentur parentibus & liberis, *item* uxori & nurui dotis nomine *l.* 1. *h. t. l.* 1. *C. eod.* fratres & sorores hic non continentur *l.* 3. §. 1. *h.* suus tamen præteritus hoc utens remedio nulla legata præstat, quia Prætor applicando ei suum remedium, conditionem ejus deteriorem facere non vult, quam jure civili erat futura. *l.* 15. *pr. h.*

2. Cum autem bonorum possessio contra tabulas ne jure quidem novo sit abrogata, sed emancipatis præteritis nec hodie aliud remedium detur; sequitur, huic titulo adhuc usum manere suum. *Pac. h.*

TIT.

TIT. VI.

De Collatione.

ADmotis successioni liberis emancipatis, ne hoc suis verteret in injuriam, qui interim cuncta Patri quæsiverant, quæ jam hereditatis partem faciebant; jussit Prætor, ut emancipati suis conferrent ea, quæ parentibus acquisita fuissent, si liberi in potestate mansissent *l.* 1. *pr. h.*

2. Hæc est Collatio, quæ definitur: Commixtio bonorum propriorum cum hereditariis, inter Liberos facta, ut omnia inter sese ex æquo partiantur. Cujac. *parat C. & D h. t.*

3. Igitur non tantum profectitia, sed & adventitia, non tamen castrensia conferebantur *l.* 1. §. 18. & 19 *h. t.* nec ea quæ emancipatis post mortem Patris acquisita sunt, ut relicta testamento *d. l.* 1. §. 19 *h. t.*

4. Postea in adventitiis abolita est collatio; quia patribus dominium desiit acquiri *l. ult. C. h.* adeo, ut nunc fundamentum collationis unicum sit æquitas, quâ id quod ex bonis ejus, cui succedunt, profectum est, singulis liberis (nam inter alios cessat ratio) in calculum hereditariæ portionis cedere debeat, sive sui sint sive emancipati, etiam è feminis descendentes *l.* 4. *l.* 12. *l.* 17. 19. *C. h.*

5. Etiam nepotes ex persona patrum præmortuorum conferunt *l.* 19. *C. h.* etsi non fuerint heredes illorum, quia non possunt recusare onus lucro, quod affectant, incumbens *arg. l.* 149. & *l.* 7. *h. t. Fab.* 2. 3. 17. *in fin.* scilicet, quod hac mente datum est è defuncti bonis, non etiam quod mutui aliove titulo illis creditum fuit; hoc enim est in hereditate, semperque fuit in bonis defuncti, non etiam in bonis debitoris *l.* 49. *d. V. S. junctâ l.* 6. *C. h. t.*

6. Conferuntur, ut dictum, ea, quæ ex defuncti parentis substantia provenerunt, nisi voluntas parentis expressa vel tacita refragetur, ut in rebus à patre filiofam.

fam.) casu, quo donatio illa sit licita, de quo *infra.*) donatis, per *l.* 10. & 16. *C. h.t. l.* 10. *C. fam. erc.* nisi voluerit donator eam conferri; denique nisi reliqui liberi dotem vel donationem propter nuptias conferant, unus nihil ejusmodi, sed donationem simplicem duntaxat acquisiverit, hanc eo casu conferre cogitur *l. pen.* §. 1. *C. h. t.*

7. Obstat *l.* 13. *C. h. t.* quam forte de fundo in dotem vel in peculium dato licet intelligere, vel, ut, *Cujac.* 3. *obs.* 30. succedentes ab intestato liberi donata conferunt, non si e testamento. Tu sequere *d. l. pen.* §. 1. Pac. *h. t.*

8. Idem est de his, quæ expensa sunt in honorem vel nuptias, aut studia *l.* 50. *d. famil. erciſc.* aut redemptionem ab hostibus *l.* 17. *C. d. Poſtlim.* Sed pretium militiæ, quæ transit in heredes, confertur *l. pen. C. h.* Wissenb. *ad h. t. th.* 12. & 14. denique conferuntur ea, quæ in legitimam imputantur, quam regulam convertere non licet *l. penult. C. h. t.*

9. Fit autem collatio non modo ab intestato, sed etiam, ubi ex testamento succeditur. *Auth. ex teſtamento C. h. t.* etiam ubi diverso jure succeditur. *l.* 10. *h. l.* 17. *C. h. t.* prohiberi tamen à defuncto posse non est dubium *l.* 23. §. 1. *fam. erciſc. Nov.* 18. *cap.* 6.

10. Modus conferendi est, ut vel re fiat, vel cautione, vel remissione. Re, cum res aut pecunia repræsentatur *l.* 1. §. 11. *h.* cautione, cum fidejussor *vel* pignus datur *l.* 1. §. 9. Remissione, cum is qui conferre debet, tanto minus ex reliquis bonis capit §. 12. unde colligitur, non præcise res ipsas, sed rem vel æstimationem conferri.

11. Neganti collationem jura quoque & actiones negantur §. 13. *d. l.* 1. attamen negatio collationis non est repudiatio *l.* 8 *h.*

12. Si hereditas solvendo non sit, omniaque in hereditate creditoribus jam cesserint, collatio tamen adhuc fieri debet, nisi qui plus acceperit, successioni in tempore renunciet; *l. pen. & ult. tit. ſequ.*

TIT.

TIT. VII.
De dotis collatione.

NIhil crebrius hodie confertur, quam dos & donatio propter nuptias. *l.* 19. *l. pen.* §. 1. *C. h. t.* olim & adventitia, sed hodie profectitia tantum, id est, quæ ex bonis defuncti Parentis, etiam matris profecta sunt *l. ult. C. d. Collat.* confertur autem quod de dote recuperari potest *l.* 1. §. 6. *h.* quod limitatur *Nov.* 97. *c. ult.* ut si filia majorennis & sui juris virum non excusserit, vel filiafam. partem non monuerit, solidam dotem præstet.

TIT. VIII.
De conjung. cum emanc. lib.

JUre Prætorio filius emancipatus succedebat, & ejus filius in potestate retentus jure civili. Sed ne uni stirpi gemina successio advolveretur, Prætor in tali casu filium emancipatum cum nepote jungebat, ut pro uno fungerentur.

2. Sed cum hodie nepotes, licet sui, ab intestato veniant, post filium, quamvis emancipatum *N.* 118. *c.* 1. nihil opus est hoc remedio.

TIT. IX.
De ventr. in poss. mitt.

VEntre sive filio postumo exheredato, valet testamentum, donec eo nato, per querelam rescindatur §. 2. *in fin. Inst. de Quer. inoff.* Ventre præterito, valet testamentum, donec agnascendo rumpatur. §. 1. *I. de exhered.*

2. Sed interim decernitur ventri præterito bonorum possessio contra tabulas curatorque datur bonis, donec mulier pariat aut abortiat *l.* 1. *pr.* §. 2. & §. 17. *h.* Interim

rimálitur mulier eo modo, qui præscribitur in §. 19. & 20. *add.* §. *pen. ejusd. l.* 1.

3. Aliquando est decretalis hæc bonorum possessio; Si mater negetur uxor esse aut nurus, vel ex defuncto concepisse, quia tunc opus est causæ cognitione *d. l.* 1. §. 14. *& sequ.* Hic titulus hodieque, jure novo, locum habet, ut ex eo quod in pr. diximus, colligitur. Diss. *Corv. h.*

TIT. X.

De Carb. edict.

IMpubes, qui negatur esse filius defuncti, habet decretalem bonorum possessionem ex Carbon: edicto, & si satis dederit jura heredum exercet, usque ad pubertatem, quo tempore quæstio status terminanda est *l.* 1. §. 1. *l.* 5. *pr. & §§. seqq. h.*

2. Aliquando tamen & statim quæstio status *ventilatur l.* 3. §. 5. *h.* si nempe liqueat in favorem pupilli *posse* decidi. Idem est, si mater sola subjecti partus rea postuletur *l.* 1. §. *ult. l.* 3. §. 2. *eod.*

3. Est autem hæc bon. possessio ab intestato & contra tabb. in casu præteritionis *l.* 3. *pr.* quin & scriptis heredibus datur *dd. ll.* si negentur esse filii *d. pr.*

TIT. XI.

De bon. poss. sec. tab.

FUerunt species contra tabulas bonorum possessionis. Sequitur secundum. Etenim scriptis heredibus, qui jure civ. subtilitate aliqua excludebantur, dabat Prætor possessionem secundum tabulas, si modo tabulæ septem testium signa præferrent *l. pen.* §. 2. *h.* nisi ab initio constaret, liberos contra tabb. petere posse *l.* 2. *pr. h.*

2. Utilitatis causa, & quod remedia Prætoria facilioris in foro erant expeditionis & molliora habebantur, extensa fuit hæc possessio ad quoslibet heredes scriptos

l. 8. §.

l. 8. §. *ult. h.* quin & heredibus nuncupativo teſtamento inſtitutis utilis eſt hæc ipſa poſſeſſio *d.* §. *ult.*

3. Non eſt hinc aliena miſſio in poſſeſſionem ex *l.* 3. *C. de Edict. D. Hadr. toll.* quæ datur his, qui tabulas teſtamenti præferunt integras nec vitii manifeſtas; de quo ſuo loco.

TIT. XII.

Si quis â par. manum.

EXpoſitæ ſunt poſſeſſiones contra & ſecundum tabulas. Subjiciuntur appendices duæ, ad contra tabulas una, ad ſecundum, altera pertinens.

2. Pater â filio emancipato (cur hic manumiſſus dicatur rationem dedimus *l.* 1. *Digeſt. c.* 4. §. 3.) præteritus habet bon. poſſeſſionem *l.* 1. *pr. h.* ut & querelam inofficioſi, *d. l.* 1. §. *ult.*

3. Ceſſat hæc bonorum poſſeſſio, ſi pater pro emancipatione pecuniam acceperit, vel vivus â filio legitimam perceperit *d. l.* 1. §. 3. aut miles factus ſit filius §. 4. vel pater coactus emancipaverit *l. ult. h.* §. 1.

4. Cæterum, olim hoc jus ita demum parenti competebat, ſi contracta fiducia emancipaſſet, id eſt, ſi ipſe manumiſiſſet *vid. d. n.* 5.

5. Nam ſi patri fiduciario mancipaſſet, & is manumiſiſſet, certe ipſe pater fiduciarius pro patrono habebatur: ipſi autem patri naturali non dabatur hæc bonorum poſſeſſio, ſed alia, quæ vocabatur, *Unde decem perſonæ. Inſtitut. de bon. poſſ.* §. 1.

6. Verùm hodie ex Juſtiniani conſtitutione, ſublatis veterum ſolennitatibus, & imaginariis venditionibus, & ſublata bonorum poſſeſſione *unde decem perſonæ*, ſemper cenſetur pater emancipaſſe contracta fiducia, & indiſtincte habet jus patroni in bonis liberorum §. 2. *ibid. l. ult. C. de emancip. lib.*

TIT.

TIT. XIII.

De bon. poſſ. ex teſtamento milit.

EX teſtamento militis datur poſſeſſio ſecundum tabb. non contra *l.* 27 §. 2. *d. inoff. teſt.* militibus quoad teſtandi jus æquiparantur remiges, & quicunque in ſolo hoſtili agunt *l. un. h. t.*

TIT. XIV.

De jure patron.

POſt ſucceſſionem ingenuorum ſequitur de ſucceſſione libertinorum, & primo quidem de jure patronatus, in genere, tum de operis, poſtremo de bonis ſive de ſucceſſione eorum. Hic titulus maxime agit de modis acquirendi & amittendi jus Patronatus, quos *inter*, ſi patronus libertum non aluerit *l.* 5 § 1. *h. t.* & exactio juris jurandi illiciti *l.* 24. *d. Bon. lib. Cujac. h.*

TIT. XV.

De obſequ. par. & patron.

LIberi & liberti debent obſequia, id eſt, gratiam & honorem parentibus ac patronis; ideoque famoſam actionem vel exceptionem illis opponere nequeunt *l.* 2 *l.* 5. *h.* neque juramentum calumniæ exigere *l.* 7. §. 3. *h.* cui tamen obſt. *l.* 34. §. 4. *d. jurejur.* niſi pro *neque*, legas, *æque*.

2. Etiam alimenta Patrono debet libertus *l.* 5. §. 18. *d. liber. agnoſc.* Ingratumque patronus in ſervitutem revocare poteſt; non ob quamlibet ingratitudinem, verum ſi patrono delatores ſubmiſerit *l.* 5 *pr. d. jur. Patron.* de quo caſu Sct. Claudii tempore factum, quod in hac *l.* memoratur, teſtis eſt Tacitus *lib.* 13. *annal.* quanquam Suetonius id de ingratis libertis ſimpliciter affirmare videtur in *vit. Claud. c.* 25.

LIB. XXXVIII.

TIT. I.
De Operis Libert.

Operæ sunt diurnum officium *l.* 1. *h.* Dividuntur in artificiales & officiales. Artificiales, quarum præstatio pecuniaria utilitate constat, veluti fabriles *l.* 6. *h.* Officiales ad personam patroni pertinent *l.* 3. §. 1. *h.*

2. Illæ nonnisi promissæ, hæ quoque per se debentur *l.* 26. §. 12. *d. condict. indeb.* nec transeunt ad heredem extraneum, nisi quæ vivo patrono cesserant, hoc est, indictæ vel petitæ fuerant, *l.* 29. Fabriles in quoslibet heredes transeunt *l.* 6. *l. ult. h.*

3. Solebat libertus Patrono præter operas etiam polliceri donum & munus; unde conjunctim *donum*, operas, munus, quæ libertus patrono se præstiturum jurabat *l.* 7. *in pr.*

4. Hoc jusjurandum, ut & dotis dictio referuntur inter species verborum obligationis à Cujacio in *pr. comm. d. V. O.* contra quàm Donell. *pr. ad d. tit. n.* 7. *& seqq.* Esse illas species obligationum, liquet è Cajo *lib.* 2. *Inst. tit.* 9. §. 4. *& seq.* ubi post species quatuor contractuum, hasce duas recenset; esse verborum obligationes non ait idem; at fatendum propius eas accedere ad hasce quàm ad ullam speciem aliam.

5. Cæterum, munus & donum, differunt, ut genus & species. Nam donum est, omnis liberalitas, munus est donum cum causâ, ut putâ natalium, nuptialicium *l.* 194. *d. V. S.* Alias donum est rei majoris, munus in re leviori consistit. Adeoque gradu hæc tria differunt, donum, munus, xenium *l.* 6. *in fin. d. off. procons.*

TIT. II.
De bon. libert.

SUccessio patronorum jure noviſſimo hæc fuit: Liberto minus centum aureos habenti patronus teſtato non ſuccedebat; inteſtato & ſine liberis mortuo ex asſe ſuccedebat per bonorum poſſeſſionem, unde Legitimi: majori centenario liberos habenti prorſus non, prolem carentibus inteſtatis in ſolidum ſuccedebat; teſtatis quanquam præteritus olim in ſemiſſem, hodie in trientem remedio bonorum poſſeſſionis contrà tabulas *tit. I. de Succeſſ. libert.*

TIT. III.
De Libert. Univerſ.

QUod juris eſt in libertis privatorum, idem exercent univerſitates in ſuos libertos. Habentque bonorum poſſeſſionem contra tabulas. Et hinc notandum; Univerſitates regulariter eódem jure uti, quo privati utuntur.

TIT. IV.
De adſign. libert.

IUs patroni tranſit æqualiter ad liberos heredes; *niſi* uni ex illis libertum adſignaverit Pater, quod poteſt pro arbitrio, ſive teſtamento, ſeu aliis quibuſcunque verbis; modo is, cui adſignatur, in poteſtate ſit *l.* 13. §. 1. *h.*

2. Quod ſi quis ex pluribus filiis in poteſtate *retentis* uni, ſimulque filio emancipato libertum ad*ſignaverit*, emancipatus per fratrem integri juris, cui junctus eſt, beneficio adſignationis fruetur. *l.* 9. *h. t.* Sæpe alias hoc fit, ut quod quis à ſe non habet, per alium adipiſcatur.

TIT.

TIT. V.

Si quid in fraud. patr.

SI patronus legitimam partem ex bonis liberti testati consequi nequeat, habet actionem Favianam; si intestati, Calvisianam; quibus revocat ea, quæ in fraudem portionis suæ legitimæ sunt alienata dolo malo inter vivos, aut m. c. simpliciter *l.* 1. §. 1. excipe in filium, §. 2. item excepta dote filiæ data *d. l.* 1. §. 10. *b.* & quidem hæ actiones sunt personales *l.* 1. §. 26. *l.* 3. §. 3. *b.*

TIT. VI.

Si tabb. testamenti nullæ extab. Und. lib.

FUerunt ita cunctæ possessiones, quæ testamento facto competebant. Ab intestato bonorum possessiones olim erant octo. Ex quibus in pandectas quatuor sunt relatæ, cæteris abolitis, de quibus vid. *tit. Inst. de heredit. ab intest. & de bon. poss.*

2. Prima in pandectis est unde liberi, quæ olim pro emancipatis, qui Lege XII. Tabb. non vocabantur, introducta; dein ad suos producta fuit, utilitate potius forensi quam necessitate, cum hi & jure civili fuerint heredes §. 1. *I. d. Success. ab intest. pr. I. de bon. poss. l.* 1. §. 9. *b. t.*

TIT. VII.

Unde Legitimi.

BOnorum possessio altera est, unde legitimi, per quam vocabantur omnes, qui ab intestato Lege XII. Tabb. poterant esse heredes; maxime vero Agnati *l.* 2. §. *ult. ff. unde leg.*

2. Quid autem opus fuit illis Edicto, quos Lex vocabat? Vix dixerim; nisi quod Prætor illos voluit

inſertos inter ſuos atque cognatos, quibus Edicto neceſſe erat ſuccurri. At ſi immediate ſuis fuiſſent ſubjuncti, Prætor viſus fuiſſet excludere velle agnatos.

TIT. VIII.
Unde cognati.

TErtia bonorum poſſeſſio ab Inteſtato eſt, Unde cognati, qua admittuntur hi, qui jure civili non admittebantur, juncti ſcil. per fœminas *l. 2. pr. Und. cogn.* & conjuncti per maſculos, quorum agnatio per capitis diminutionem ſublata erat §. 1. *Inſt. de ſucceſſ. cognat.*

TIT. IX
De Succeſſorio Edicto.

CUm defunctus diverſorum ordinum conjunctos reliquerat, primum jus dabatur liberis, tum agnatis; tertio cognatis, poſtremo conjugibus. Ita ut, ſi primus ordo non peteret vel excluderetur, tunc ſecundus ordo *l. 1. pr. §. 8. & 11. d. Succ.*

2. Si quis liberorum intra annum non petat, portio non petentis accreſcit reliquis ejuſdem gradus. Idem eſt, ſi quis cognatorum non petat, adeo, ut ad ſequentem gradum non perveniat ſucceſſio, quamdiu unus ex priore gradu adhuc petere poteſt *d. l. 1. §. 8. 10. & 11.*

TIT. X.
De Gradib. & Affinib.

DE gradibus & affinibus, eorumque computatione dictum eſt ad *tit. Inſt. de Nupt.* Nomina cunctorum affinium atque cognatorum peti poſſunt ex *l. 10. §. 12. & ſeq. h. t.*

2. At Canoniſtæ triplex genus adfinitatis habent, prout

prout una & altera persona affinibus additur; ita ut uxoris meæ frater sit mihi primo genere adfinis, ejus uxor altero, hujus dein maritus tertio. Nimia & inutilis subtilitas! utilitatis tamen causa reperta. vid. Wesemb. ad *tit. ff. degrad. & adfin. n. ult.* ibique Bachov.

TIT. XI
Unde Vir & Ux.

DEficiente omni sanguinis lineâ, legitima & naturali, Prætor olim, ex præsumptâ defuncti voluntate & æquitate manifestâ, conjuges admittebat in solidum, idque recentiori jure confirmatum *l. 1. C. Unde Vir. & uxor.*

2. Neque id à Justiniano mutatum est; Generalis enim abrogatio legum vetustarum, de qua est in *pr. d. N.* 118. loquitur de tribus succedentium ordinibus, non de conjugibus neque de fisco. Disl. *Corvin. h.*

3. Cum autem vir & uxor jure civili, consensu fiant, non videtur copula carnalis, ut huic beneficio locus fiat, esse necessaria, argumento insuper ex *l. 15. d. C. & D.* suffragante.

4 Quanquam de lucro dotis vi statuti vel pacti conjugibus competente aliter disputari potest, ut facit Bronchorst. *l. 1. miscell.* 98. Gail. 2. *observ.* 79. Mynf. 5. *obs.* 99. quippe dotis lucrum respectu matrimonii secuturi & implendi conceditur, at hæc successio ex solo affectu defuncti proficiscitur.

5. Cæterum, præter quatuor bonorum possessiones ab intestato, quas habuimus, erant olim adhuc aliæ quatuor, I. *unde decem personæ*; quæ pro illis erat qui præferebantur patri fiduciario sive imaginario, cui naturalis Pater fine pacto fiduciæ filium mancipaverat: decem isti enumerantur in §. 1. *Inst. de Bon. pos.* II. *Tanquam ex familiâ.* III. *Pro Patronis.* IV. *Pro cognatis manumissoris*, sive imaginarii emptoris illius. Quæ jure novo

abolitæ ne quidem in Pandectis, ut videmus, relatæ ſunt. *vid.* §. 3. & 4. *Inſt. de bon. poſſ.*

TIT. XII.

De Veteranorum & militum ſucceſſione.

SPeciale in milite eſt, quod ſi capitali pœna ex delicto militari damnatus ſit, ex ejus teſtamento peti poſſit bonorum poſſeſſio ſecundum tabulas: & ab inteſtato ei ſuccedat legitimus hæres, vel proximus cognatus, uſque ad quintum gradum, eoque deficiente, fiſcus. Milite non damnato, ab inteſtato ſuccedunt cognati uſque 6. vel 7. gradum & poſt eos Legio *l.* 2. *C. de hered. decur.* quæ ſic capienda. D. Wiſenbach. *h. t.*

TIT. XIII.

Quibus non competit bonorum poſſeſſio.

NOn competit bonorum poſſeſſio ei, qui renuntiavit, qui tempore excluſus, qui prohibendo defunctum, ne teſtamentum mutaret, ſe indignum hereditate reddit *l. un. hic.* cui lex hereditatem deferri vetat *l.* 12. §. 1. *d. bonor. poſſ.*

TIT. XIV.

Ut ex legibus Senatuſve conſultis bonorum poſ.

PRætor bonorum poſſeſſionem iis pollicetur, quibus ut detur, lege, vel SCto, vel conſtitutione comprehenſum eſt. *l un. hic.*

2. Quæ extraordinaria dicitur: quia neque bonorum poſſeſſionibus, quæ ab inteſtato veniunt, neque iis quæ ex teſtamento ſunt, connumeratur. §. *ſeptim. Inſt. de bon. poſſ.*

3. Requiſita hujus bonorum poſſeſſionis duo ſunt.

1. ut

1. ut ſit Lex aliqua nova, per quam deferatur; alterum, ut Lex nominatim ſive ſpecialiter eam deferat *l. unic. in pr. & §. 2. h. t.*

4. Quid autem; an lex dat bonorum poſſeſſionem, quæ alioqui ſemper eſt Prætoria? Sic eſt; nihil vetat, Legi Prætorem quoque ſuccurrere; cujus ſane miniſterium in hac ipsâ bonor. poſſeſſione requirit. Ideoque & Prætor eam, etſi à Lege datam, pollicetur in Edicto ſuo §. 3. *verſ. ſeptima Inſt. d. bonor. poſſ.*

TIT. XV.

Quis ordo in bonor. poſſ. ſervet.

ORdo omnium bonorum poſſeſſionum hic eſt; Primo dantur ex Teſtamento; ibique primo contra tabb. dein ſecundum, Poſtea ab inteſtato, Liberi, Legitimi, Cognati, Conjuges; ordine, quo Rubricas habuimus *ſupra*; vocantur.

TIT. XVI.

De ſuis & Legitimis hered.

POſtremo ſubjungitur ſucceſſio civilis ab inteſtato ex L. XII. Tabb. Quæ primo vocabat ſuos, de quibus ſatis dictum ad §. *ult. Inſt. de hered qualit. & alibi.*

2. Heredes Legitimi ſunt vel ex lege XII. tabularum, vel ex jure novo. Ex lege XII. tabularum vocantur proximi adgnati. *Princ. Inſt. de legit. adgnat. ſucceſſ.* inter quos ex Anaſtaſii conſtitutione collocantur fratres & ſorores emancipati. *l. 4. C. de legit. tut. & Inſt. de ſucceſſ. cognat. §. 1.* ex Juſtiniani conſtitutione filii ſororum. *l. pen. C. de legit. her. §. 4. Inſt. de legit. adgn. ſucceſſ.*

3. Ex eadem lege XII. tabularum patroni, vel eorum liberi ſuccedunt libertis. *pr. Inſt. de ſucceſſ. libert.* Tertio, ex ejuſdem legis mente & interpretatione parentes ſuccedunt liberis, quos emanciparunt. §. *ult. Inſt. de legit. adgn. ſucceſſ.*

4. Hodie constat, longe alium esse ordinem succedendi ab intest. de quo in parte I. fuse diximus.

5. Inter omissa notandum; Non diximus ibi, de successione collateralium extra justas nuptias, quorum jus sane quoque exiguum est.

6. Adoptivi ab aliquo adscendentium adoptari succedunt invicem haud dubie, ab extraneo adoptati nullo modo *l.* 10 §. 1. *in fin. C. de Adoption.*

7. Huc etiam pertinet unio prolium.

8. Accidit aliquando, ut liberi è diversis matrimoniis utrique conjugum promiscue succedant per unionem prolium, quæ dicitur, & definitur; pactio conjugum de successione promiscua liberorum, quos habent è diversis matrimoniis, auctoritate Magistratus præsentibus his, quorum interest, inita, per quam privigni jus naturalium in succedendo adipiscuntur.

9. Sed hujusmodi pacta jure civili valere non possunt, quia pactis hereditas non datur *l.* 15. & *l.* 19 *C. de Pact.* nisi unio prolium fiat super jure filiationis perque modum adoptionis, *l.* 32. *d. Adopt.* ut tum successio *quasi* pro sequela habeatur, ut vult Jac. Rick. *tract. de unione prol. c.* 3. *n.* 6. qui tamen eam definit per solam conventionem de succedendo *c.* 1 *n.* 8.

10. Naturales, qui per matrem solam junguntur, succedunt invicem, quia respectu matris nihil differunt à legitimis, ut diximus ad *d. Nov.* 118. *pos.* 18. de spuriis idem sub limitatione *posit.* 19. *ibid.* de reliquis nefariis idem heic puta, quod dix. *ibid. posit.* 21. Adde Rittershus. ad Nov. *part.* 7. C. 15. *n.* 1. & *seqq.*

TIT. XVII.

Ad S. C. Tertullianum & Orphytianum.

Lex XII. Tab. nullum jus capiendæ hæreditatis matri liberisque invicem dedit; quia nulla agnatione junguntur. Sed ab Hadr. SCto Tertulliano cautum est, ut mater ingenua trium liberorum jus habens, liber-

libertina quatuor, ad liberorum inteſtatorum bona admittatur.

3. Rurſus ex SC. Orphytiano (D. Marci tempore) filii & filiæ matri ſuccedunt: & ex conſtitutionibus Principum nepotes & neptes aviæ, etiam vulgo quæſiti. *tit Inſt. d. Sc. Tertull. & Orphyt.*

LIB. XXXIX.

TIT. I.

De operis novi Nuntiatione

POſtquam Imperator de Succeſſionibus teſtamentariis & ab inteſtato, univerſis & ſingularibus fat prolixè egit, nunc tranſit ad alia remedia; prout in Edicto perpetuo occurrebant. Et primo quidem eſt actio, quæ datur ex Nuntiatione novi operis.

2. Eſt autem Nuntiatio Operis novi, nihil aliud quam legitima prohibitio facta ædificanti, ut ab opere cœpta deſiſtat, donec ſatisdet vel remiſſio fiat *l.* 1. *pr. l.* 8. § 4. *l.* 20. *pr. &* §. 1. *h. t.*

3. Eſtque vel Publica vel Privata *d. l.* 1. §. 16. & 19. *h. t.* Publica, datur cuilibet civium, juris publici tuendi cauſſa *l.* 3. §. *ult. l.* 1. §. 17. *l.* 5. §. 9. *h. t.* Privata eſt, quæ datur ei, ad quem res pertinet, juris ſui conſervandi, aut damni depellendi cauſa *l.* 1. §. 19. *h. t.*

4. Jus nuntiandi in publica cauſa habent omnes cives. In privata, nuntiandi jus datur ob dominium vel ſervitutem, *l. un.* §. 3. *d. Remiſſ.*

5. Datur & Superficiario, emphyteutæ *l.* 3. §. 3. *h. l.* 16. *d ſervit. l.* 1. *in fin. ſi ager. vectig.* ut & Vaſallo 2. *Feud.* 8. *pr. verſ. autem.* nec non Creditori; qui pignori fundum accepit *d. l.* 16. *de ſervit. l.* 9. *h. l. un.* §. *ult. de Remiſſ.* Socio quoque *l.* 3. §. 1. *h.* Fructuarius non

nisi procuratorio nomine loco domini nuntiat *l.* 1. §. *ult.* non contra dominum, *l.* 2. *h.*

6. Sed an ob quaslibet servitutes nuntiare licet? Non nisi ob prædiales, quæ hoc nomen stricte sibi vendicant §. 9. *Inst. de Legat. junct. d. l. un.* §. 3. *de Remissionibus.* Imo qui habet viæ servitutem nuntiare nequit *l.* 14. *h.* Resp. is qui viam habet, domino ibi nuntisvit. *arg. d. l. un.* §. 4.

7. Tutores & Curatores posse non est dubium, propter *l.* 7. §. 1. *h.* servus non potest *l.* 5. §. 1. nec Inquilinus aut colonus *l.* 3. §. 3. *h.* nisi utiliter, locatoris absentis nomine *arg. l.* 11. *pr. l.* 13. §. 6. *Locat. l.* 18. §. 1. *de Judiciis.*

8. Quod ad Personam Nuntiatam, non requiritur, ut soli domino fiat, sed sufficit ei factam esse, qui in re præsenti opereque, nomine domini invenitur, veluti Servo, Mulieri, Puero, Puellæ, Fabro, Opifici similibusque *l.* 5. §. 1. 2. modo talis sit, qui intelligat *l.* 11. *h.* ut domino possit renuntiare *l.* 5. §. 3. *h. t.* tametsi dominus ille sit furiosus aut infans *l.* 10. & 11. vel absens *l.* 1. §. 5. *h.* quin ipsi domino extra opus non recte fit *d. l.* 5. §. 4.

9. Hoc ideo, quia in rem fit *l.* 10. *l.* 18 *h.* & dominus sibi imputare debet, si damno afficiatur, quod de jure suo necdum certus ædificaverit, hominesque negligentes operi adhibuerit *arg.* §. 3. *in fin. Inst. Quib. mod. re contrab. oblig. l.* 7. *pr. Naut. Caup. Stab.*

10. Materia Nuntiationis, sunt Opera incerta & imperfecta *l.* 1. §. 1. *h.* non quæ reficiuntur *l.* 1. §. 13. *h.* non præterita, (de iis enim datur interdictum quod vi aut clam) sed futura, quæ nondum facta sunt *l.* 1. §. 1. *h.* sive inchoata sive nondum cœpta, de quibus tamen suspicio non vana sit, ædificatum iri. *Schotan. in exam. ad h. t. arg. l.* 1. §. 8. *l.* 20. § 2. *h. l.* 15. *h. t.*

11. Modi nuntiandi sunt tres omnino, 1. per Prætorem, cum is, qui vult nuntiare, implorat officium Prætoris, ut ipse per apparitorem prohibeat. 2. per manum, sive per jactum lapilli, & 3. verbis, quæ est nuntiatio in specie dicta *l.* 5. §. 10. *h.*

12. Per

2. Per Manum facta videtur, cum quis manum opponit operi, ac lapillum ex ipso opere vel aliunde sumptum, jactat in opus controversum, prohibendi gratia *l.* 20. §. 1. *quod vi aut clam. d. l.* 5. §. 10.

13. Nuntiatio in specie dicta constat nudis tantum verbis, neque interest, quibus, modo claris, quæ in se prohibitionis vim contineant *d. l.* 5. §. 10. *b.*

14. Hoc autem interest, Nuntiatio simplex adversarium, cui nuntiaverimus, facit possessorem, reliquæ tuentur nobis possessionem *d. l.* 5 §. 10. itaque, si in suo nuntiatus aliquid facit, quod nobis noceat, simplici Nuntiatione prohibendus est; quod si in nostro, vel per Prætorem, vel per Manum fieri præstat. *d* §. 10.

15. Præterea, qui suo nomine nuntiant, jurant, se non calumniæ causa opus nuntiare, hocque juramentum iis, Prætore auctore, defertur *l.* 5. §. 14. *b.* qui alieno numine nuntiant, satisdant rem ratam Dominum habiturum, etiamsi veri sint procuratores *l.* 5. §. 18. *b.* non non tamen si sint certi; tales enim satisdare non coguntur. *l.* 65. *de procur. l.* 1. *C. eod.* §. 3. *Inst. de satisd.*

16. Nuntians Recte facier, ut constet quid post Nuntiationem sit factum, si opus præsens in testationem referat, *l.* 8. §. 5. *b.*

17. Denique omnibus diebus fieri potest Nuntiatio *l.* 1. §. 4. *b.* tam fastis, quam nefastis non tamen die dominico, per *l. ult. C. de Fer.*

18. Effectus Nuntiationis rite factæ est, quod nuntiatus, seu jure sive non jure ædificet, statim post Nuntiationem abstinere debet ab opere faciendo *l.* 8. §. 4. *b.* alioqui restituere, hoc est, demoliri debet quod factum est *l.* 20. §. 1. *b.* & si in nostro aliquid facere perseveret, interdicto quod vi aut clam, vel uti possidetis prohiberi potest *l.* 5. §. 10. *b.* nisi mora vel dilatio periculum allatura sit, vel publica necessitas opus fieri postulet *l.* 5. §. 12. *b.*

19. Tollitur Nunciatio, per Remissionem, cautionem, conventionem, alienationem, mortem.

20. Re-

20. Remiſſio fit à Prætore, cauſa cognitâ, per interdictum *l. un. d. Remiſſ. l. 5. §. 16. in fin. h.* lite ſuper eo cis trimeſtre terminanda *l. un. C. de Novi op. nunc.*

21. Cautio fit per fidejuſſores aut repromiſſione, ſi poſſeſſor immobilium ſit *l 5. §. 17.* aut ſi privatus in cauſâ publica nuntiet. *l. 8. §. 3. h.*

22. Cavet autem is, cui nuntiatum eſt, ſe reſtituturum opus, ſi dein conſtiterit, ſibi non eſſe jus ædificandi *d. l. un. C. h. t.*

23. Partium conventione tollitur, quum poſt Nuntiationem paciſcor cum adverſario, ut liceat mihi opus inſtitutum perficere, *l. 1. §. 10. h.* cujuſmodi pacto non tollitur Nuntiatio publica *arg. l. 7. §. 14. de Pact.*

24 Præterea Nuntiatio tollitur morte Nuntiantis, vel Rei alienatione, quia morte & alienatione finitur jus prohibentis *l. 8. §. 6. h.*

25. Rurſus, morte vel alienatione Nuntiati non tollitur *d. l. 8. f.*

26. Præter interdictum de Remiſſionibus, de quo *ſupra*, datur reſtitutorium; quod perpetuo datur Nuntianti, ejuſque hæredi & ſucceſſoribus cæteris *l. 20. §. 6.* adverſus eum, qui opus fecit, vel factum ratum habuit, ejuſque hæredem ac ſucceſſorem *§. 7.* ad reſtituendum id quod factum eſt, poſt Nuntiationem *l. 20. pr. & §. 11. h.*

27. Hoc tamen diſcrimine; ſucceſſores tantum patientiam demoliendi præſtant, in pœnam non ſuccedunt *l. 22. & ult. h. t. l. 3. §. 23. de Alienat. jud. mut. cauſ.* Nuntiatus ipſe etiam ſuis ſumptibus cogitur reſtituere *l. 20. pr. §. 1. & 3. h.* vel tantam pecuniam, quanti res eſt, volenti dabit petitori *l. 21. §. 4. h.*

28. Tertium eſt interdictum prohibitorium, ne vis fiat ei, qui ſatis dedit, vel paratus eſt ſatis dare, & datur hæredi ceteriſque ſucceſſoribus, etiam poſt annum *l. 20. §. 9. 12. 13. 16.*

TIT.

TIT. II.

De damno infecto, & de suggrundis, & projectionibus.

DAmnum infectum, est damnum nondum factum, sed quod futurum veremur. *l.* 2. *hic.* Qui damnum ab ædibus vicini ruinosis metuit, petere ab eo potest, ut sibi eo nomine caveat: modo se non calumniæ causa id petere juret. *l.* 7. *in pr. h.*

2. Eo ita, ut oportet, non cavente, Prætor adversarium ejus in possessionem ex primo decreto mittit; per contumaciam perseverante, etiam possidere secundo decreto jubet *l.* 7. *hic.*

3. Missus ex primo decreto, in possessione tantum est custodiæ causâ *l.* 3. §. *ult. d. Acquir. poss.* Ex secundo decreto missus pro domino possidet, imo dominus constitui dicitur *l.* 15. §. 16. & rem vindicare potest *l.* 7. §. 9. *comm. div.* Denique, hæc missio dicitur alienatio non voluntaria *l.* 1. *pr. d. fund. dot.*

4. Contra, per longi temporis possessionem acquiri hoc casu dominium, scriptum est in *l.* 5. *pr. l.* 15. §. 6. *h.* *Ex l.* 12. discimus, eum qui missus est ex secundo decreto, comparari cum creditoribus. adde *l.* 15. §. 26. Unde liquet, verum & irrevocabile dominium, non nisi post longi temporis possessionem acquiri; quanquam aliqui effectus dominii, respectu tertii, ex secundo decreto proficiscuntur.

5. Datur & actio in factum, quæ perpetua est *l.* 17. §. 3. *hic.* de damno jam dato, si missus in possessionem non fuerit admissus *l.* 15. §. *f. d. l.* 17. §. 3. *add. l.* 6. *h.*

6. Cessat actio damni infecti; quotiescunque aliâ actione damnum datum sarciri potest. *l.* 32. *sub fin. hic.* si quis in suo quid jure suo faciat. *l.* 24. §. *ult. l. l.* 26. *hic.* si vitium sit naturale, aut vi ventorum contingens. *d. l.* 24. §. 2. §. 3. 4. 5. §. 9. §. 10. *l.* 43. *hic.*

7. Cautione prius non interpositâ, dominus ædium de dam-

damno ruina dato non tenetur, nec quidem cogi potest, ut rudera tollat, si omnia pro derelicto habeat *l. 6. h. t.*

8. Moribus hodiernis hoc remedium exoleviſſe & in ejus locum manus injectionem atque ſequeſtrationem bonorum ſucceſſiſſe volunt A. Matth. *lib. 1. de Auction. c. 5. n. 9. & c. 19. n. 60.* Apud nos minus quidem uſitatum, haud tamen abrogatum cenſeo.

9. In rubrica eſt etiam de ſuggrundis & de protectionibus, de quibus dix. *ad tit. d. ſervit. urb. præd.* forte ideo, quia maximus damni infecti metus eſt ab ejuſmodi prominentiis.

TIT. III.

De aqua & aqua pluvia &c.

HÆc actio datur domino fundi, qui ex opere manu facto in vicini fundo metuit damnum ex aqua pluvia, adverſus dominum loci, in quo factum eſt, in id, ut opus reſtituat, hoc eſt, tollat quod factum eſt *l. 1. pr. & §. 2. h.* quæ perſonalis actio eſt *l. 6. §. 5. h.*

2. Et quidem, ſuis impenſis, ſi illud fecit, aut facere curavit: impenſis actoris, ſi nulla ſit in culpa, *l. 11. §. 2. §. fin. l. 12. eod.* una cum damno & intereſſe, quod eâ occaſione poſt litem conteſtatam accidit *l. 11. §. 2. l. 14. §. 2. hic. & Cujac. in par. eod.*

3. Si aqua de cœlo non veniat, interdicto *quod vi* aut clam agendum *l. 3. §. 1. h. junc. l. 5.* ubi & colonus eodem remedio tenetur; interdictum enim iſtud utile eſt, ubi termini hujus actionis deficiunt. Sic & fructuariis idem datur, aut etiam utilis hæc ipſa actio, ſi, quod vi aut clam minus conveniat. *l. 22. pr. h.*

4. Ceſſat hæc actio ſi opus publicè ſit factum *l. 2. §. 3.* ſi ad fructus colligendos *l. 1. §. 3. & 7.* ſi viſervitutis ſit ſtructum *l. 2. §. ult.* quo pertinet, ſi à tempore immemoriali opus fecerit *d. l. 2. §. 3.* De aqua vide *l. 8. & l. 18. h.*

TIT.

TIT. IV.

De Public. & vectig. & commiſſ.

SI quid publicani, hoc eſt, vectigalium Conductores per vim exegerint illicitè, in quadruplum, ſi ſine vi, in duplum tenentur, & extra ordinem plectuntur *l.* 1. *l.* 9 §. 5. quæ actio talis eſt, ut reſtituendo ante litem conteſtatam publicanus pœnam evitare poſſit *l.* 1. §. 4. *l.* 5. *b.* niſi actione de vi bon. Rapt. Conveniatur, quæ ſimpliciter in quadruplum eſt *l.* 1. §. 4.

2. Opus autem fuit hoc ſpeciali Edicto propter impudentiam & audaciam publicanorum *l.* 12. *b. t.* quam efficaciſſimè deſcribit Suidas, cum tribuit illis, *πεπαῤῥησιασμένην βίαν, ἀνεπετίμητον ἁρπαγήν, ἀνάισχυντον πλεονεξίαν, πραγμάτειαν λόγου μὴ ἔχουσαν, ἀναιδῆ ἐμπορίαν*: quæ latinis paribus verbis reddere deſpero. placent autem, quia video & aliis rebus hominibuſque applicari poſſe.

3. Hæc eſt prima pars rubr. Altera eſt de vectigalibus, quæ proprie ſunt præſtationes impoſitæ rebus, quæ invehuntur & evehuntur, & hic ſenſus eſt hujus loci. *l.* 16. §. 7. *b.* Generalius alioqui quælibet præſtationes, etiam tributa ſub illis comprehenduntur.

4. Nemini vectigalia quam Principis juſſu conſtituere licet *l.* 10. *b.* Conduci poſſunt ab omnibus, etiam à mulieribus *l.* 47. *d. jur. fiſ.* etiam à filiof. *l.* 3. §. 1. *d. SC. Maced.* non à debitoribus fiſci aut reip. *l.* 9. §. 3.

5. Præſtantur vectigalia non propter omnes res, ſed de quibus id eſt expreſſum, quas vide *l.* 16. §. 7. Res neceſſarii uſus, vel victus cauſa paratæ ſunt immunes *l.* 6. *C. d. vectig.* (quantum hinc abeſt ſeculi noſtri intemperies!)

6. Immunis nemo eſt, niſi Fiſcus *l.* 9. §. *ult.* exercitus §. *pen. ibid.* & præſides Provinciarum, de his quæ ad ipſorum uſus ſunt neceſſaria; ſic tamen, ut manu ſuâ publicanis indicare debeant, quid acceperint *l.* 4. § 1. *b. t.* quo modo & olim Immunitas hujus Academiæ Franequeranæ exercebatur. 7. Ter-

7. Tertia pars est de commissis, hoc est, de mercibus, quæ ob fraudati vectigalis crimen publicantur, cedunt enim fisco. *l.* 11. § 2. *h.* vel eis qui jus fisci jure conductionis habent, ut publicanis *l.* 11. *C. d. Vectig.* Proin hæc minime sit ἀυτονομία, ut velle videtur D. Wissenb. ad *h. t. th.* 22. *in fin.*

8. Neque tantum merces committuntur, sed & navis & quæcunque in ea continentur, licita cum illicitis *l.* 11. §. 2. *h. l.* 3. *C. d. naut. fœn.*

9. Ignorantia vel error à commisso non excusat; ut tamen si probabilis sit error, duplo vectigalis defungi possint *l. ult.* §. 10. *h.*

10. Minoribus 25. annis errantibus ignoscendum §. 9. *ibid.* qui vero merces professus est sed vectigal non solvit, is est liber a pœnâ §. 12.

11. Actio de commisso datur & in heredes, non quod pœna heredes affligat, sed quia defunctus dominium vivus jam amiserat; quod proinde ab herede per se avocari potest *l.* 14. *h.* ipsum vero crimen fraudati vectigalis & pœna non transit ad heredes *l. ult.* §. *pen. h. conf. l.* 8. *pr.*

12. Heres quoque publicani non aliter quàm locupletior factus tenetur *l.* 4. *pr.* Et plures publicani, seu plures qui professi non sunt, singuli pro partibus tenentur *l.* 6. *h. l.* 46. §. *ult. d. jur. fisc.*

TIT. V.

De Donationibus.

DOnationis quoque caput heic, in loco solo statuerunt Πανδεκτοποιοί, quia nec contractus erat donatio inter vivos, ut dix. *ad. tit. I. donat. in pr.* nec donatio mortis causâ, quæ nec ad Testamentum proprie pertinebat, ut probavimus ad *tit. Inst. de Testam. ordin. n.* 2 reliqua vide ad *d. tit. Inst. de Donat.*

2. Actio, quæ datur ad revocandam donationem ob ingratitudinem donatarii habet hoc singulare, quod non

non datur heredibus, neque contra heredes, *l. 7. l. ult. C. d. revoc. donat.*

TIT. VI.

De mort. cauſ. don.

MOrtis cauſa donatio ſimilis quidem eſt ultimæ voluntati, quoad plerosque effectus, veluti quoque ad numerum quinque teſtium *l. ult. C. d. Don. h.* detractionem falcidiæ *l. 5. C. ad. l. Falc.* jus accreſcendi *l. un. §. 14. C. d. cad. toll.* in ſe tamen magis ad actus inter vivos refertur, ut dix. *ad tit. d. donat. n. 4. & ſeqq.*

2. Præterea, in hoc ab ultima voluntate diſtat, quòd cum donatio mortis cauſa in ſingulos annos ſit ſimplex, legatum ejuſmodi eſt multiplex *l. 35. §. ult. h.* quod poſt mortem auferri nequeat *l. 5. §. 17. d. his quæ ut indign.* item tempus, quo capacitas ſpectetur, eſt mortis duntaxat *l. 22. h.*

3. Poſtremo, filiuſf. patre annuente, mortis cauſa donare poteſt *l. 25. § 1. h.* quin de adventitiis; quorum uſusfr. Patri non quæritur, inter vivos, vel invito patre, donare poteſt, an & mortis cauſa? videtur per *N. 117. c. 1. pr. & §. 1.*

4. A donatione m. c. differt mortis cauſa capio, quæ eſt acquiſitio, propter mortem alterius obveniens, alioque nomine non appellatur. *Cujac. in par. hic.* ut ſi quid alicui conditionis implendæ causâ, vel ſi alienæ mortis causâ donatum ſit *l. 8. 11. l. 18. in pr. l. 31. in pr. l. 38. h. t.*

LIB. XL.

HIc liber totus materia ſervili occupatur, cujus cum hodie nullus ſit uſus & notitia terminorum ex Inſt. habeatur, fas erit titulos eo contentos prætervehi, aliunde facile petendos. Nuda recenſio

Rubricarum sufficiet. Tituli sunt omnino XVI. Primus est de *Manumissionibus*. Tit. II. De *manumissis vindicta*, quæ celeberrimus olim erat modus, ubi nota, fis, textum, ex quo vulgò probant vitam hominis & famam pari passu ambulare *l.* 9. *in pr. h. t.* quod minime profecto universale est. vid. *l.* 6 & 7. *Quod. met. caus. l. pen.* §. 1. *d. publ. judic.* juncta *l.* 6. §. 1. *d. his qu infam. not. l.* 42. §. 1 *d Procurator.*

Tit. III. *De manumissionibus, quæ servis ad universitatem pertinentibus imponuntur*, qui vix aliud continet, quam universitates hac etiam parte non alio jure quam privatos uti.

In tit. IV. *De Manumissis testamento*, agitur de his, quibus directa libertas testamento datur. Tit. V. *est de fideicommissariis libertatibus*, ubi illud nobile Pomponii simbolum in *l.* 20. *Nam ego discendi cupiditate, quam solam vivendi rationem optimam in octavum & septuagesimum annum ætatis duxi, memor sum ejus sententiæ, qui dixisse fertur*, ἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖντι βιολοίμην, *id est, Et si alterum pedem in tumulo haberem. non pigeret aliquid addiscere.*

Tit. VI. Loquitur de ademptione libertatis lege facta, ut Ælia Sentiâ. Enimvero potest, etiam â testatore adimi tam expresse quam tacitè, modo expressio voluntatis non sit obscura nimis *l.* 50. *d. Fideic. libert.* Adde quæ ad Instit. *lib.* 1. *tit.* 6. dicta sunt.

Tit. VII De Statuliberis, satisfactum ad *Rubr. Inst. de jur. person.* Tit. VIII. est de his qui sine manumissione ad libertatem perveniunt. Quales sunt, quibus in diem vel sub conditione testamento vel contractu data est libertas, elapso die vel conditione existente *l.* 1. & *t. t. h. l.* 3. *d. Statulib.* vel si quis ancillam emerit, ne prostituatur, & tamen prostituat *l.* 6. §. 1. *h. t.*

Tit. IX. Est titulus; Qui & *a quibus manumissi liberi non fiunt & ad Legem Æliam Sentiam*, quam totidem verbis Rubricam habuimus ad Inst.

Tit. X. De jure aureorum annulorum, docet ingenui-

nuitatem, consequi libertinos, quibus princeps aurei annuli gestandi jus dedit, at salvo jure patronatus *l. pen. & ult.* Hoc jus cum aliis dedit Augustus Antonio Musæ Medico, quem prius aliquando servum fuisse certum & notum est. Vid. Sigon. *lib. 2. de antiqu. jur. civ Rom. c.* 3. Justinianus aureorum annulorum jus omnibus indistincte libertinis concessit. *Nov.* 78. *c.* 1.

Tit. XI. De natalibus restituendis docet, eos qui natalibus à Principe restituuntur, jus plenissimum ingenuitatis adipisci, ut nec obsequium Patrono debeant, nec ut ingrati accusari queant, secus ac is, qui aureis annulis donatus est *l.* 3. *C. de bon. libert. l.* 10. § 3. *d. injus voc.* sed Princeps neminem facile restituebat, nisi consentiente Patrono ejusque filio *l.* 1. *l. pen. & ult. h. t.*

Tit. XII. Causæ liberales, de quibus heic agitur, sunt actiones de libertate aut servitute, de ingenuitate vel libertinitate; cujusmodi causæ status, maximos exigebant judices *l. ult. C. ubi caus. stat. l.* 32. § 7. *d. recept. arbitr.*

Titulus. XIII. De iis agit, quibus ad libertatem proclamare non licet, etsi ingenui sint nati, quales, sunt majores XX. annis, qui, gnari conditionis suæ ad pretium participandum se venundari sunt passi *l.* 1. 2. *& seq. h. t.* aut etiam, ut commodius quam in libertate conditio fortunæ eorum ferebat, viverent, uti cum servi publici fiebant, veluti actores vide *l.* 6. § 5. *d. injust. rupt. testam.* Aliud Rubricæ exemplum vid. in *l.* 2. *h.*

Tit. XIV. *Si ingenuus esse dicetur*, agit de præjudicio, quoties contenditur, utrum quis libertus sit, an ingenuus; quod usum habet, si operæ petantur, sive obsequium desideretur, vel etiam famosa actio intendatur, aut injus vocetur is, qui se dicit patronum *l. ult. h. t.*

Tit. XV. Ne de statu defunctorum post quinquennium quæratur, id prohibet; ne post quinquennii lapsum quærere liceat, utrum aliquis ingenuus, an libertinus fuerit *l.* 1. *h. t.*

At in Tit. XVI. collusio punitur, si is qui status con-

troversiam alicui movebat, ita cum adversario collusérit, id est, simulatè & prævaricando contenderit, ut pro ingenuo absolveretur, is fit servus aut libertus ejus qui collusionem detexit, etsi verè servus alterius, qui collusit, fuerit. *l.* 1. *& pen. h.*

LIB. XLI.

TIT. I.

De *acq. rer. dominio.*

QUanquam de actione in Rem singulari dictum est in *lib.* 6. de causa tamen ejus non est actum, ex professo: Sed ejus tractatus, velut etiam hereditatis petitionis, in alium locum dilatus est. Nec visa fuit occasio commoda, nisi postquam de omnibus judiciis petitoriis absolutum erat.

2. Sed de dominio late pleneque egimus *ad tit. Inst. de A. R. D.* Cujus summa capita in hoc collegio repetere solemus.

TIT. II.

De *Acquir. poss.*

DOminio jungitur possessio, cujus definitionem, & divisionem aliaque habuimus in *parte I. ad tit. de A. R. D. n.* 115. Heic addendum, quod *Vacua possessio* non requiritur ad dominium transferendum per traditionem, *l.* 12. §. 1. *h. l.* 10. §. 2. *d. Condict. furt. l.* 16. *d. Fund. Dot.*

2. Inter eos, qui naturaliter possident est etiam Sequester. *l.* 17. §. 1. *Depos.* juncta. *l.* 39 *h.*

3. Possessio civilis in jure, naturalis in corpore consistere dicitur *l.* 10. *C. d. acq. poss.* ut tamen quæ juris est etiam in corpore consistat, & hæc insit illi, veluti usus in usufr-

in uſufr. *l.* 14. §. 1. *d. Uſu.* dicitur & facti *l.* 12. §. 2. *d. captiv. & poſtlim.*

4. Hinc quia poſſeſſio utraque corporalis eſt, tam animo quam corpore ad utramque opus eſt acquirendam *l.* 3. §. 1. *l.* 8. *h. t.*

5. Adeo ut nec heres poſſideat id quod defunctus poſſedit, niſi denuo rem apprehenderit *l.* 23. *inpr. h t.* quanquam id in pleriſque foris Europæ aliter interpretantur, per dictum celebre Gallicum, *le mort ſaiſit le vif:* mortuus apprehendit vivum; id eſt, poſſeſſio mortui continuatur in heredem. Friſii tamen & hic ſunt veteres Juſtinianæi, non Gallicani. 1. Sat. 17. 3.

6. Cæterum retinetur poſſeſſio ſolo animo *l.* 3. §. 6. §. 11. & *l.* 6. §. *ult. h. l.* 44. *in fin.* & *l.* 46. *h.* perinde & amittitur, *d. l.* 3. §. 6. etſi plerumque in amittendo corpus & animus concurrant, *l.* 8. *h.* juncta *l.* 153. *d. R. I.*

7. Jam hinc clarum eſt, acquiri poſſeſſionem unius rei ſimul à duobus in ſolidum non poſſe, nec retineri corporaliter duobus, licet diverſis è cauſis *l.* 3. §. 5. *h.* Sed ab uno jure & animo, ab altero corpore eandem rem teneri nil vetat *l.* 6. §. 1. *l.* 46. *d. tit. l.* 15. §. 4. *d. Prec.*

8. Cum autem animus ad acquirendam poſſeſſionem opus ſit, infans per ſe non poteſt acquirere poſſeſſionem *l.* 32. §. 2. *d. t.* niſi forte in caſu donationis *l.* 3 *C. eod.* alioqui per tutorem fit acquiſitio, vel pro minore per Curatorem. *l.* 1. §. 20. *d. tit.* denique, pro civitatibus per ſuos adminiſtratores *d. l.* 1. §. 23. *cum l. ſeq.*

9. Jus poſſeſſionis eſt, ut quiſque rem à ſe poſſeſſam detineat, donec alius eam jure evincat, ſibique rem prius eripere volenti reſiſtere poſſit §. 5. *I. de Interd.* Grot. 2 *introd. c.* 2. *in pr.*

10. Quam primum autem res deſiit eſſe in poteſtate & in cuſtodia noſtra, ſive caſu amiſſa, ſive erepta ſit (error & oblivio per ſe nihil mutant *l.* 44. *d. t.*) tam poſſeſſio, quam jus illud poſſeſſionis evanceit *d. l.* 3. §. 13. *l.* 15. *eod. l.* 5. *d. uſucap.* ut tamen in rebus ſoli aliquid in-

terfit, per nos ipfos, an per alios poſſideamus *l.* 6. §. *ult.* & *l. ſequ. l.* 40. §. 1. *l.* 44 § *ult. cum l. ſequ. eod. tit. l.* 31. *d. dol. mal*

11. Noviſſime Juſtinianus ſanxit, facto eorum, qui ſunt in poſſeſſione pro nobis, nos non amittere poſſeſſionem, quod tam de traditione, quam derelictione per noſtros homines factâ crebrius intelligunt, etſi verba textus (*eſt l. ult. C. d. Acquir. poſſ.*) traditionis expreſſe non meminerint, mens tamen Cæſaris eo quoque ſpectare videtur. vid. Sand. *l.* 5. *tit.* 4. *def.* 1.

12. Cæterum, nulla de poſſeſſione in rem actio naſcitur, cum interdicta, quibus de poſſeſſione diſceptatur, ſint perſonalia *l.* 1 §. 3. *d. interd.* neceſſe igitur poſſeſſio Jus in re conſtitutum, ut evicimus A 4. *Digreſſ. c.* 10. & *in Prælect. ad tit. Inſt. de Interd.*

13. Eſtne igitur Jus ad rem quod dicitur? Ne id quidem; hæc jura producunt judicia petitoria; Interdicta ſunt momentanea remedia, ad hoc, ne litus rerum turbetur *tit C. Si a moment. poſſ. l. ult. C. Qui legit. perſon.* aliàs plura.

14. Diſcrimen inter dominium & poſſeſſionem traditur, quod dominium non niſi ex una causâ, poſſeſſio ex pluribus contingere poſſit *l.* 3. §. 4. *h.* §. 10. *Inſt. de legat.*

15. Nemo tamen ſibi cauſam vel genus poſſeſſionis mutare poteſt, niſi priori poſſeſſione dimiſſâ *l.* 3. §. 19. *l.* 19. §. 1. *h. t.* idque non ſolâ animi inductione, ſed ita ut aliquod factum externum accedat, *l.* 33. §. 5. *d. Uſucap.* adde *l.* 2 §. 1 *ff. Pro her.*

16. Proinde poteſt aliquis poſſeſſioni incumbens conſtituere, ſeſe alieno nomine poſſidere. Quod fit omni die in venditionibus & hypothecis per clauſulam conſtituti *l.* 18. & *l.* 28. *h. t. l.* 35. *vers. ſed ſi C. de donat.*

17. Porro, quia corpore acquiritur poſſeſſio, ſequitur inficiatione rei depoſitæ, vel commodatæ non amitti poſſeſſionem, ſed re demum loco mota. *l.* 3. §. 18. *h.* & ſic capienda *l.* 47. *h.*

18. Haud

18. Haud tamen necesse est, omnes rei partes contrectare; sed ex fundo V. C. sufficit unam glebam *l.* 3. §. 1. *h.* Quin & oculis acquiritur possessio *l.* 1. §. 21. etiam ex turri *l.* 18. §. 2.

19. Universitas tamen rerum non videtur unius rei apprehensione possideri; quanquam fideicommissarius heres una re accepta à fiduciario totam hereditatem recepisse videtur *l.* 37. *ad SC. Treb.* hoc enim ad actiones transferendas non ad possessionem acquisitam pertinet *d. l.* 37. *inf. pr. junct. l* 23 *in pr. h. t.*

20. Denique, fundo possesso, thesaurus latens, nisi peculiariter apprehensus, non possidetur *l.* 3. §. 3. *l.* 44. *h.* D. Wissenb. *ad h. tit. th.* 11.

21. Hinc rei incertæ, quæ apprehendi nequit, possessio non est *l.* 3. §. 2. *h. t.* velut, si hac mente sis, te, quicquid Titius habet, possidere; sed rei pro indiviso communis datur & vindicatio & possessio *l.* 76. §. 1. *d. Rei Vind. junct. l.* 9. *l.* 38. *eod.*

22. Quilibet absens per procuratores recte acquirit possessionem, si & ipsi hoc animo sint, ut nobis acquirant; nam si tradatur illis, ut nobis acquiratur, illi vero præ se ferant, se sibi acquirere, nihil ad nos transfit *l.* 1. §. 20. *h.* quod secus est, si animum tacitè ita inducant *l.* 13. *d. Don.* quæ sic non obstat. Aliter alii.

TIT. III.

De *Usucapione & usurpatione.*

POssessionem merito sequitur Usucapio, quæ sine possessione nulla est *l.* 25. *h. t.* De hac plena manu tradidimus ad *Inst. h. t.*

2. Igitur nihil hic quam spicilegium instituemus, & consequenter titulos, *pro soluto*, *pro emptore*, *pro herede & possessore*, *pro donato*, *pro derelicto*, *pro Legato*, *pro dote*, *pro suo*, *usque* ad finem hujus libri complectemur.

3. Primum usucapionis requisitum, est tempus, de quo dix. ad *l. h. t. n.* 7. *& seqq.* Secundum bona fides

d. t. n. 8. *& seq.* Tertium, justus titulus *n.* 10. IV habilitas, de qua *n.* 12. *& seq. ubi n.* 19. quî vitia rerum purgentur.

4. Eo pertinet hoc quæsitum; Si debitor idemque Dominus surripiat creditori pignus & vendat, an emptor id usucapere potest? Ita videtur *l.* 4. §. 21. *b. t.* quia debitor surripiens pignus non facit furtum rei, *sed* possessionis tantum, quo res ipsa affici non videtur: ast debitor vendens hypothecam à se possessam eo ipso furti se alligat & usucapionem impedit *l.* 66. *d. furt.* Proinde hæc ab emptore non potest usucapi, & sic cape *l.* 6. *C. Pro Empt.*

5. De quinto requisito agimus *ibid. n.* 20. ubi, lite contestata usucapionem interrumpi; Nota tamen.

6 Quamdiu adhuc pendet lis, tempus currere dicitur, & si per sententiam possessio maneat suo loco, continuatur cum effectu. Sed avocata per sententiam possessione, tempus post lit. contest. non prodest ad implendam usucapionem.

7. Priore sensu capiendi textus *ff. in l.* 2. §. *ult. pro empt. l.* 18. *d. rei vind. l.* 9. §. 6. *ad exhib. l.* 2. *pro donat.* in quibus, lite contestata, tempus currere dicitur. Sed de eventu judicii capienda *l.* 1. *C. d. præscr. long. temp.* Aliter Pac. 1. *antih.* 71.

8. Ad effectus usucapionis, pertinet, quod etsi inferat dominii mutationem, jus tamen pignoris alii creditori quæsitum non tollit, ut est *in l.* 44 § 5. *h. l.* 1. §. 2. *d. pignor. l.* 7. *C. eod. l.* 2. *pr. ff. pro her.* quod nec hodie sublatum est, ex eo quod hypothecariæ præscribitur eodem tempore, quo usucapiuntur res immobiles *l.* 1. *& 2. C. Si adverſ. credit. juncta l. un. C. de usucap. transform.* ut paulo crudius habet D. Wissenbach *ad h. t. th.* 12.

9. Potest enim fieri, ut res hypothecæ obligata *sit*, eo tempore, quo jam dominus possessionem ejus amiserat & usucapio inchoata erat, eoque casu hypothecaria diutius vivit quam dominium; ne de rebus dicam mobilibus; in quibus nihil hactenus immutatum.

10. De

10. Denique nota; B. Fidem, & is habere videtur, qui ſuſpicatur, rem eſſe alienam, modo non lis conteſtetur, ut in *l.* 10. *C. d. acq. poſſ.*

TIT. IV.
Pro ſoluto.

TItuli juſti ſequentibus rubricis memorantur, de quibus in genere notandum; cauſam ſimulatam, ſi nihil agatur, nullius eſſe momenti *l.* 1. *C. plus val. quod. ag.* Sed ubi aliud pro alio ſimulatur, ſufficit eum titulum qui dſimulatur, eſſe habilem ad transferendum dominium *l. ult. pro Don.*

2 Pro ſoluto uſucapit, qui rem à non domino, ex ſolutionis cauſa recipit: ſive tanquam res debita, ſive aliud pro alio ſolvatur *l.* 46. *d. Uſucap.*

TIT. V.
Pro Emptore.

PRo emptore uſucapit, qui rem à non domino *l.* 74 *de contr. emp.* purè emit. *l.* 1. *in pr.* & §. 2. *hic.* aut litis æſtimationem ſolvit. *l.* 1. & *l.* 3. *eod.* eſt enim litis æſtimatio ſimilis emptioni *d. l.* 3.

2. Error hic non ſufficit. *d. l.* 2. niſi ſit juſtiſſimus; ut ſi juſta de cauſa putet, eum emiſſe cui ſucceſſit, aut cui rem emendam mandavit, ſi forte procurator ſe emiſſe ei perſuaſerit *l.* 11. *hic. l. ult.* §. 1. *pro ſuo.*

TIT. VI.
Pro Herede.

TIt. pro herede in *l. pen. pro her.* ſtatuitur in rebus, quas heres defuncti eſſe putavit, eaque mens videtur eſſe Tribon. Sed juris ratio & textus in *l.* 3. *C. de præſcr. long. temp.* & *l. ult. C. h. t.* non permittunt: ſiquidem heres abſolute repræſentat defunctum, nec ullum

lum characterem novum ſucceſſio ei donare poteſt *l.* 11. *d. divid. temp. præſcr.* heredi nihil quam repræſentatio defuncti, non titulus novus adſcribitur.

2. An igitur ipſius defuncti res propriæ uſucapientur ab eo, qui ſe putat eſſe heredem probabili ex cauſa? Sic Pacius & Corvinus *ad h. t.* tradunt. Quid igitur, *an ita* heredi totam hereditatem vindicanti poſſeſſor res ſingulas ſubducere poteſt obtentu uſucapionis? Nihil minus, ſic enim hereditatis petitio eluderetur.

3. Igitur Uſucapio pro herede vel ita ſumatur, ut tantum ſit nova qualitas in continuatione tituli, quem defunctus habuit; veluti, quando defunctus pro emptore poſſedit, heres vel is qui putat ſe heredem eſſe, poteſt abſolvere uſucapionem.

4. Vel poteſt eſſe nova uſucapio, hoc modo; Qui putat ſe heredem eſſe, invenit rem in hereditate, quam putat eſſe defuncti, cum ſit aliena & ſine titulo à defuncto poſſeſſa; Evincitur ab eo hereditas; poſt triennium bonæ fidei, rem hanc alienam non reſtituit; imò nec ipſi vero veterique domino reſtituere cogitur: Nactus eſt enim bona fide titulo que juſto; nec objici poteſt ei, quod defunctum repræſentans alio titulo gaudere nequeat; ac ille habuerat; etenim ille non eſt heres, ſed probabiliter tantum ſe eſſe putavit.

TIT. VII.

Pro donat.

TIt. pro donato eſt pro eo, cui res à non domino donata eſt *l.* 1. *h.* vel, quod idem, imaginarie vendita, donandi ſcil: animo *l. ult. h.* oportet autem donationem eſſe validam *l.* 1. §. 1. & 2. *l.* 3. 4. *h. t.*

2. Imò nunquam valet donatio rei alienæ *l.* 9. §. *ult. d. Donat.* Reſp. ad effectum dominii transferendi non valet; ſed ad uſucapionem ſecus eſt.

3. Prohibitæ donationis exemplum eſt in eâ, quæ inter virum & uxorem intercedit, ex qua uſucapio non pro-

procedit *l.* 1. §. 2. *h.* nisi res sit, in quam nihil juris habet donans, & ex quâ nihil damni sentiat *l.* 3. *eod. l.* 25. *d. Don. int. V. & U.* Velut, si vir rem alienam uxori donârit, tunc enim quæ propriam mariti nullo modo acquirere poterat, dominio alienæ rei, in quâ vir liberalis fuit, potitur per usucapionem; quia scilicet donatio ea tantum inter conjuges prohibita est, quæ donantem facit pauperiorem, qualis non est liberalitas ex alieno *d. l.* 25.

4. Sed quæ est ratio, quod donatio mortis causa traditione à donatore vivo implerâ usucapionis effectum non præstet, ut habeatur in *l.* 13. *pr. de donat. m. c.* tametsi ad Dominium transferendum habilis sit *l.* 2. *vers. aliam. eod.*? quia dominium hoc à donatore semper revocari potest *l.* 30. *eod.* ideo, si donatarius per usucapionem dominus sit factus, æque datur repetitio, quam si mox ab initio dominium adeptus esset, perinde atque de conditione indebiti scriptum est in *l.* 15. §. 1. *d. cond. indeb.*

TIT. VIII.

Pro derelicto.

PRo derelicto non potest usucapi res deperdita; licet inventor putaverit esse derelictam *l.* 6. *h.* non obstante *l.* 4. *h. t.* proinde, quovis tempore talis res a Domino repeti potest. Nec ideo recte dicitur ejusmodi rem pauperibus esse dandam, nisi talis sit, quæ servari nequit.

2. Alii pro derelicto usucapi volunt, si quis rem nullius esse probabiliter credat *l.* 1. & 2. *D. pro suo.* Bachov. *part.* 2. *ad Tr. disp. d. Usuc. th.* 5. *lit. G.* Sed cum eo casu titulus deficiat, ne sic quidem procedit usucapio. *l.* 7. *h.* Verus usus est, quando non dominus rem pro derelicta habuit eamque alius occupavit, putans à vero domino fuisse relictam *d. l.* 4. *h. t.*

TIT.

TIT. IX.
Pro Legato.

AN Pro Legato usucapit is, qui possidet aliquam rem, quam putabat sibi legatam, cum non esset? Minimè *l.* 2. *h.* verum, si legata sit res, quæ non erat propria testatoris *l.* 4. *in pr. h.*

2. Aut, si fuerit quidem Testatoris, sed legatario adempta sit ab ipso testatore codicillis, quod legatarius ignorabat, vel si in nomine sit erratum, ut si duo sint Titii & alter eorum de se cogitatum existimaverit, erronè *d. l.* 4. *l.* 7. §. 2. *d. Public. act.*

TIT. X.
Pro Dote.

PRo dote usucapit, qui in dotem accepit res alienas *l.* 1. seu singulas, sive universas pariter §. 1. *l.* 1. *b.* si nempe dos & matrimonium verè sit, non si putaverint, cum non esset *d. l.* 1. §. 3. *& ult.*

2. Rebus ante nuptias traditis, id tempus non putatur in usucapione, nequidem si æstimatæ fuerint *l.* 2. *ff. ratione l.* 10. §. 4. *d. jur. dot.*

3. Si tamen sponsalia contracta fuerint, usucapio *pro suo* procedit, nisi dictum fuerit, ne dominium transiret, aliter quam nuptiis secutis *d. l.* 1. §. 2.

TIT. XI.
Pro suo.

TItulus pro suo accipitur vel generaliter, vel specialiter. In genere, quoties aliquis putat, se dominum esse; ac ita, concurrit cum omnibus aliis titulis *l.* 1. *in pr. h.* utimur etiam ejus appellatione, cum aliis titulis proprie non est locus, ut exemplo patet in *l.* 1. §. 2. *Pro dot.*

2. In

2. In ſpecie titulus Pro ſuo, maximè pertinet ad errorem falſæ cauſæ *l.* 3. *b. t.* de quo *ad Inſt. n.* 12. & ut aliqui putant, in rebus quæ mari, terra, cœlo capiuntur, licet reverâ non ſint nullius *l.* 2. *eod.*

LIB. XLII.

TIT. I.

De Re judicata.

POſtquam de actionibus actionumque fundamentis actum; ſequitur tandem, ut de ſententia deque re judicata agatur.

2. Res judicata eſt, quæ finem per ſententiam accepit *l.* 1. *h.* Sententia eſt ultima judicis de lite pronuntiatio, continens abſolutionem rei, vel condemnationem actoris aut rei *d. l.* 1.

3. Immediatè enim ex ſententia fit res judicata *l.* 23. §. 1. *d. cond. ind.* Jure Can. magis aliter loquuntur quam ſentiunt, dum rem judicatam, non niſi poſt decem dies interpretantur *c.* 12. *& c.* 15. X. *d. rejud.* id enim de effectu accipere videntur, eo quod intra decem dies appellari poteſt; quod nec jure Civ. ſecus eſt, ut *infrà* videbimus. *d. l.* 23. §. 1.

4. Epiſtolæ, comminationes, programmata, ſubſcriptiones & quælibet imperia, quæ ſine cauſæ cognitione fiunt, pro ſententiis non habentur *l.* 2. *& t. t. C. Comm. & epiſt. &c.* Pronuntiata verò, quæ cauſâ cognita partibuſque auditis, licet ſummariè, fiunt, habent vim judicati *l.* 3. *eod.*

5. De ſententia conſideratur forma & effectus.

6. Forma ſententiæ vel ipſum dictum vel pronunciandi modum ſpectat. Quod ad prius attinet, quibus ver-

verbis judex utatur, modo claris & certis, nihil interest. *l. 59. pr. h. t.* nam incerta sententia non valet *d. t. 59 §. 1. & 2. l. 3. C. d. sent. quæ sin. cert. quant.* ut si condemnatio in id quod interest data fuerit. *l. un. C. d. sent. quæ pro eo quod int. prof.*

7. Nec conditio recte adjicitur, adjecta tamen pro non scripta habetur *l. 1. §. 5. Quand. app. l. 37. d. Excus.*

8. Modus pronunciandi est, ut judex solito loco sedens ex libello sive periculo (ut habet *rubr. C. d. Sent. ex peric. rec.*) ferat sententiam *l. 6. C. d. Sent. & interl.*

9. Recitatur, præsente utraque parte, verum alterutro absente non recte fertur, nequidem, si ex morbo sontico, cum esset jam præsens, abire sit coactus *l. 60. h. l. 7. quand. & quom. jud.* nisi peremptorie citatus contumaciter absit *l. 53. §. 1. h.*

10. Usu fori citantur partes ad sententiam audiendam, nec porrò curatur, adsint nec ne. Ita apud nos, & alibi. Spiræ ne hoc quidem requiritur. Gail. *1. obs.* 109.

11. Dirigitur pronuntiatio in illum, cum quo lis contestata est *l. 1. C. d. Sent.* seu dominus seu procurator sit *l. 23. C. d. Procur.* Mortuo procuratore, Dominus in litem succedit; mortuo Domino, heres; nam sententia in mortuum lata ipso jure nulla est *l. 59. §. ult.*

12. Usu fori fit readsumptio, quam vocant, *sine* qua non potest adversus successores procedi, quia mandatum procuratoris, morte finitum est; Si dominus ipse litem contestaretur, nulla readsumptio opus foret, uti nec est, si partes nihil amplius in judicio agendum habeant. Dix. *ad tit. de Procur.* vid. *Gail. d. c.* 109. *n. 5. & seqq.*

13. In ferendis suffragiis pluralitas prævalet. *Paribus* sententiis, reus absolvitur *l. 38.* nisi judex ab alio sit datus; tunc enim is qui dedit, alterutram confirmat *l. 28. h.*

14. Effectus sententiæ consideratur vel in se, vel ratione

tione actionis vel executionis. In se, quod irrevocabilis sit, nec quidem à judice corrigi possit *l.* 14. *h. t. l.* 55. *l.* 62. *h. l.* 1. §. 2. *in fin. d. usur. l.* 1. *C. sent. resc. non posse.* nequidem Principis rescripto, quod altera partium impetraverit. Nec obstat *l.* 45. §. 1. *h.*

15. Alioqui simplex decretum seu jussus potest mutari *d. l.* 14.

16. Imo nec ob instrumenta postea reperta revocare licet sententiam *l.* 4. *C. h. t.* nisi interfit reipub. *l.* 35. *h.* quo de, intra triennium cognoscendum. *l. un. C. d. Sent. adv. fisc. retract.* vel nisi dolus intervenerit, per *l.* 19. *C. d. Transact.* vel ex jurejurando judiciali sit judicatum *l.* 31. *d. jurejur.*

17. Revocatur tamen sententia per remedium restitutionis in integrum ratione ætatis *tit. C. Si adverf. rem jud.* aliamve causam justam, *l.* 18. *d. Interr. in jur. fac.* 2. per appellationem *d. lib.* 49. & querelam nullitatis *l.* 4. §. 6. de qua ad *tit. d. Appell.* agemus.

18. Atque eo pertinet, si prius contra judicatum sit absque provocatione *l.* 1. *C. quand. provoc. nec. non est.* an etiam, si ex falsis instrumentis lata sit sententia. *l.* 1. 2. & *t. C. si ex falf. instr l.* 33. *inf. h.* 5. qui textus de rescindendo & restituendo loquuntur. vid. Wissenb. *ad. h. t. th.* 5.

19. Actio in condemnatum victori datur, rei judicatæ, quæ semper est civilis, & semper rei persecutoria, perpetua, & in heredem transitoria, licet actio prima contrarias habuerit qualitates *l.* 6. §. *ult.* quod sit vi novationis, quæ per litis contestationem, quasi contractu, perpetratur *l.* 11. §. 1. *d. Novat. l.* 3. §. 11. *d. Pecul.*

20. Pluribus una sententiâ damnatis, in singulos pro partibus hæc actio datur *l.* 1. *l.* 2. *C. si plur. un. sent.* nisi aliud expressum, vel res individua sit *l.* 4. §. 1. & 2. *d. V. O.* vel ut universi sint condemnati, velut municipes, in *l.* 4. §. 2.

21. In ipsum dominum, non in procuratorem datur actio; nisi in rem suam sit, vel obtulerit se *l.* 4. *pr.*

22. Quid

22. Quid autem, an post sententiam novâ opus est actione novoque judicio? non opinor, si liquidum sit judicatum per *l.* 15. *h. t.* ubi sententia immediate executioni datur, implorato magistratus officio; sed actio instituitur, ubi res incerta & illiquida est. *arg. l.* 9. *d. jurej.* ac ita fert usus.

23. Executio in condemnationibus pecuniariis habet dilationem quatuor mensium, quibus damnati usuras non pendunt, postea centesimas præstant *l. ult. C. d. Usur. rei. jud.* Sed qui ad restituendam rem sunt damnati nullum habent tempus, nisi quod judex illis ex justa causa indulserit §. 2. & 3. *I. d. off. jud.* atque hoc etiam usu fori in pecuniariis causis servatur; tempus enim judicati faciendi ubique obsolevit.

24. Executio fit ab eo, qui judicem dedit *l.* 15. *pr.* post latam videlicet sententiam; ante frustra, *l.* 58 & *h.* nisi quod à Principe datus ipsemet exequi possit *l ult. C. d. jud.*

25. Modi executionis sunt, missio in possessionem *l.* 1. *quib. ex causis in poss. eat.* manus militaris *l.* 68. *d. rei vind.* denique & præcipue distractio *l.* 15. *h.*

26. Cujus ordo est, ut primo res mobiles, præsertim animales, tum immobiles, postremo jura capiantur *d. l.* 15. §. 2.

27. Non est alienus quoque à jure civili modus exequendi per carcerem, *l.* 1. *l. ult. C. Qui bon. ced. l.* 34. *h. t. l.* 9. §. *ult. ad. L. Jul. pecul.* Moribus tamen hodiernis frequentior.

28. Tempus distrahendi est duorum mensium post capionem *d.* §. 2. & *l.* 31. *h.* Vendi debent præsenti pecunia *a. l.* 15. §. 7. Publica est distractio, sed creditores in emptione præferuntur; post illos cognati *l.* 16. *d. reb. auth. jud. poss.*

29. Quod si emptor justo pretio nequeat reperiri, creditor à magistratu dominium impetrat *d. l.* 15. §. 2. *in fin.* & §. 3. *h.* In pignore conventionali à Principe *l. ult. C. d. jur. dom. imp.*

30. In

30. In foro condemnatis permittitur adsignare res, ex quibus satisfaciant victori; ni faciant, judex id Actori permittit; *omni die*. Fitque tum distractio, fere sicut antea dictum & Statuta præscribunt.

31. Sunt, qui non in solidum excutiuntur, sed tantum quatenus facere possunt, quos diximus *ad tit. I. de Action. n.* 68.

32. Vir ab uxore conventus habet hoc jus, non modo in dote, sed & in aliis contractibus *l.* 17. *l.* 19. *b.* imo & ad socerum extenditur *l.* 21. *h. t.* durante affinitate *l.* 17. *pr. Sol. matrim. l. pen. d. jur. dot.* non eâ solutâ *l.* 21. *& seq. h.*

33. Socii habent hoc privilegium, si omnium bonorum sint *l.* 16. *d. re jud.* etiam vero socii particulares, ubi de illâ re certa agitur *l.* 63. *d. Pro soc.*

34. De filiisfam. hac parte diximus ad *tit. Quod cum eo qui in al. pot.* Milites, huc etiam pertinent *l.* 6. *in pr. l.* 18. *ff. t.* Nec non fratres *arg. l.* 63. *Proſoc.* licet dissentiat D. Wissenbach disp. *ad Inst.* 38. *coroll.*

35. Parentes & Patronos idem jus habere diximus, *ad tit. I. de Action. n.* 81. denique donatores; & hi quidem deducunt æs alienum, hoc est præter æs alienum, quod prius deducunt, insuper adhuc retinent quod ad tuitionem vitæ necessum est. Reliqui obtentu æris alieni non juvantur, quin solidum iis excuti possit, si tempore excutionis patrimonium sufficiat, etsi aliis creditoribus urgentibus, nihil reliquum habituri sint *l.* 19. §. 1. *l.* 49. *& seqq. eod.*

36. Quantum vero id est, quod talibus relinqui debet? Lex nihil exprimit, nisi ut *egestas* excludatur. *l.* 19. *in fin. h.* quæ est *extrema paupertas*. Nam pauper simpliciter dictus, est *modici* homo patrimonii *arg. l.* 15. §. 15. *d. Excus. tut.* Seneca 1. *epist.* 17. *Non est quod paupertas nos à Philosophiâ removeat, ne egestas quidem.* Habere parum est *paupertas*, habere nihil, *egestas*. Martial. *lib.* 11. *Non est paupertas, Nestor, habere nihil.* Liber est igitur beneficiarius hic, ab egestate, non a paupertate; & hoc judex definiet.

37. Dilatio executionis à Principe non conceditur, nisi fidejussione idoneâ victori pro solutione præstitâ *l.* 4. *C. de Precib. Imp. off.* Quod utinam *moribus* servaretur!

TIT. II.
De Confess.

CONfessio judicialis a reo non a procuratore ejus *l.* 6. §. 4. *h.* præsente adversario, saltem per procuratorem, facta, parit condemnationem *l.* 1. *l.* 6. §. 3. *h.* tam in civilibus quam criminalibus, quia nusquam distinguitur *l.* 1. *l.* 6. §. 3. *& pass. h. t.*

2. Oportet autem confessio sit in jure facta, vel in judicio *dd. ll. l. un. C. h. t.* extra-judiciali hæc vis nusquam tribuitur; ne quidem scriptæ, nisi quatenus instrumentum de re gesta sit confectum, qua de re in *l. ult. d. Prob. & adsit. d. fid. instrum.*

2. In articulo mortis facta confessio nec revocata obligat heredem *l.* 93. §. 1. *d. Legat.* 3. maxime si jurata sit *l.* 37. §. *in fin. eod.*

4. Sola confessio sufficit ad actionem judicati *l.* 1. *l.* 6. §. *ult. h. t.* potest tamen accedere condemnatio *l.* 3. *h.* Imo debet in causis criminalibus *l.* 5. *d. Custod. & exhib. reor.* Vid. *l.* 25. *in fin. ad l. Aquil.* Usu fori necessaria est declaratio, ut confessio detur executioni.

TIT. III.
De Cessione bonorum.

DEbitori damnato, vel confesso, vel debitum agnoscenti permittitur bonis cedere, idque tam extra quam in judicio *l.* 8. 9. *h.* ut tamen & pœnitere liceat, re adhuc integra *l.* 5. *h.* si forte falso putaverit, æs alienum substantiæ suæ fines occupasse, ut ait *l.* 16. *C. ad l. Falcid.*

2. Beneficium cessionis est, quod liberet debitores molestia

molestiâ executionis & carcere *l.* 1. *C. h.* & quod deinceps habeant beneficium competentiæ, sive ejus quod facere possint *l.* 4. *h.*

3. Cessat in causis criminalibus, etsi pecuniariis; nam in his locum habet, quod est in *l.* 1. §. *ult. d. pœn.* quod corporaliter puniuntur qui solvendo non sunt. Aliter est in *l. fin.* §. 4. *C. de Custod. reor.* sed hæc non est Lex ἀυθεντικῶς.

4. Cessat in debito vectigalium *l.* 2. *C. d. exact. trib.* Denique nec illis, quibus est animus fraudandi creditores, ullum dari beneficium ratio dictat.

5. Cæterum, cessa bona creditores non sibi habent, sed distrahunt, velut ex judicati causâ *l.* 4 *C. Qui bon. l. ult. d. Curat. bon. dand.*

6. Moribus hodiernis beneficium cessionis impetrandum est à Principe, vel à Curia suprema, & est difficilis expeditionis. Gudel. 4. *de jur. noviss. c.* 16. *Stat. Fris. l.* 3. *t.* 31.

7. Possunt quidem obærati suo arbitratu bona creditoribus derelinquere, verum hic non competunt, ea quæ diximus, beneficia juris. Ejusmodi simplicem derelictionem vocant *abandon*, & est tam frequens, ut eundem usum, quem jure civili habet ipsa cessio, fere apud nos obtineat.

8. Justinianus cedendi necessitatem remisit iis, qui bonam copiam ejurarent, hoc, est, jurejurando adfirmarent, se, nec habere unde solvant, neque fecisse, quo in eum statum devenirent *Nov.* 135. *c.* 1. sed hæc constitutio nusquam recepta est.

9. Cæterum, est voluntatis cedere bonis, nemo ad hoc cogi potest, *l.* 2. *C. h.* adeo ut perperam agant Creditores, qui contendunt, ut debitor condemnetur ad cedendum, vel ad bona relinquenda; executionis media urgere debent, voluntatis actum extorquere non possunt. Vide tamen ad *tit. de Curat. bon. dand. in fin.*

TIT. IV.

Quib. ex cauſis in poſſ. eat.

SI debitor non cedat bonis, verum latitet, neque ſe defendat, mittuntur creditores in poſſeſſionem bonorum ejus.

2. Miſſio in univerſa bona fit ob tres cauſas, legatorum, ventris nomine (de his dictum) & rei ſervandæ gratia *l.* 1. *h.*

3. Ob rem ſervandam mittuntur creditores ex duplici Edicto atque decreto. Primo cuſtodiæ cauſa, ſi non conſtet, debitorem animo fraudandi latere *l.* 2. *pr.* §. 1. alterum eſt diſtractionis ergo, ubi de animo fraudandi conſtat *l.* 7. §. 1. & ſi ab initio fraus liqueat, edictum diſtractionis ſtatim obtineri poteſt *d.* §. 1. & *ſeqq.*

4. Ita liquet primum & 2. decretum, quod *de damno* infecto dari ſupra intelleximus, ab hoc duplici decreto eſſe diverſum, ſecus ac *DD. comm.*

5. Miſſio autem prodeſt omnibus, etiam contra quos non latitavit debitor *l.* 7. §. 7. *h. l.* 12. *pr. d. reb. aut. jud. poſſ.*

6. Datur etiam creditori conditionali *l.* 6. *h.* Imo non datur *l. pen.* §. *ult.* ſcil. ex Edicto primo, quoad effectum diſtractionis, quod non competit ante exiſtentem conditionem, ſed cuſtodia datur ipſi, ex *d. l.* 6.

7. Denique hanc poſſeſſionem longe diverſam eſſe ab eâ, quæ fuit *in tit. d. acq. poſſ.* ſatis evidens eſt, *vid. l.* 3. §. *ult. d. acq. poſ.*

TIT. V.

De reb. aut. jud. poſſ.

MIſſio in poſſeſſionem tribuit creditori pignus prætorium *l.* 12. *pro empt. l.* 1. 2. *C. d. præt. pign.* cujus effectus eſt diſtractio bonorum, etiam quæ jure uſu-

usufruct. & emphyteuseos tenentur, quatenus debitor jus in illis habet *l.* 8. *pr.*

2. In bona pupillorum & furiosorum fit quidem missio sed vendi nequeunt *l.* 7. §. 9. 10. *Quib. ex caus.* nisi propter æs alienum, & causâ cognitâ, si utilis sit ipsis venditio *d. l.* 7. §. 11. & 12. quod & de minoribus intelligendum *l.* 5. *h.*

3. Municipiorum quoque bona vendi possunt ob debitum universitatis *l.* 15. §. 27. *d. damn. inf.*

4. Cæterum, missio cunctis prodest creditoribus, modo intrà biennium, vel absentes intra quadriennium debita declarent sua *l. fin. C. de bon. auct. jud. possid.*

TIT. IV.

De Separationibus.

BOnis destitutis sæpe fit separatio, quæ est beneficium, quo creditores defuncti petunt, ut bona mortui dividantur à bonis heredis obærati, ut sibi soli is exinde satisfiat *l.* 1. §. 1. *h.*

2. Tantum habet locum in debitis mere personalibus, quamvis ex die vel sub conditione debeantur, *l.* 4. *pr. h.* Nam hypothecarii ipso jure sic distinguuntur; ut creditores, qui bona defuncti habent obligata hypothecæ, in iis præferantur heredis creditoribus, etsi primo auditu παράδοξον hoc videatur, ut ex iis, quæ in utramque partem à Sandio *lib.* 3. *tit.* 12. *def.* 17. proferuntur, apparet.

3. Sed ratio est, quoniam hypotheca est jus in re, quod semel in rebus defuncti stabilitum iis eximi non potest. Quæ ratio cum cesset in personalibus, sequitur hujusmodi creditores, qui cum defuncto contraxerunt, concurrentes cum creditoribus heredis, hisce non præferri, nisi petierint separationem, de qua loquimur.

4. Qua petitâ, si quid ex defuncti rebus supersit, hoc sine dubio pertinet ad heredem ejusve creditores,

at ipsis si quid deficiat, & ex rebus heredis aliquid superfit ad illas non habent actionem *l.* 1. §. 17. *& l.* 5. quod tamen corrigitur in *l.* 3. § *ult. eod.*

5. Cessat hoc beneficium, cum hereditas bona fide distracta *l.* 2. *b.* vel res hereditariæ bonis heredis mixtæ sunt, *l.* 1. §. 12. creditoresque de *integro* cum herede contraxerunt *d. l.* 1 §. 10. *&* 11. denique post quinquennium ab aditâ hereditate *d. l.* 1. §. 13.

6. Negatur etiam creditoribus heredis, quoniam his nihil novi accidit, de quo conqueri possint; at creditores defuncti inciderunt in hæredem, cum quo prius nihil egerunt, & cujus ære alieno non est quod implicari se patiantur *l.* 1. §. 1. *& seqq. b.*

7. Tu dices; Nonne, si heres oneroſam hereditatem adeat, id grave est ejus creditoribus? *Ut ut sit*, tamen est ita, quod quilibet debitor novo ære *alieno* conditionem sui creditoris facere possit *deteriorem*; hic ipsum, ut libet, urgere viciſſim potest ad solutionem *d. l.* 1.

8. Cæterum, si quidam ex creditoribus beneficium separationis non petant, hi creditoribus heredis connumerantur *d. l.* 1. §. 16.

TIT. VII.

De Curat. bon. dand.

Missione factâ, Prætor Curatorem bonis constituit, ex consensu creditorum & ipsius consensu, nam invitus non cogitur, quia non est munus publicum; nisi ex magna causa *l.* 2. §. 3. *b.* Sand. 2. 9. 11.

2. Ferè eandem habent potestatem in *bonis* possessis, quàm Curatores alii in bonis minorum, eandemque culpam præstant creditoribus; imo leviſſimam *l.* 22. §. 10. *ff. Mand.* licet respectu debitoris,

ris, non nisi de latâ teneantur *l.* 2. *pr.* & §§. *seqq. l.* 9. §. 5. *d. reb. aut. jud. poss.* Finis ejus est, ut bona tandem distrahat, singulisque creditoribus satisfaciat *l.* 2. §. 1. *b.*

3. Ejusmodi Curator non tantum constituitur, si debitor latitet, verum & si bonis forove cesserit *d. l. ult.*

4. Quin & si in medio adhuc versetur, sed omnia negligat & σύγχυσις creditorum ac confusio rerum fiat, res vult, ut Curator bonis detur, & in eum finem creditores adversus eum agere possunt, ut fit.

TIT. VIII.

De his quæ in Fraud. Cred.

CIrca missionem in bona debitorum frequens est quæstio, de his quæ in fraudem Creditorum alienata sunt. Si hoc post missionem decretam sit factum, habent creditores chirographarii utilem hypothecariam ex pignore Prætorio *l.* 2. *C. d. præt. pign.* Si ante, habent Paulianam, de qua diximus ad *tit. de Action. n.* 22. & *seqq.*

2. Qui ignarus est fraudis non tenetur, inquam, nisi lucrativo titulo rem nactus *l.* 6. §. 9. & 11. *b.* qualis non est dos *l.* 56. §. 1. *d. jur. dot. l.* 20. *C. eod. l.* 21. §. 1. *d. don. int. vir.* & *ux. l.* 15. *d. O.* & *A.* nec etiam sponsio. Sand. *lib.* 3. *tit.* 13. *def.* 2.

3. Sed nec creditor, qui sine gratificatione aut vi suum ante missionem occupavit; tenetur *l.* 10. §. 1. *l.* 24. *b.* nisi hypothecam habeant alii potiorem; quo casu extantem pecuniam vindicare possunt *l.* 3. *quod cum eo qui in alien. pot.* de consumptâ nemo nisi fiscus agere potest *l.* 18. §. *ult. d. jur. fisc.* item creditores in casu, quo heres inventarium fecit & præponere solvit *l. ult.* §. 6. *c. d. jur. delib.*

5. Alienasse etiam videtur, qui oppignoravit *l.* 10. §. 13. quique alio genere modoque hypothecæ fecit, ut quidam creditores jus potius haberent, *l. 2. h. t. l.* 10. §. 13. & *l.* 22. *h. t.*

6 Ex. gr. si creditoribus hypothecas, privatas habentibus dederit publicum crediti & hypothecæ instrumentum, cujus vi aliis creditoribus tempore quidem prioribus sed privata instrumenta habentibus, præponantur, juxta *L. Qui Scripturas C. Qui pot. in pign.* idque paulò antequam debitor bonis cederet. Sand. *lib.* 3. *tit.* 13. *defin.* 1.

7. Fraus quoque fit in tempore *l.* 10. §. 12. *l.* 17. §. *ult. h.* sed non alienat, qui jus sibi competens repudiavit *l* 6 *pr.* & §§. *seqq. h. t. l.* 83. *d. R. I. l.* 19. & 20. *h. t.* Sand. *lib.* 3 *tit.* 13. *def.* 3.

8. Denique, adde, quod heres Actione fraudatoria non teneatur, nisi quatenus pervenit *l.* 10. §. *fin.* & *l. seq h. t.*

LIB. XLIII.

TIT. I.

De Interdictis, sive de extraordin. action. &c.

Dictum est antehac de actionibus ad jura, quæ patrimonium nostrum efficiunt, pertinentibus; sequitur nunc de remediis possessoriis, quæ non plenum jus tribuunt victoribus, sed tantum efficiunt, ne homines in detentione rerum, quæ ad ipsos pertinent, turbentur, aut impediti ut vindicentur. Hæc Interdicta vocantur, de quibus actum ad *Inst. l.* 4 *tit.* 15.

2. *Etsi autem interdicta proprie locum hodiè non habeant, tamen ad exemplum eorum res agitur*, scriptum est

est in *l.* 3. *C. de Interd.* & quotidiana praxis hodieque ad similitudinem antiqui ordinis prætorii exercetur; maxime ubi de retinenda possessione quæritur, quod vulgo *maintenue.*

3. Nam quando quis turbatur in sua possessione, statim implorat judicis officium, qui se confert ad locum contentiosum, ibique causa raptim cognita, pronuntiat & turbanti interdicit, diemque præscribit, quo, si gravari se putet, judicio experiatur.

4 Prius illud vocatur summarissimum & posterius summarium, quatenus omne possessionis judicium ejusmodi est, ut *dix. n.* 3. *Inst. b.*

5. Sed quia in plerisque foris judicia possessoria, quando ut actiones introducuntur, ordinariis dilationibus aguntur; hinc magis usitata est distinctio in possessorium plenum & summarium, quam in summarium & summarissimum.

6. Hactenus tamen possessoria plena hodieque summaria esse debent, quatenus in iis semiplena probatio sufficit, nam hæc differentia non est ab ordine procedendi, sed à natura negotii, quæ non est mutata. Diximus *d. n.* 3.

7. Species interdictorum è divisionibus noscuntur, quarum summa hæc est; sunt vel de vera, vel de quasi possessione; quæ de vera, sunt vel adipiscendæ, vel retinendæ, vel recuperandæ *l.* 2. §. 3. adipiscendæ sunt iterum vel prætoria vel imperialia: prætoria, quorum bon. quod legat. de rab. exhib. de gland. leg. Salvianum &c.

8. Imperialia, veluti in *l.* 3. *C. d. pign.* quod respondet actioni hypothecariæ, quemadmodum actioni Servianæ, respondet Salvianum. Aliud est in *l.* 3. *C. d. Edict. D. Hadr. toll.*

9. Retinendæ possessionis sunt, uti possidetis, utrubi, de superficiebus, quod vi aut clam, de arboribus cædendis & de migrando.

10. Recuperandæ sunt civilia vel canonica; civilia

sunt prætoria vel imperialia; prætoria, ut unde vi, precario & fraudatorium, quod respondet Paulianæ *l. 67. §. 1. ad Sct. Treb. l. 96. d. Solut.*

11. Imperatoria sunt in *l. 5. 6. 7. 8. pen. & ult. C. und. vi.* quæ sunt de restituenda ab invasoribus possessione rerum immobilium & æstimatione earundem.

12. Canonica sunt ex *Can. redintegranda. 3. caus. 3. quæst. 1.* Ex *cap. sæpe à. d. restit. spoliat.* de quibus ad *d. tit. Inst. n. 34. & seqq.* Divisiones alias vid. in *l. 1. & 2. b. & in Inst.*

TIT. II.

Quor, bonor.

HOc interdictum ita dictum à primis verbis, quibus Prætor usus fuit, respondet hereditatis petitioni, maximè possessoriæ, de quâ ad *d. tit. n. 14. & seqq.*

2. In casu testamenti datur speciale remedium ex *l. ult. C. de Edict. D. Hadr. toll.* per quod is, qui tabulas testamenti septem testibus signatas neque vitiatas ostendit, mittitur in possessionem rerum hereditariarum, & si contradictor sit, lis quam citissime finienda est *d. l. ult.*

3. Eundem effectum habet interdictum *Quorum bonorum*, sive è testamento sive ab intestato quis heres *sit, omnibus frustrationibus amputatis, l. f. C. Quor. bon.* modo proximum se esse probaverit *l. 1. eod. tit.*

TIT. III.

Quod Legat.

LEgatarius sponte rem legatam occupans (*sine vi* tamen, ne locum habeat sanctio *l. 13. quod met. causa*) tenetur hoc interdicto ad restituendam heredi rem legatam, unde Falcidia detrahatur *l. 1. §. 2.* modo heres caveat, legati dodrantem restitutum iri *l. 1. §.*

16. &

16. & *seqq. h. t.* quod & in donatione mortis causa obtinet *l. pen. C. ad L. Falc.* nisi jam donatarius possideat rem eamque à vivo donatore sit nactus. Sic cape *l.* 1. §. 5. *h. t.*

2. An & legatarius & fideicommissarios habent interdictum, quo possessionem rei legatæ adipiscantur? Hoc utique præsens interdictum eo non pertinet. Nec ullum aliud in toto jure proditum est. Puto tamen, si legatarius rem legatam possideat sine vitio, & turbetur, habiturum eum uti possidetis interdictum, per *l.* 8. *Pro legat.*

3. Quod si heres rem non possideat, forte an legatarius eam sine vitio occupare posset *d. l.* 8. at non in concursu heredis, è cujus manu ipse legatum petere debet, etsi enim dominium directè & immediate habet *l.* 64. *d. Furt.* possessio tamen ab herede præstanda est §. 1. *Inst. de legat.* vid. *l.* 24. *d. R. Vind.*

TIT. IV.

Ne vis fiat ei, qui in poss. missus erit.

HOc interdictum est pro iis, qui à Prætore sunt missi in possessionem, propriamque habet naturam. Etenim reliqua sunt de possessione, quam tradit *tit. d. acq. poss.* hoc autem est de possessione custodiæ causa, de qua in *l.* 3. §. *ult. eod.*

2. Denique, hoc & de retinenda & de recuperandâ possessione est, diverso tamen respectu: retinendæ, si quis turbare velit missum in possessionem; recuperandæ, cum idem dejectus est *l.* 1. §. 1. & 3.

3. Actio ex hoc interdicto datur pœnalis, quanti ea res est, ideoque annalis est, cum reliquæ in factum actiones de interdictis sunt perpetuæ; nec in heredes hæc transit, nisi quatenus pervenit, excepta Legatorum causâ, quæ est perpetua & datur in heredes simpliciter, eo quod hi satisdatione interdictum evitare possint *l.* 1. *pr.* & §. *ult. h. t.*

4. Non

4. Non ſemper opus eſt interdicto; ſed prætor in cauſa liquidâ jure poteſtatis ſuæ extrà ordinem decretum ſuum exequitur, nonnunquam etiam per manum militarem *l.* 3. *in pr. h. t.*

TIT. V.

De Tab. Exhib.

TAbulas ultimarum voluntatum, is, cujus intereſt hoc interdicto petit exhiberi, ſeu valeant, ſeu imperfecta ſint *l.* 1. §. 3. & 5. nempe quod ad ſolennia juris; nam ſi viſibilis ſit imperfectio, ut ſi tabulæ careant ſignis, ceſſat hoc interdictum *l.* 6. *ad L. Cornel. de Falſ.*

2. Datur etiam poſt annum; in heredes tamen non datur, niſi & ipſi poſſideant, aut dolo poſſidere deſierint, in id quod intereſt *l.* 1. *pr. l.* 3. §. *pen. & ult. l.* 12. §. *ult. Ad exhib.*

TIT. VI.

Ne quid in loco ſacro fiat.

TIT. VII.

De locis & itineribus publicis.

TIT. VIII.

Ne quid in loco publico vel in itinere fiat.

HOrum titt. ſenſus ex rubricis intelligitur. Dantur enim adverſus eos Interdicta, qui aliquid locis ſacris publiciſque & inprimis, itineribus detrimenti vel incommodi adferunt, partimque ſunt prohibitoria, ne faciant, partim reſtitutoria, ut id quod factum eſt, in priorem ſtatum reſtituant; danturque cuilibet ex populo.

2. Loca publica ſunt: quorum ſolum publicum eſt.

Via

Via publica vocatur etiam regia & Consularis, Prætoria & militaris *l. ult.* §. 1. *tit.* 7. *l.* 2. §. 22. *tit. seqq.* Via privata est, quæ à fundo ad fundum, vel a via publica ad privatum ducit fundum *d. l.* 2. §. 22.

3. Ad has species possunt quoque referri *vicinales*, quæ in vicos ducunt. Hæ sunt publicæ, nisi ex agrorum privatorum collatione sint factæ; tum enim sunt privatæ, *d.* §. 22. & tamen hæ quoque publicæ habentur, si collatio memoriam hominum excesserit *l.* 3. *de loc. & itin. publ.*

4. Si quid in re communi, velut in mari, sit factum, utile interdictum datur ei cui id nociturum sit, *l.* 2. §. 8. *h.* atqui prohibetur usu rei communis vel publice, huic injuriarum est agendum, *l.* 2. §. 1. *Tit.* 8.

TIT. IX.

De loc. publ. Fruend.

PEr hoc defenduntur conductores publici, maxime agrorum, ne quis turbet eos in jure suo exercendo.

TIT. X

De via publ. & si quid in ea factum dicetur.

TIT. XI. *De via publica & itinere publico reficiendo.*

HÆc prohibitoria sunt, ne quis impediat eos, qui viam publicam reficiunt, quod unicuique juxta suum prædium incumbit faciendum, ipsis Dominis, non conductoribus, ut apud nos ferè *l. un.* §. 3. *tit.* 10.

2. In eum qui viam publicam *rejecit*, id est, amovit, in hunc viæ rejectæ actio dabitur. *l. fin. tit.* 11.

3. Viam publicam præscriptioni exemptam esse docet *l.* 2. *tit.* 11.

TIT

TIT. XII.

De Fluminibus, ne quid in flumine ripave ejus fiat, quò peius navigetur.

TIT. XIII. *Ne quid in Flumine publico fiat, quò aqua aliter fluat, atque uti prioribus æstate fluxit.*

TIT. XIV. *Ut in flumine publico navigare liceat.*

TIT. XV. *De Ripâ muniendâ.*

HÆc interdicta sunt prohibitoria in eum sensum, quem Rubricæ præferunt. Extenduntur etiam ad lacus, fossas & stagna publica.

2. Lacus est, quod perpetuam habet aquam. *Stagnum*, quod temporalem. Fossa, receptaculum aquæ, manu factum *l. un.* §. 3. 4. 5. *Ut in flum. publ.*

3. Porro ripam agrumque suum juxta flumen munire cuilibet licet, modo navigationem deteriorem ne faciat, & de damno infecto in annos x. caveat. *l. un. pr.* §. 1. & §. *dabitur d. rip. mun.*

TIT. XVI.

De Vi & vi armata.

HUjus Interdicti expositionem dedimus ad *tit. Inst. de Interd. n.* 25. *& seqq.*

2. Copia hujus remedii prompte datur, antequam de proprietate quæratur, juxta dictum juris canonici: *Spoliatus ante omnia restituendus, cap. sæpe x. de rest. spoliat.* juri civili æquè consentaneum *l.* 6. §. 1. *C. Unde Vi. & l.* 2. *d. Probat.*

3. Re-

3. Remedium ex *d. C. ſæpe* in eo diſtat ab Interdicto nde vi, quod etiam adverſus tertium poſſeſſorem da-ir.

4. Imo habent Pontifices aliud locupletius ex *can. dintegranda cauſ.* 3. *Quæſt.* 1. quod datur de recupe-ndâ poſſeſſione tam mobilium quam immobilium re-im, etiam ſine vi adempta poſſeſſione, & contra ter-um quoque, non tamen bonæ fidei poſſeſſorem, naximè habentem cauſam ab auctore non vicio-o. Gail. 2. *obſ.* 75. *n.* 11. Sand. *l.* 5. *t.* 4. *def.* 1. *verſ. ec huic.*

5. In Friſiâ contenti ſumus jure civili, neutrum Ju-is Pontificii remedium uſurpamus, Sand. *d. loc.*

6. Datur & petitorium ex cauſâ violentæ invaſionis udicium, de damno dato in duplum *l.* 7. *C. Unde Vi.*

7. Datur & condictio poſſeſſionis ei, qui ſine vi poſ-ſeſſionem amiſit *l.* 15. §. 1. *d. condict. indeb.* ubi varia exempla, & eſt aliud in *l.* 12. §. 1. *d. condict. furt.*

TIT. XVII.

Uti poſſidetis.

HOc interdictum tuetur poſſeſſorem rei immobilis, non poſſidenti non datur *l.* 1. §. 4. *b.*

2. Qui victus eſt in poſſeſſorio, is non poteſt appellare *l. un. C. ſi â mom. poſſ.* ſed ad petitorium tranſire debet.

3. Interim ſententia hujus interdicti minime eſt interlocutoria, ſed definitiva *l.* 35. *d. acq. poſſ. l.* 13. *C. d. R. V. l.* 3. *C. d. interd.*

4. At in foro ſecundum jus Canon. appellatur in interdictis, quod ad devolutionem cognitionis, non etiam quoad ſuſpenſionem executionis.

TIT.

TIT. XVIII.
De Superfic.

SUperficies hoc loco est ædificium in solo alieno; cujus tuendæ causa datur interdictum uti possidetis, quemadmodum & utilis in rem actio *l.* 1. §. 3. *b. t.*

TIT. XIX.
De itin. actuque priv.

HUic interdicto speciale est, quod non tantum detur, ad tuendam quasi possessionem itineris vel actus, sed quod etiam de jure pleno & quasi de proprietate competat *l.* 3. §. 13. *l.* 5. §. *pen. b.*

TIT. XX.
De aqua quotidiana & æstiva.

Tit. XXI. *De rivis.*
Tit. XXII. *De fonte.*
Tit. XXIII. *De Cloacis.*

HIs titulis traduntur Interdicta, quibus prohibentur qui usum fontis, rivi, cloacæ, aut aquæ cottidianæ & æstivæ impediunt. Quotidiana aqua est, qua adsiduè utimur. Æstiva, qua æstate tantum *l.* 1. §. 3. & 4. *tit.* 20. Rivus est locus per longitudinem depressus, quo aqua decurrit *l.* 1. §. 2. *tit.* 21. Cloaca locus cavus, per quem colluvies quædam fluit *l.* 1. §. 4. *b. t.*

TIT. XXIV.
Quod vi aut clam.

QUi in alieno solo vi, aut clam fecit opus, is hoc interdicto cogitur restituere, hoc est, removere opus factum, cum fructibus & eo quod interest *l.* 11. §. 4 *l.* 15. §. 7. *b. t.* Vi facit, cui denuntiatum est, ne faceret;

ret; clam, qui, cum deberet, non denuntiavit *l.* 1. *pr.* §. 2. 5. *l.* 3. §. 7. *& ſeqq. h. l.* 73. §. 2. *d. R. I.* Ad ſuperficiem, ut ſunt fructus arborum, non pertinet hoc interdictum *l.* 7. §. 5.

2. Datur hoc ei, cujus intereſt, opus non eſſe factum *l.* 11. §. 10. 12. *ult. l.* 13. *pr.* §. 3. & 4. etſi non poſſideat *l.* 16. *in pr. eod.* adeoque & heredi *l.* 13. §. 5. In heredem & poſt annum, quantenus pervenit *l.* 15. §. 3. Locator ex facto conductoris non tenetur, ſed actionem adverſus eum cedere debet *l.* 15. §. 1. *h. t.*

3. Datur, inquam, in eum, qui opus fecit, aut juſſit, vel cujus familia fecit *l.* 5. §. 8. *l.* 7. §. 1. *eod.* etiam in heredes *d. l.* 5. §. 9. at ſemper adverſus poſſeſſorem operis *l.* 15. *pr.* idque ſive jus habuerit opus faciendi; ſive non habuerit: ſufficit enim, vi vel clam feciſſe; contentus eſſe debuerat, ſuum jus tueri *l.* 1. §. 2. *h. t.*

4. Datur, etſi Præſes opus in loco publico fieri permiſerit *l.* 3. §. 4. *h. t.*

5. Intentio, inquam, actoris heic eſt, ut reus ſuis ſumptibus quod factum eſt, reſtituat; hoc eſt, in antiquum ſtatum reponat, deſtructo opere, quod vi clamve fecerit; hoc ita, ſi reus poſſideat opus: ſi non poſſideat, curare debet, ut a poſſeſſore reſtituatur, cum fructibus & eo quod intereſt *l.* 11. §. 4. *l.* 15. §. 7. *& ult. l.* 16. §. *f. h. t.*

TIT. XXV.

De Remiſſionibus.

HUjus rubr. ſententiam habuimus in tit. de Operis Novi Nunciatione. Superius videlicet interdictum ceſſat, ubi nuntiatio, quod alius vi clamve faciat opus, remiſſione ſublata eſt. *l.* 7. §. 2. *Quod vi aut clam.*

TIT. XXVI.
De Precario.

HOc interdictum datur, ad repetendum id, quod datum est, hac lege, ut reddatur quandocunque libet concedenti. Nam precarium est, quod precibus utendum petenti conceditur, donec is qui concessit, licet hic non possideat *l.* 18. *h.* patitur *l.* 1. *pr. l.* 2. nec valet ad certum tempus, *l.* 12. *h.*

2. Interdictum & heredi & in heredem datur *l.* 8. §. *ult. l.* 12. §. 1. quanquam jus precarii apud heredem non intelligitur esse *d. l.* 12. §. 1. cum quâ confer *l.* 4 *locat.*

3. Quin & novo domino, re alienatâ, competit, etiam ut videtur, adversus tertium *l.* 8. §. 2. *h.*

4. Actio civilis de precario nulla competit, quia non est contractus *l.* 14. actio quidem præscriptis verbis datur in *l.* 2. §. 2. *in f. l.* 19. §. 2. *h.* at hæc non est è contractu innominato, sed ea bono & æquo, cujusmodi vagæ & extraordinariæ præscriptis verbis actiones dantur, ut ad *tit. d. præscr. verb.* diximus.

5. Denique culpam, nota, latam hic præstari duntaxat. *l.* 8. §. 3. *h.* nec esse Precarium rei suæ quâ talis, *l.* 4. §. 3. junctâ *l.* 6. §. *ult. h.*

6. Si res non restituatur, fit condemnatio, quanti actoris interest, cum omni causâ, ut ad *tit. d. præscr. verb.* diximus, & cum fructibus à tempore interdicti *d. l.* 8. §. 3. 4. & 6.

TIT. XXVII.
De arbor. cæd.

HOc interdicto defenditur is, qui arbores alienas in ædes suas propendentes succidit *l.* 1. *pr.* nisi enim dominus arboris id faciat, monitus à vicino, cui arbor nocet, huic permittitur, eam à stirpe excindere ligna-

ignaque tollere *d. l.* 1. §. 1. ſed in agris ferenda eſt arbor aliena, modo non minusquàm quindecem pedibus in altum diſtet à fundo vicini *d. l.* §. 7.

TIT. XXVIII.
De *Gland. Leg.*

PRohibentur hic impediri, qui fructus ex ſua arbore in alienum fundum prolapſos tertio quoque die tollere ſatagunt, *l. un. pr. h.* Per glandem, quilibet fructus intelligitur *l. un.* §. 1. *h.* Alienum quidem non licet ingredi, prohibente domino *l.* 16. *d. Servit. ruſt.* at ob rem ſuam recuperandam licet *h. l.* & *l.* 15. *ad Exhib.*

TIT. XXIX. & XXX.
De Hom. lib. exhib. & de Lib. exhib.

PRius interdictum datur omnibus ad exhibitionem omnium liberorum hominum *l.* 3. §. 9. poſterius tolis patribus datur, propter liberos in poteſtate eorum conſtitutos, quamquam ob gravem cauſam mater præferri poteſt, *l.* 1. §. 3.

2. Uxorem quoque à marito prætextu patriæ potestatis hodie pater abducere non poteſt *l.* 1. §. 5. *h. t.* Olim ecus erat. Cujac. *parat. h.* quin hodie maritus ad exhibendam ducendamque uxorem adverſus ſocerum agere poteſt *l.* 2. *h. l. ult. C. h. t.*

TIT. XXXI.
Utrubi.

HOc interdictum nihil differt ab Uti poſſidetis, niſi ſubjecta materia, quæ hic eſt de mobilibus, illic de immobilibus rebus. *tit. Inſt. de Interd.* §. 35.

TIT. XXXII.

De Migrando.

INquilinus, qui solutâ mercede, à Domino *prohibetur* res suas exportare, quæ pignori pro mercede obligatæ sunt; mercede jam solutâ vel oblatâ, habet hoc interdictum *l.* 1 *pr.* & §. 1. estque perpetuum, daturque heredi & in heredem *l.* 1. §. *ult.* si gratuita sit habitatio, competit utile interdictum *l.* 1. §. 3.

TIT. XXXIII.

De Salv. Interd.

QUid sibi velit hoc interdictum, vid. ad d. *tit. Inst. de Interdict. n.* 13. *& seqq.*

LIB. XLIV.

TIT. I.

De Exceptionibus & Præscriptionibus & præjudiciis.

TRia membra hujus tituli exhibet rubrica. Primum de exceptionibus, de quarum etymologia, definitione & divisione in parte I. habuimus.

2. De modo & tempore opponendi exceptiones pauca addemus. Scil.

3. Opponendæ sunt exceptiones dilatoriæ ante litem cont. quæ vel judicium vel personas judicium constituentes spectant *l. pen. & ult. C. h.* tales sunt exceptio incompetentiæ, prærentionis, judicis suspecti, loci non tuti, feriarum, termini nimis angusti, juxta *auth.* offera

Feratur C. d. lit cont. item contumaciæ, quod quis in idicio ſtare nequeat, de quibus Vinn. ad *tit. Inſt. de Exep.* § 11.

4. Sed dilatoriæ, quæ ſpectant cauſam, quales ſunt xceptio plus petitionis, pacti temporalis, litis penentis, ordinis ſive excuſſionis, & ſimiles, eodem empore opponendæ ſunt, quo reliquæ peremptoriæ, oc eſt, quavis parte judicii, quamdiu in causa non eſt onclusum *l.* 2. *C. d. ſent. non reſc. l.* 4. *l.* 9. *C. de Except.* 15. §. 1, *d. Fidejuſſ.* modo in ſtrictis judiciis conteſtalo illatum fiat ab initio *l.* 8. 9. *C. b. l.* 9. *C. de Præſcript. ng. temp.* quæ in B. F. judiciis non eſt neceſſaria *d. l.* . & *d. l.* 14. quoniam his exceptiones ipſo jure inſunt, x regula juris antiqui *l.* 3. *d. reſcind. vend. l. f. d. Heed. pet.*

5. At in ſtrictis judiciis, quod non erat formulæ à rætore inſertum, ejus judex rationem habere non oterat. dix. *in Prælect. ad tit. de Action. n.* 18. atqui rætor exceptionem formulæ addere non poterat, niſi onteſtatam.

6. Jure novo, ſublatis formulis & judicibus datis, lud diſcrimen actionum b. fidei & ſtrictarum puto ſubatum eſſe, non obſtante *l.* 18. *Comm. divid.* ex quâ Vinnius ad *tit. de Except.* §. *ult. n.* 5. adhuc idem vult obinere. Loquitur enim de jure actoris, ut *l.* 23. *d. Judic.* ec ad defenſiones cauſæ jam in judicium deductæ perinet.

7. Cæterum, oppoſitio exceptionis peremptoriæ acit litis conteſtationem ſine dubio.

8. Secunda pars Rubr. eſt de præſcriptionibus, quæ æpe pro exceptionibus ſumuntur; hic autem reſtringuntur ad eas, quæ à tempore deſumuntur, de quibus *it.* 3. *infra Vid. Prælect. ad tit. Inſt. de Excep. apr.*

9. Tertia pars inſcribitur, de præjudiciis, quæ ſunt xceptiones, per quas excluditur actio, hac ratione, uod præpoſtere inſtituatur, futuræque actioni faciat ræjudicium *l.* 12. 16. 18. nec enim ad præteritum ju-

dicium pertinet, *l.* 13. *h.* velut, si quis familiæ erciscundæ velit agere: antequam declaratus sit hæres.

TIT. II.

De Except. Reijud.

RES judicata parit actionem & exceptionem, & hæc frequentior est illâ; nec enim actio locum habet, nisi incerta sit sententia ob incertitudinem rei, de qua litigatum fuit, ut dix. *adtit. de re judic.*

2. Exceptio rei judicatæ datur ei, qui conventus non ait, se non obligatum, sed ab judice absolutum esse, & habet locum, quotiens eadem res, inter easdem personas, ex eadem causa in judicium deducitur, *l.* 3. & 4. *l.* 12. 13. 14. *h.*

2. Res dicitur eadem, quando & pars ejusdem rei petitur *l.* 7. multò magis, qui partem petens *repulsus* est, si totum petat, excluditur; vel qui *parte rei* corporalis sibi cum alio legatæ quia idefecit petitâ, dein alteram petit collegatarius quod secus est in usufructu legata, *l.* 33. §. 1. *d. usufr. l.* 14. §. 1. *h.*

4. Personæ eædem sunt, non modo defunctus & hæres, Dominus & procurator, sed etiam auctor & emptor, debitor & sponsor *l.* 11. §. 7. 8. 9. & *ult. l.* 28. *l.* non mandatores ejusdem pecuniæ *l.* 52. §. 3. *d. Fidejus.* non cohæredes *l.* 22. *h.* sed in fideicommisso *graduali* primus & sequentes personæ, licet non heredes, pro iisdem habentur. Covarr. *pract. qu. c.* 13. *n.* 5. *in pr.* Carpzov. *p.* 1. *const.* 26. *def.* 16.

3. Quod ad causam, interest inter actionem in rem & in personam *l.* 14. §. 2. *h.* qui enim personaliter ex actione petiit, is repulsus, ex alia causa adhuc agere potest; Sed qui in rem simpliciter egit, etsi probationes ad causam donandi direxit, postea tamen ex causa venditionis aut simili agere nequit; quod tamen secus esse videtur, si donationis causam in libello expresserit *arg. d.* §. 2.

6. Imo

16. Imo hoc in personalibus de eadem re ex diversis causis agere licet *l. 5. h.* Resp. sic est, si actiones motum potius diversum quam diversam negotii originem contineant, ut exemplis patet in *d. l. 5.* item *l. 7. §. pen. & ult. cum l. seq.* Cæterum, qui in rem agit, nec obtinuit, eandem rem sine metu exceptionis condicere potest *l. ult. h.*

7. Quandoque in rebus & personis diversis obtinet hæc exceptio, si prior causa posteriorem actu extinguat. Ex: gr. obtinuisti querela inofficiosi adversus heredem, prodest tibi sententia & contra legatarios, quia sublato testamento legata intercidunt. Evicisti rem quam à possessore, prodest sententia & adversus creditorem, cui possessor eam obligaverat. *Vid. l. 63. d. Re Judic.*

8. Sunt qui docent, reum condemnatum, postquam solvit, denuo audiendum esse, quando condictione indebiti solutum repetit, sine metu hujus exceptionis, eo quod alia fit cognitio personarum, cum qui modo Reus, nunc sit actor *l. 14. in pr. h.* Ita Carpzov. *proceſſ. fit. 6. art. 3. n. 67. & ſeqq.* Struv. *adh. t. n. 21.* Probant ex *l. 10. §. 3. d. Edend. l. 31. d. jurejur.* Sed tu noli credere, rem enervandis judiciis repertam: & contrarium docent, *l. 36. ff. Fam. ex l. 60. pr. ff. l. 1. C. de condict. indeb.*

9. Hoc equidem verum est; si meritum actionis, quam nunc vis instituere, priore judicio non fuerit examinatum, poterit, etsi res sit eadem, non obstare judicati exceptio, *arg. l. 8. §. 2. d. Negot. gest. l. 6. h. t.*

10. Opposuit aliquis hanc exceptionem, ut litis ingressum impediret; rejecta est; quæritur, an deinde tanquam medium litis decisorium adhuc opponi possit. Existimo, posse; quia tantum est decisum, quod litis ingressum impedire non debeat, non quod omnino ejus ratio habenda non sit, ac ita recordor usu venisse. *arg. l. 9.*

11. Illud denique per se patet, non posse huic exceptioni locum esse, quando sententia à judice non competente

petente lata est, vel quando ab eo cis tempus legitimum est appellatum *arg. l. 4. §. 6. h. t.*

TIT. III.

De diverſ. temp. præſcr. & de acceſſionibus poſſeſſionum.

VOcem præſcriptionis hoc loco nihil aliud, quam exceptionem ratione temporis ſignificare, jam diximus. Sunt autem tempora, quibus actiones finiuntur, admodum varia, quemadmodum id aliàs ſatis explicatum eſt.

2. Exempli causâ ſint præſcriptio tridui, de qua in *l. un. d. gland. leg.* decem dierum in appellatione interponenda *Nov. 23. c. 1.* viginti dierum in *auth. offeratur. C. d. litis cont.* duorum & ſex menſium, in ædil. Edict *l. 38. d. Ædil. ed.* anni, biennii, triennii, quadriennii, quinquennii, decennii, vicennii & XXX. annorum. *De* quibus *ad tit. Inſt. de Perpet. & temp. act. n. 4. & ſequ.* quibus adde præſcriptionem biennii & quadriennii in *l. fin. C. de bon. auctor. jud. poſſid.* Denique & annorum XL. in certo caſu hypothecariæ, nec non L. annorum conditioni, qua repetitur, quod alea depeditum eſt *l. ult. C. d. Aleat.* Centum, contra eccleſiam Rom. quanquam *Nov.* 109. & 131. eccleſiis generaliter det XL. annos.

3. Parti ſecundæ Rubricæ ſatisfactum eſt *ſuprà ad tit. I. de Uſucapion.* Sunt enim acceſſiones poſſeſſionum nihil aliud, quam tempora, quibus ſucceſſores continuant poſſeſſiones ab anteceſſoribus inchoatas.

TIT. XIV.

De dol. mal. & met. except.

EXceptio doli & metus ex actionibus ejuſdem nominis ſatis intelligitur; hoc tamen intereſt: exceptio doli eſt perpetua & generalis *l. 12. h.* hoc eſt, cum aliis exceptionibus concurrere poteſt, cum actio ſit biennalis

biennalis & extraordinaria *l.* 5. §. *ult. b.* ubi & rationes differentiæ.

2. De dolo procuratoris ante lit. Cont. Exceptio non datur, nisi in rem suam sit, aut omnium bonorum *l.* 4. §. 18. ubi præsens dolus est, qui post lit. cont. committitur.

3. Differentia exceptionis, quod metus causa & doli habetur in *d. l.* 4. §. 33. nam is qui de dolo excipit, personam exprimere debet, quæ dolum admisit, quod secus in metu. Dolus merè personalem habet rationem; quocirca nec dolus venditoris nocet emptori, licet donatoris dolus noceat donatario, idemque discrimen in cæteris causis onerosis atque lucrativis obtinet *l.* 4 § 31. *h.t.*

4. Cæterum, ejus qui dolo deceptus est, respectu, est in rem exceptio, ut non quæratur, adversus quem commissus sit dolus, sed an in ea re dolo malo quid factum sit à parte actoris: ideoque rei cohæret hæc exceptio & fidejussori quoque prodest *l.* 7. §. 1. *d. Except.*

5. In hoc convenit cum actione de dolo, quod adversus parentem vel patronum non datur, ut pote fugillans eorum famam, sed adversus has personas in factum excipere oportet *d. l.* 4. §. 16.

6. Est & ubi replicatio doli datur, veluti adversus exceptionem Sti Macedoniani *l.* 4. §. 14. Sed contra doli exceptionem non datur replicatio doli, quia in pari causa reus est favorabilior *d. l.* 4. §. 13.

TIT. V.

Quarum rer. act. non datur.

PRoprie actio non datur, quæ est ipso jure nulla, sed hic, non dari dicitur, quæ exceptione peremptoria eliditur, ex ratione *l.* 112. *d. R. I.* vulgo per excellentiam quatuor exceptiones ad hanc classem referuntur, quas vocant litis finitæ, ut rei jud. transactionis,

nis jurisjurandi & præscriptionis. Sed dari plures decet hic titulus, ut in *l.* 2. §. 1. & 2.

2. Qualis, exceptio jurisjurandi; item Vellejani & Macedoniani Sti, ex quibus dantur exceptiones, & tamen actiones inde negari dicuntur *l.* 1 *d. Sc. Maced. l.* 2. §. 1. *d. Sc. Vellej.* Quæ autem hujus generis sunt, ut impediant litis ingressum, hæ post sententiam videntur rectè opponi posse, qualis est exceptio Sctorum, quæ dixi. *l.* 11. *ad Sct. Mac.* doli mali, qua petitur actio cedi *l.* 41. §. 1. *d. Fidej.* item, quod actio ipso jure sit extincta *l.* 4. §. *pen. d. rejud.* licet hæc proprie exceptio non sit.

3. Sed jurisjur. exceptio huc proprie pertinet, quatenus, cum juratum est, non quæritur amplius; an debetur, sed an juratum sit, ut dix. *ad* §. 11. *Inst. de Action.* adde *Pac. h. n.* 1. & *seqq.*

4. Est & exceptio, quæ huc refertur, quod onerandæ libertatis causâ factum; nam si patronus ejusmodi promissionem a liberto expresserit, de ea non datur actio *l.* 1. §. 5. & *seqq. h. t.* denique & exceptio, quod alea lusum sit, huc refertur in *l.* 2. §. 1. *h.* Plura exempla hic non memorantur.

TIT. VI.
De Litigiosis.

EXceptio Litigiosi datur Possessori, qui de re, quam tenet, litigat, adversus tertium, qui rem interim à petitore (non à Tertio) comparavit *l.* 1. §. 1. *h.*

2. Venditio quidem ipso jure valet. *arg. l.* 18. *d. R. V.* sed exceptione vim suam amittit. Sand. *de prohib. rer. alien. p.* 1. *c.* 9. *n.* 11. & *seq.*

3. Præterea, qui vendit ejusmodi rem potentiori, duplum adversario solvere cogitur *l. ult. h.* Lex *ult. C. h.* fisco duplum addicit, sed non loquitur de potentioribus; duplo autem continetur res & pretium *dd. ll.*

4. Emptor ignorans, pretium à venditore potest repete-

petere ac insuper trientem; sciens, prædium perdit & tum singuli mulctantur simplo *d. l. ult.*

5. Excipiuntur ab hac pœna alienatio per testamentum, ex causa dotis, donationis propter nuptias, transactionis & divisionis hæreditariæ *d. l. ult. in fin.*

6. Fit autem res litigiosa per citationem solam, vel libelli oblationem *Auth. Litigiosa C. de Litig.* sed per actionem hypothecariam vitium litigiosi non contrahitur *l. 1. C. eod. Sand.* 1. 12. 4.

7. Actiones personales litigiosæ non possunt etiam alienari, & fiunt tales post litem contestatam, non prius, ut omnes observant ex *l. 2. C. h. t.* quæ tamen diserte ait, actiones esse prohibitas alienari, de quibus ab actore lis mota est, sicut & alias tempus litis contestatæ refertur ad tempus motæ controversiæ, in *l. 25. §. 7. d. hered. petit.* scilicet, quibus casibus non tam novatio quam mala fides consideratur, in qua Reus constituitur, sola actoris intentione proposita.

8. Et quidem, venditio actionum litigiosarum ipso jure nulla est *d. l. 2.* cum res aliæ per exceptionem sint inutiles alienatu, ut *superius* dictum est.

9. Moribus hodiernis hunc *tit.* non servari monet Groneweg. *ad h. t. C.* Apud nos secus est & secundum hanc Rubr. judicatur.

10. Imo, si venditor rei litigiosæ hoc nomine condemnatus sit, res pendente lite alienata revocari potest, a tertio quoque possessore, sine novo processu, quamvis hic rem esse litigiosam ignoraverit *Sand.* 1. 12. 4.

TIT. VII.

De Obligationibus & Actionibus.

ENumeratio specierum loco generis clauditur. Post tot actionum formas, natura actionis ejusque matris, obligationis tractatur. Utrumque caput plenâ manu duabus rubricis exposuimus *ad Instit. tit. d. oblig. & altero.*

altero de action. quo lector & auditor æquus se remit patietur.

2. Hic adde, sis, divisionem, qua dicitur esse simplex vel multiplex obligatio: simplex, in qua una re est; multiplex, quæ continet plures. Denique, pura dicitur, vel causam habens. Causæ sunt quatuor species; conditio, dies, modus, accessio: & hæc rursus est personæ, vel rei; de quibus *vid. l.* 44.

3. Quinam obligari possint, regulâ tralatitia judicatur; possunt, qui non prohibentur; Rationes prohibendi fere habuimus ad *tit. Inst. de Inutil. stipul.* & de pupillorum obligatione *ad tit. I. de quasi contract.* & de minorum *ad tit. supr. de reb. eor. qui* alibique sparsim.

4. Actionem suam nemo invitus cogitur instituere. Sed Dd. huc trahunt *l. diffamari 5. C. de Ingen. manum.* ex qua volunt, eum qui aliquid jactavit in alterius præjudicium, sive ad rem vel ad personam ejus pertineat cogi posse, ut actionem suam instituat, vel perpetuum sileat.

5. Etsi autem ea non sit *d. l. diffamari* sententia, tamen nihil in foro frequentius est, quam usus hujus remedii, quanquam justæ causæ esse queant, ob quas à necessitate agendi actor excusetur, ut memini non semel esse judicatum. Quid enim, siquis dixerit pupillo suo nescio quid juris competere, neque tamen instrumentum probandi habeat in promptu?

6. Alium casum, quo cogitur aliquis instituere actionem, habebimus *ad tit. de fidejuss.*

Pars

Pars VII. Pandectarum.

LIB. XLV.

TIT. I.

De Verborum Obligationibus.

NOn est alia continuationis, quàm à Cujacio tradita ratio; quod stipulatio per se sola non subsistat, verum aliis contractibus adhæreat semper, iisque confirmandis reperta sit *l.* 5. *h. t.* Et hac de causâ in ultimum locum rejecta esse videtur.

2. In hoc tractatu de Verbor. obligat. ita versamur, ut breviter examinando repetamus ea, quæ ad Institutiones variis rubricis dicta sunt; nec occurrit, quid insuper ex hujus instituti ratione requiratur.

3. Nisi quod in facti obligationibus id quod interest evitari potest, si mora purgetur ante litem contestatam, implendo factum *d. l.* 84. *d. V. O.* hoc de pœna non videtur, sed ejus jus quæritur statim ac est commissa, id est, ubi casus extitit, quo pœna vi conventionis peti potuit *l.* 115. §. *ult. h. Wissenb. add. t. ff. th.* 13.

4. Quod sub pœna promissum est à defuncto, cuncti heredes, etiam qui pro suis partibus solverunt, tenentur ad pœnam, quia particularis solutio non est solutio, & is qui cessavit, coheredibus suis tenetur *l.* 5. §. *pen. & ult. b. t.*

TIT. II.

De duob. reis.

HUnc quoque titulum habes in parte I. sed abrogatum esse magna ex parte, ut ait Gronewegius, tu credere noli. Utique apud Frisios nequaquam.

TIT.

TIT. III.
De Stip. Serv.

ETiam de hoc capite fat dictum in Inſt. & obſoletum eſſe cum ſervis palam eſt.

LIB. XLVI.

TIT. I
De Fidejuſſor.

FIdejuſſionem, de quâ diximus in parte I. eſſe acceſſoriam obligationem, res loquitur indicx *l.* 1. *h. t. l.* 3. *pr. d. ſepar.* non obſtante *l.* 95. §. 3. *d. Solut.* ubi fidejuſſio dicitur principalis obligatio, *propter* reſtitutionem in integrum, quæ de fidejuſſione data fuit. Vel potius, quia fidejuſſor heres extitit debitori.

2. Sicut Fidejuſſor ſemel datus, invito creditore, nunquam citra ſolutionem liberari poteſt, ut diximus ad *Inſt. h. t. n.* 27. ita debitor non tenetur ad alium fidejuſſorem in locum prioris ad inopiam redacti dandum, niſi Lex vel Prætor ſponſionem, neceſſario flagitet *l.* 10. §. 1. *Quiſatiſd. cog. l.* 4. *d. Præt. ſtip. l.* 4. *ff. Ut in poſſ. leg.* Creditor nunquam conveniri poteſt, ut fidejuſſorem liberet ad *d. tit.* 1. *n.* 27.

3. Attamen pragmatici dant fidejuſſori actionem adverſus creditorem, quâ dicat, reum principalem vel confidejuſſores nunc eſſe idoneos; petere ſe, ut creditor eos conveniat; alioqui proteſtetur de periculo futuro, ſi deſierint eſſe ſolvendo; quod remedium ex causâ, non videtur abs re. Dicitur *ex l. ſi contendat.* 28. *d. Fidejuſſ.* quam ibi non magis fundatum eſt, quam actio *ex l. diffamari in l.* 5. *C. de Ingen. manum.* adeo in foro decan-

cantata. Zanger. *de except. p.* 3. *c. ult. n.* 208. Carpzov. 3. *resp.* 64. *n.* 8. 6. 10.

TIT. II.

De Novat. & deleg.

HUic Rubricæ satisfactum est *ad tit. Inst. Quib. mod. toll. obl. n.* 12. *& seqq. & Juprà. tit. de Judic. n.* 20.

2. Tu hic obiter nota, vulgo pro novatione sumi, confectionem novi instrumenti super eodem debito, quod verum non est, etsi debitum augeatur, si modo qualitas non mutetur; appellatur tamen abusive novatio in *l.* 57. *d. Administr. Tut. Vid. ad d. tit. Inst. n.* 24. A. Matth. tract. de *oblig. disp.* 41. *th.* 13.

3. Nota II. delegatio tollit exceptionem doli, qua debitor contra delegantem, se uti posse sciebat *l.* 12. *h.* nec etiam si ignoraverit, contra novum creditorem habet hanc exceptionem; verum tunc delegantem convenire debet *d. l.* 12.

4. III. Si creditor, factâ delegatione, novum debitorem non solvendo reperiat, regressus ad priorem debitorem minimè datur, quia hic perinde liberatur ac si solvisset, *l.* 8. §. 3. *d. Sc. Vel. l.* 37. §. 4. *d. op. lib. l.* 187. *d. V. S.* nisi is dolo malo adfirmaverit, eum esse idoneum satis *l.* 7. §. *ult. & l. sequ. l.* 25. *& l.* 38. *d. dol. mal.* A. Matth. *d. disp.* 41. *th. ult.*

TIT. III.

De Solut.

DE Solutione dix. ad tit. Inst. *Quib. mod. toll. obl. à pr.* dicta non repetemus. Notentur tamen hæc capitula 1. Quis, 2. cui, 3. quid, 4. quando, 5. ubi possit solvi, 6. in quam causam & quid 7. si creditor sibi solvi nolit.

2. 1. Quis? non modo debitor ipse, qui alienandæ rei suæ

ſuæ poteſtatem habent *l.* 19. §. *ult. h. t. l.* 10. *C. eod.* (de & Procurator & negotiorum geſtor *l.* 18. *C. h. t. l.* 45 §. *ult. d. negot. geſt.* & quivis alius, ut dix. *ad tit. Quib. mod. toll. obl. n.* 6.

3. II. Solvitur non modò ipſi creditori, licet reo criminis poſtulato *l.* 41. *h.* ſed & Procuratori curatorive ejus *l.* 12. *l.* 14. *h. l.* 24. *d. neg. geſt.* vel cuicunque alii, jubente & aſſignante creditore *l.* 40. *D. h. t.* Procuratori non aliter, quam ſi mandatum ſpeciale, vel omnia bona habeat *l.* 12. *in pr. h.* adeo ut nec ei, qui vendere vel judicio petere juſſus eſt, tuto ſolvatur *per l.* 12. & 86. *h. t.*

4. Si quis obligationem ceſſerit alii, numquid debitor adhuc ſolvere poteſt cedenti, ut ceſſionario non teneatur? Poteſt tuto, niſi denuntiatum ei ſit, ne ſolveret cedenti, vel certior de ceſſione factus fuerit, *per l.* 6. & 7. *C. d. hered. vel act. vend.* vel denique res integra eſſe deſierit litis conteſtatione *l.* 3 *C. de novat.*

5. Quæritur, ſi captâ civitate, debitor hoſti ſolvere coactus ſit, an hoſte pulſo, vetus creditor adhuc agere queat; Negatur, per *l.* 27. §. *ult. d. leg.* 3. niſi debitor ante hoſtis adventum in mora fuerit *arg. l.* 13. *d. negot. geſt. l.* 82. §. 1. *d. V. O.* Mornac. *ad l.* 13.

6. III. Solvendum quod debetur, ut dictum ad *Inſt. h. t.*

7. Qui tamen *decem* in certa materia, veluti mellis debet, aut decem aut tantum mellis dare poteſt *l.* 57. *d. ſol.* & qui certum pondus auri, argenti debet, ejus pretio liberatur *l.* 1. *inf. l.* 9. *l.* 7. 35. *in pr. d. aur.* & *arg. leg.*

8. Sed quæritur, ſi res alia volenti in ſolutum data ſit eaque evicta fuerit, utrum prior obligatio duret; quod videtur, quaſi ex prævio tacito conſenſu *l.* 46. *h. l.* 8. *C. de ſent.* & *interlocut.*

9. Solutionem quoque per partes invito obtrudi non poſſe dictum eſt ad *Inſt.* quod ſi volenti partem debitor ſolverit, etiam reliquum agnoviſſe videtur *l.* 2. *C. ad Sc. Macedon. l.* 7. §. *pen. D. eod.*

10. IV. Tempus, quo ſolvitur, oportunum ſit opor-

ortet ; & quidem, si pura sit obligatio, statim peti oteſt §. 2. *Inſt. d. V. O. l.* 105. *h. t. l.* 21. §. *ult. d. Recept* t cum temperamento §. *ult. d. Inutil. ſtipul. d. l.* 21 §. *lt.* de ſolutione ejus quod indiem debetur, regimus ad *l.* §. 2. *Inſt. d. V. O.*

11. v. Locus ſolutionis, ubi nihil eſt dictum, intelligitur domus creditoris, ſi modo uterque ejuſdem ori ſit, per *l.* 21. *d. oper. libert.* Sichard. ad *l.* 19. *C. de ſur. n.* 17. de conventione certi loci diximus *ad tit. de o quod cert. loc.*

12. VI. Qui ex diverſis cauſis debens partem ſolvit, mputare poteſt quod numerat, ei cauſæ, cui voluerit. I. *d. ſol.* ſi non dixerit, creditor id facere poteſt, modo ſine captione & incontinenti *d. l.* 1.

13. Neutro apud ſolutionem id exprimente, imputatur ei debito, quod maxime debitorem allevat *d. l.* & *ſeqq.* ſi nullum prægravet, antiquiori *l.* 5. *in pr.* unctis paribus, imputatur univerſis *l.* 8. *l.* 97. *h.*

14. Si vero debitum ſit uſurarium, ſolutio, omium primo uſuris, poſtea ſorti imputatur, nec id deitor mutare poteſt *l.* 5. §. *pen.* & *ult. d. tit.* idque ideo, e uſuræ pereant.

15. Nec enim modo principalem ſed & acceſſorias bligationes perimit ſolutio, qualis eſt pignorum, fiejuſſorum omneſque cautiones *l.* 38 §. 2. & *l.* 44. *eod.* lura de ſolutionibus alibi dicta, dicenda, non repemus.

16. Quando ſub pœnâ aliquid debetur, ſorte ſoluta, œna exigi nequit *l.* 10 §. 1. *d. Pact. l. ult. d. Quod cert.* e, *l.* 28. *d. Action. Empt.* pœna ſoluta in ſortem imputatur *l.* 42. *pro ſoc. l.* 28. *d. Action. empt. l.* 44. §. *pen. d. O.* & *A.* nempe, ſi quis rem aut pœnam ſit ſtipulatus. Iam quod in pœnam tardæ ſolutionis, aut delicti exatum eſt, lucro cedit creditoris *l.* 79. *d. furt. l.* 6. *Locat. xcepta ſpecie l.* 22. *d. pignor. act.*

17. Si unicum ſit debitum & plures debendi cauſæ on eſt dubium, quin unicâ numeratione omnes li-

berentur *l.* 38. §. 2. *h. l.* 44. *h. t.* non obſtante *l.* 84. *eod.* ubi dominus non dicitur ſolviſſe totum, ne ſolviſſe quidem omninò dicitur.

18. Nota denique, eum qui debet annuam quantitatem redituſve annuos, nec omnium ſolutionem probare poteſt, ſufficere, ſi probet triennii proximi ſolutionem, per *l.* 3. *C. de apoch. publ. lib.* 10. *junct. l.* 1. *C. de fideicomm.* Maſcard. *de probat. concluſ.* 1327. Wiſſenb. *ad h. t. th.* 16.

19. VII. Si oblatam pecuniam accipere recuſet creditor, ſacculo incluſam obſignare debitor poterit, obſignatam apud judicem competentem deponere: ita perinde liberabitur, ac ſi ſolviſſet *l.* 6. *l.* 19. *C. de uſur. l.* 9. *C. h. tit. l.* 1. §. 36. *d. Depoſ. l.* 12. *C. de compenſ.* Oblatio autem realis eſſe debet, verbalis non ſufficit. A Matth. *diſp.* 39. *de oblig. th.* 17. *vid. d. tit. Inſt.* n. 38. *& ſeqq.*

20. Quod ſi creditor ad impenſas obſignationis vitandas, declaret, ſe pecuniam pro obſignata habere, debitor non liberatur, ſed ab uſura & pœnis eſt liber, etſi uſuræ ſint compenſatoriæ. Sand. *l.* 3. *tit.* 14. *def.* 13. ubi, an idem ſit juris, quando judex pecuniam habet pro obſignata.

21. Hinc ſupplendi textus, qui de ſola oblatione loquuntur *l.* 72. *d. ſolut. l.* 73. §. *f. d. V. O. & c.* niſi malis eos accipere de liquidis debitis, ut tum ſola oblatio liberet à periculo, *dd. ll.* non etiam ab uſuris *l.* 7. *d. uſur.* etſi fur ſit *l.* 8. *pr. d. cond. furt.* à periculo, inquam, modo conſtet idem eſſe corpus quod oblatum eſt & petiit *dd. ll.*

22. Confuſione finiri obligationem notum eſt ex *l.* 75. *h.* & dix. *ad tit. Inſt. Quib. mod. ſolv. obl. n.* 26.

23. Per eam pignora quoque & fidejuſſores liberari neceſſum eſt *l.* 5. *l.* 38. *in fin de fidejuſſ.* ſecus in duobus reis *l.* 21. §. *pen eod. l.* 39. §. *pen & ult. d. ſolut.* & in debitore, cum creditor fidejuſſori ſucceſſit *l.* 21. §. 3. *& ult. l.* 71. *in fin. pr. d. fidejuſſ.*

24. Heres

24. Heres fiduciarius idemque creditor aditurus hereditatem recte petit sibi caveri de suo credito *l. 59. ad c. Trebell* si tamen coactus adierit jus suum non amittit *l. 4. eod.* imo nec si volens adierit; etsi enim subtilitate juris confusio patrata sit, æquitas tamen vult aliud, nisi fiduciarius consumpserit de bonis, plusquam deberet *l. 79 eod. tit.*

5. Beneficio quoque inventarii effectum confusionis impediri non est quod repetamus; est in *l. ult.* §. *in Computatione C. de jur. delib.*

TIT. IV.

De Acceptilation.

ACceptilatio est actus legitimus *l. 77. d. R. I.* unde nec diem nec conditionem recepit *l. 4. & 5. h.* non obstante, *l. 16. d. Solut.* de quâ *thes. seqn.* nec per procuratorem potest fieri, nec inter absentes, nisi per medium novationis indirecte (sic cape *l. 3. h.*) *l. 13.* §. 10. *h.*

2. Et tamen non refert, utrum pura sit obligatio, an in diem, vel sub conditione contracta: omnes acceptilatione tolli possunt, licet effectus acceptilationis appareat demum, existente die vel conditione *d. l. 16.* & 12. *l. 21. D. h. t.*

3. Non cuicunque solvi, is etiam acceptum ferre potest; adjecto tolvi potest, etiam invito stipulatore §. 4. *Inst. de inutil. stipul. l. 12. §. pen. D. de solut.* nec tamen is accepto ferre potest *l. 10. D. eod.* Tutoribus & curatoribus solvi potest, nec tamen accepto ferri directe *l. 13. §. 10. h. tit.*

4. Si è pluribus reis debendi uni accepto feratur, liberantur reliqui *l. 16. D. h. tit. l. 2. de duob reis.* Nec adversatur *l. 2. §. 3. d. V. O. l. 1. C. de transact.* nec enim de correis loquuntur. Acceptilatio fidejussori facta prodest quoque debitori *l. 13. §. 7. h. t.*

5. Acceptilatio inutilis valet tamen ut pactum *l. 8. pr. se-*

pr. secus in stipulatione vel novatione *l.* 1. §. 2. *d. V. O. ex ratione l.* 47. *d. O. & A.* Reliqua pete ex *Tit. Inst. Quib. mod. toll. obl. n.* 8. *& seqq.*

TIT. V.

De Stipul. Prætor.

STipulationes Prætoriæ sunt in *h. t.* non quæ nostro Prætoris officio proficiscuntur, ut *tit. I. de Div. Stip.* sed quæ ex edicto Prætoris injunguntur.

2. Hæ sunt vel judiciales, quæ propter judicium interponuntur, ut est cautio judicatum solvi, vel cautionales, quæ ut nova sit actio intercedunt, ut legatorum, de tutela, de rato & damni infecti; vel communes, quæ fiunt judicio sistendi causa *l.* 1. *pr.* & §. *seq.* Sed hæc quadruplex divisio parum liquido usu constat, ut recte Bachov. *not. part. ad h. t.* Contentis esse licet nobis ea partitione quam habuimus in *tit. Inst. de divis. stipul.* quo remittimus Lectorem.

3 Differentiam inter conventionales & prætorias stipulationes unam habuimus ad *d. tit. n.* 11. Addantur hæ;

4. II. Ex prætoriis actio per Procuratorem acquiritur *l.* 3. *l.* 5. *h. t.* non è conventionali *l.* 73. §. *ult. d. R. I.*

5. III. Prætoriæ pro parte committuntur, ita ut si pluribus sint præstitæ ac unus non impleat, reliqui non teneantur, si pro suis partibus satisfecerint *l.* 9. §. 1. *si quis caut.* Ex conventionalibus si unus non impleat cautionem nihilominus reliqui tenentur ad id, in quo unus ille defecit. *l.* 5. §. *ult. d. V. O.*

6. III. Prætoriæ, si fidejussores desierint esse solvendo rursus præstandæ sunt *l.* 4. *d. præt. stip. l.* 8 §. 3. *l.* 10. *inf. Qui satisd. cog.* deconventionalibus id nusquam traditur.

7. In prætoriis, Magistratus explicat ambigua *l.* 9. *d. t. de prætor. stipul.* in conventionalibus contra stipulantem fit explicatio *l.* 26. *de reb. dub.*

8. Agitur ex his stipulationibus, si id quod convenit, factum non est, adversus debitorem, & ejus fidejussorem

rem *l.* 4. §. 2. *rem pup. vel adol. salv. for.* aut in id quanti ea res est, hoc est, quanti interest factum non esse: aut id pœnam, si qua sit verbis comprehensa. *l.* 6. *l. fin. hic.*

9. Solet omnibus prætoriis stipulationibus pœna adici, *l.* 6. *l. fin. hic.* ad evitandas probationum ejus quod interest difficultates, *d. l. fin.* Incertum enim continet. *d. l.* 2. *hic.*

TIT. VI.

Rem pup. salv. for.

HAnc satisdationem Tutor præstat, de quâ dictum in Inst. *lib.* 1. *tit.* 24. Eam stipulatur pupillus, vel alius qui in curatione est, ipse, si præsens sit & fari possit, licet ejus sit ætatis, ut non intelligat quid agat. Si absit, aut fari non possit, servus ejus. Si servum non habeat, emi debet. Si non sit unde emátur, servus publicus apud prætorem stipulábitur, aut prætor alíquem dabit, qui stipuletur, isque pupillo actionem acquiret utilem. *l.* 2. 3. & 4. *in pr.* & *l.* 6. *hic.*

2. Ex stipulatione oritur actio, quæ contra tutores & eorum fidejussores datur, finita tutela: *l.* 1. *hic.* contra pro-tutorem vel curatorem, & fidejussores ab eis datos, statim ac quæque res salva esse desiit. *d. l.* 1. *d. l.* 5. §. 25.

3. Hac autem actione id consequitur pupillus, quod in tutelæ judicium venit *l.* 4. §. 6. *l.* 9. *hic.* Moribus hodiernis, sicut alias dictum, rarius in usu est.

TIT. VII.

Judicatum solvi.

IUre Veteri reus actione in rem conventus satisdabat judicatum solvi, secus in actione personali *pr. l. de Satisd.*

2. Ratio, quia judiciis realibus agitur de corporibus, quæ perire vel deteriora fieri possunt, in personalibus vertuntur quantitates, quæ nec perire, nec deteriores fieri possunt *arg. l.* 11. *C. Si cert. pet.*

3. Quando jure novo moribusque hodiernis præstetur, diximus *ad tit. Inst. de Satisdat. n.* 7. & 8. jure Civili, inquam, à reo semper exigitur etsi procurator in judicio sit datus *l. un. C. de Satisdat.*

4. Habet tres clausulas hæc cautio, rem defensum iri, dolum malum abesse abfuturum esse, judicatum solutum iri *l.* 6. *h. t.*

5. Concipitur in quantitatem incertam *l.* 2 §. 2. *præt. stip.* Imo in certam *l.* 9. *h.* scil. incerta ab initio fit certa per sententiam.

6. Apud unum judicem nominatim præstita si de causa apud unum judicem decertetur, satisdatio non habet effectum *l.* 3 *l.* 20. *h. tit.*

7. Ex una causa sive clausula hæc stipulatio commissa, ex aliis amplius committi nequit, *l.* 5. §. 2. *eod.* si videlicet idem, & ex eadem causa ab eodem petatur: alias secus est, *l. fin. eod.*

8. Committitur autem ob rem judicatam *stipulatio*, & dies cedit statim post rem judicatam, sed dies non venit, id. est, exactio differtur ad tempus, quod reo damnato indulgetur *l.* 1. *hic.* hodie ad quatuor menses, *l. ult. C. de usur. rei jud.* ut tamen nova contra fidejussorem non opus sit sententia ante executionem, contra quam Herbaj. *cap.* 4. *n.* 1. *quotid.*

9. Ob rem non defensam stipulatio commissa creditur, quum ex ea lis fuerit contestata, *l.* 13. *in pr. eod.*

T. I T. VIII.

Rem. rat. hab.

Procurator actoris, cujus mandatum aliquo defectu laborat, stipulanti reo promittere debet, *Dominum*, quicquid egerit Procurator, ratum habiturum, idque per fidejussorem confirmandum est *l.* 1. *C. de Procur. l. un. C. d. Satisd.*

2. Idem obtinet in aliis negotiis; unde actio nasci

potest

potest *l.* 20. *h. t.* Eadem ratio est in actoribus civitatis, ut si dubitetur, an sint actores vel Syndici, cavent de rato *l.* 13. *d. adm. tutor.* quod cum rarius eveniat, hinc tales, ut & curatores bonorum non cavere dicuntur *l.* 9. *h.*

3. Cessat hæc cautio, 1. si Procurator in judicio sit datus, nisi reconventionis causâ *l. un. C. de Satisdat.* 11. si in libello Principi oblato professus sit actor, se dedisse Procuratorem *l.* 21. *h. t. vid. ad tit. I. de Satisdat. n.* 9.

LIB. XVLII.

TIT. I.

De Privat. Delict.

DIvisionem Criminum sive delictorum in privata & publica singulorumque definitiones habuimus *ad tit. Inst. de oblig. ex del.*

2. Quid sunt *delicta?* Facta turpia, quæ legibus puniuntur. Facta, inquam, cogitatio enim aut nudus conatus crimen non est *l.* 18. *d. pœn.* nisi conatus actu inchoatus sit *l.* 21. §. 7. *d. Furt. l.* 3. *in fin. pr. Quod quisque jur. in alt. l. f. vers. quive hominis ad L. Cornel. d. sicar.* opem quoque vel consilium dedisse pro facto habetur §. 11. *h. t.*

3. Facta *turpia* dicuntur non ob culpam, sed quia dolus in iis requiritur *l.* 53. *fin. pr. d. Furt.* §. 1. *h. l.* 3. *d. injur. l.* 7. *ad L. Cornel. de sic.* solum damnum è culpa æstimatur §. 3. *I. de L. Aquil.* non raro tamen & culpa gravior extra ordinem punitur *l.* 3. §. 1. *d. off. præf. vig. l.* 9. *l.* 11. *d. incend. ruin. naufrag. l.* 38. §. 5. *d. pœn.* quin & sola scientia in atrocioribus *l.* 2. *ad L. pomp. de parricid. l.* 5. *C. ad L. Iul. de majest.*

4. Hinc qui dolî capaces non sunt; ut furiosi & infan-

tes non delinquunt *l.* 12. *ad L. Corn. d. ficar.* ſecus proximi pubertati *l.* 111 *d. R. I.*

5. Dolus non modo propoſitum eſt, quo delinquunt e. g. latrones; ſed & impetus, puta ebrietatis iræ, amoris, libidinis *l.* 11. §. 2. *l.* 16. §. 2. *D. de pen.* 7. §. *ult.* D. *ad leg. Jul. repet.*

6. Ergo qui nunquam rem alienam invito domino ſubtraxit, nunquam alienam matremf. corrupit, tametſi hujus mentis ſit, fur vel adulter non eſt *l.* 225. *D. de V. S.*

7. Quod igitur Impp. ajunt, *in l.* 5. *C. ad leg. Jul. Maj. Eadem ſeveritate voluntatem ſceleris, qua effectum puniri jura voluerunt.* L. 14. *D. ad leg. Cornel. de Sic. h. maleficiis voluntas ſpectatur, non exitus:* non de cogitatione nuda, ſed de actu inchoato capiendum, ut ſi quis conſpiraverit in necem Principis *d. l.* 5. ſi quis venenum coxerit, cum telo ambulaverit hominis occidendi cauſa *l.* 1. *D. ad leg. Corn. de Sic. l. ult. C. eod.* ſi quis ſtupri cauſa virginem proſtraverit &c. tamen benignius eſt, conatum mitius extra ordinem puniri *arg. l.* 3. *D. de his qui not. infam. l.* 1. *pr. & §. ult. D. de extr. crim. l.* 5. *l.* 6. *D. ad leg. Corn. de falſ. l.* 21. §. 7. *D. de furt. l.* 16. §. 8. *D. de pœn.*

8. Porro & conſilium aliis dediſſe, ſi & eventus ſecutus fuerit, crimen eſt *arg.* §. 11. *in fin. Inſt. de furt. l.* 36. § 1. *l.* 52. §. 19. *de Furt. l.* 16. *pr. D. de pœn.* Et qui opem ferunt, crimen contrahunt, ſive ante commiſſum ſcelus id faciant, ſive in ipſo crimine, ſive poſt commiſſum crimen, ſi illorum ope reus aufugit, *l.* 54. §. 4. *D. de furt. l.* 7. *D. ad leg. Pomp. de parric. l. ult. verſ. & qui eis auxilium C. de rapt. virg. l.* 1. §. 1. *D. ad leg. Corn. de Sicar.* Opem tuliſſe etiam is intelligitur, qui aſtitit, tametſi manus non moverit, ſcil. terrendi cauſa *arg. dd. ll.*

9. Qui mandat ſcelus, quique mandatum exequitur; uterque reus eſt ordinariæ pœnæ, ut diximus *ad tit. l. Mand. n.* 13. & 14.

10. Non

10. Non eadem causa jussus est, quæ mandati. Qui enim jussum ejus, in cujus est potestate executus fuerit, ordinaria pœna non semper est adficiendus *l. ult. C. de bis qui fib. adscr. test. l. 8. C. ad leg. Unde vi l. 2. C. de Sep. viol.*

11. Sunt sanè delicta vel privata, vel publica; verum dantur species, quæ & privata & publica delicta sunt; ut si quis instrumenta sua prodita dicat, hoc & privatim extra ordinem *l. 8. d. extraord. Crim.* & publice vindicatur *l. 1. §. 6. ad L. Corn. d. falsi.* item concussio *l. 2. de concuss. l. 1. pr. & §. 1. d. falsi.* Denique plagium *l. 1. & t. tit. ad l. Fab. de plag.* Adde *l. un. C. quand. civ. act. crim.*

12. Ex hac autem lege quæritur, quid juris sit in concursu actionum criminalium, quod eodem modo decidendum ferè, quo articulus de concursu civilium actionum, definiendumque, idem non esse bis exigendum; quò facit, quo pœna eleganter æstimatio delicti dicitur *l. 41. in f. d. pœn.*

13. Igitur, cum civiliter de privato delicto ad pœnam actum est, criminaliter de eodem agi non potest, nec vice versâ, sed alternative procedendum *l. ult. h. l. ult. d. furt. add. l. 7. §. 1. d. injur.* & imprimis *l. 56. §. 1. d. furt.*

14. Sed privatum judicium non tollit publicum, quia hæc dantur diversis personis, nec rei persecutoria actio criminale judicium *d. l. un. quand. civ. act.* si autem plura delicta sint, licet uno facto, tum sine dubio datur concursus *l. 2. pr. & §. 1. h.* etsi movet scrupulum *l. 53. in pr. d. O. & A. Add. Prælect. Inst. de obligat. ex del. a pr.*

15. Ex delicto neque civiliter neque criminaliter heredes teneri, pro certo habemus; nisi post lit. contest. *l. 1. pr. h.* vel nisi reus diu post stipulationem jud. Sistendi causa decesserit *l. 10. §. 2. ff. Si quis caution.*

TIT. II.
De Furt.

Definitio furti & exegesis ejus, petenda ex *Inst. h. t.*

2. Qui nummos è re sua â fure vendita redactos excussit, is furti tenetur, etsi animus lucrifaciendi abfuisse videatur *l.* 38. §. 2. *d. Nox. act.*

3. Repetitâ contrectatione non crescit delicti pœna *l.* 9 *pr. d. Furt.* sed quia partem abstulit ejus quod totum tollere potuit, vi contrectationis, fur totius est *l.* 21 §. 8. *d. t.*

4. Colonus ob fructus ereptos agit furti, quia interest ipsius *l.* 14. §. 2. *h.* imo domino fundi datur actio, per *l.* 60. §. 5. *ff. Loc.* sed dic, utrique actionem competere *l.* 82. §. 1. *h. t.* idem de debitore & creditore propter pignus videtur *l.* 12. §. 2. *h. t.*

5. Aliquando furti actionis & condictionis vocabula confunduntur, ut videtur in *l.* 9. *pr.* & §. 5. *l.* 71. *h. l.* 9. §. 1 *d. in. lit. jur.*

6. Plures, qui simul delinquunt & furantur, omnes ad eandem pœnam & quidem in solidum obligantur *l.* 21. §. 9. *h. l.* 51. *ad l. Aquil.*

TIT. III.
De tign. junct.

Lex XII. tabb. actionem de tigno juncto in duplum dedit, contra eum, qui tignum furtivum ædibus suis junxit *l.* 1. *pr. h.* & *l. ult. eod.* quæ tamen extensa fuit adversus omnes qui sine furto tignum junxerunt, ut liquet ex *l.* 23. §. *penult. d. R. V. l.* 7. §. 10. *d. A. R. D.*

2. Placuit hoc in compensationem negatæ rei vindicationis, ne domino injuria facta videatur, cum duplum ei salvum sit.

3. Quia tamen plerumque res mobiles in alienis manibus

ribus existentes vitio furti affectæ sunt, ideo furtivi tigni mentio fit in *h. t.* & sic capienda *l.* 63. *d. donat. int. V. & U.*

4. Cæterum; fur præter actionem in culpam tenetur ad exhibendum in id quod interest *l.* 1. §. *ult. h.* vel rei vindicatione soluto ædificio *l. ult. h.* quarum neutra datur contra B. F. possessorem §. 29. *I. d. A. R. D.*

TIT. IV.

Si is qui test. lib.

SErvus, qui in testamento liber esse jussus est, si furtum rei hereditariæ fecerit, ex mera juris ratione non tenetur; quia nec ut servus potest puniri propter spem imminentis libertatis, neque ut liber damnari, ob rationem in *l.* 1. §. 1. *h. t.* junct. *l.* 68. *d. furt.*

2. Ideo datur utilis actio in duplum adversus illum, quæ est annalis *l.* 1. *pr.* quod si post aditam hereditatem res surrepta sit, tunc est actio furti ordinaria *d. l.* 1. §. 8. *in fin. h.*

TIT. V.

Furt. adv. naut. caup. stab.

DE hac actione dictum in tit. Naut. caup. stab. Est enim in factum in duplum, de furto in nave, caupona, stabulo facto, ab ipsis cauponibus vel ministris eorum, non à viatoribus.

2. Ratio est in *l. un.* §. *ult. h. t.* quoniam viatores repellere non possunt, sic. regulariter & civiliter non, justa tamen ex causa suspicionis possunt. sic cap. *l.* 1. §. 1. *Naut. stab.* ubi diximus.

TIT.

TIT. X.

De injur. & famos. libell.

QUid sit injuria, & reliqua hujus loci fundamentalia diximus in parte I.

2. Actiones injuriarum sunt variæ, prima ex *jure* prætorio, altera ex L. Corn. de quibus *in Inst.* Tertia criminalis extraordinaria *l. ult. h.*

3. Quarta est judicium publicum de libello famoso *l. 6 h. l. un. C. d. lib. fam.* Quinta est ex *l.* 10. *C. d. Episc. & cler.* ubi is qui loca sacra violavit, judicio publico punitur.

4. Sexta in foro est actio ad palinodiam, sive revocationem; quæ proprie nec civilis, nec criminalis est: propius tamen ad civilem accedit, quia reparatio honoris, ei quod interest, quam publicæ animadversioni similior est.

5. Denique vulgo refertur huc actio ex *L. diffamari. C. d. ingen. manum:* quæ tamen ad omnia extenditur, quæ in præjudicium alicujus jactantur; quicunque tale quid facere arguitur, vocari solet, ut actionem instituat vel perpetuum silea. Quod genus actionis tertio magis quam ratione, destituitur.

TIT. XI.

De extraord. crim.

EXtraordinaria crimina sunt, de quibus agitur ad publicam animadversionem, sed absque ordine publicorum judiciorum, & sine pœna certa *l.* 1. *& t. h.* vocantur & privata *l.* 1. §. *ult. d. pœn.* quia jus accusandi iis duntaxat competit, ad quos ea res pertinet *l.* 3. *h. l.* 7. *d. concuss. l.* 2. *d. abig. l.* 3. *d. Prævar.*

2. Sed jure novo, præter personas, quibus datur discrimen eorum à publicis exiguum est, quoniam & ordo publicorum judiciorum desiit esse in usu *l.* 8. *d. pœn.*

bl. jud. & pœnæ pleræque ſunt etiam extraordinariæ 13. *d. pœn. l.* 7. §. *ult. d. repet.* nam ut in extraordinariis riatur ſecundum merita circumſtantiarum, adeo ut capitalia fieri poſſint *l.* 1. *in f. l.* 9. *inf. h. t.* ita in pleſque publicis id poſtea videbimus.

3. Species in hoc tit. præcipuæ ſunt, ſtuprum in *l.* 1. *ult.* cujus pœna ob inſignes malitiæ circumſtantias ıors eſſe poteſt.

4. Crimen abacti partus; cujus pœna, ſi fœtus nondum animatus ſit, eſt exilii temporalis *l.* 4. *h.* ſi animatus eſt, ıors *l.* 8. *ad l. Corn. de Sic. junct. l.* 38. §. 5. *d. Pœn l.* 39. *Eod.*

5. Qui chomata vel aggeres rumpit, is pro admiſſi penſura varie punitur *l.* 10. *h.* quandoque flammis *l. nic. C. d Nil. agg. non rump.* Adde ſcopeliſimum, *l.* 9. *h.*

6. Et quidem hæ ſequenteſque ſpecies tantum ſunt xtraordinariæ. Privata vero delicta, quæ ſuperius hauimus, Furtum, rapina, injuria pro arbitrio actorum iviliter, aut extra ordinem moventur, ut alias dictum.

TIT. XII.
De Sepulch. viol.

QUi ſepulchrum dolo malo violavit, is actione Prætoria in factum tenetur iis ad quos ea res pertinet, 3 *pr. h. t.* His non agentibus conveniri poteſt in 200. aureos actione populari *l.* 3. *inf. pr. h.* pœna actori cedente, quia non liquet, eam cum fiſco dividi, ut fit n *l.* 25. §. *d. SC. Syll.* qui vero cadavera ſpoliant, maxime armati, etiam capite plectuntur *l.* 3. §. 7.

2. Pœna in eos, qui in ſepulcro habitant vel ædificant dolo malo, eſt ducentorum aureorum, *l.* 3. *pr.* §. *pen. & ult. h.*

3. Violaſſe autem videtur qui diruit *l.* 2. *h. t.* qui teram evellit, ſaxa vel quid aliud aufert *l.* 4. & 5 *C. eod.* ui cadavera vexat ſpoliatve *ead. l.* 3. *l. ult. D. eod. l.* 4. *in fin. C. eod. l.* 38. *D. de relig.* qui mortuum infert in ſepulchrum,

chrum, in quod inferendi jus non habet *d. l.* 3. §. *fi qui* & qui prohibet aliquem inferri, quo jus inferendi e *arg. l. ult. C. h. & d. l.* 38. *D. de relig.* de cenotaphio no datur *l.* 7. *D. de rer. div. l.* 42. *D. de relig. & sunt. fun.*

TIT. XIII.
De Concuss.

CConcussio est, cum quis terrore potestatis suæ titur ad pecuniam extorquendam *l.* 1. & 2. *h.* cum quis simulato magistratuum jussu aliquid extor rit *l.* 1. *D. h. tit.* quod etiam in nuntiis, apparitorib & procuratoribus fisci locum habet.

2. Pœna est extraordinaria *l.* 1. *h.* etiam quadrupli *l. ult. C. ad l. jul. L. repet.* aliquando & publici judicii *leg Corn. de falsis l. ult. h.*

TIT. XIV.
De Abig.

ABigei sunt, qui pecudes de stabulo vel pascuis furan di animo abducunt, nempe equum vel bovem; nam oves oportet 10. porcos 5. esse *l.* 3. *h. t.*

2. Nec exigimus, ut eodem temporis momen abegerit; etiam qui sæpius abegit, licet semper unu vel alterum pecus, abigeus tamen est *d. l. ult.* §. *pen.* Cæterum, si quis boves aberrantes, vel equos in so tudine relictos abegerit, non est abigeus, sed fur tius *l.* 1. §. 1. *D. h. tit.*

3. Pœna est vel relegationis, vel operis publici, metalli aut gladii *l.* 1. *pr.* §. 2. & 3. *h.* Gladius olim ludus gladiatorius, sed jure novo, sublatis illis lu *l. un. C. de gladiat.* pœnam gladii intelligi vult Sa 5. *decis.* 9. 9. & sic Curia definivit. Aliter Cujac. 13. *c.* 10. cui libens adsenserim; nec enim est ratio, ut Justinianus alium Hadriani verbis sensum affinx quam ipse sibi fuit conscius, alioqui clarius sanxi Proinde pœnam capitali mitiorem esse oporteat.

TI

publ. jud. & pœnæ pleræque sunt etiam extraordinariæ *l.* 13. *d. pœn. l.* 7. §. *ult. d. repet.*, nam ut in extraordinariis variatur secundum merita circumstantiarum, adeo ut & capitalia fieri possint *l.* 1. *in f. l.* 9. *inf. h. t.* ita in plerisque publicis id postea videbimus.

3. Species in hoc tit. præcipuæ sunt, stuprum in *l.* 1. §. *ult.* cujus pœna ob insignes malitiæ circumstantias mors esse potest.

4. Crimen abacti partus; cujus pœna, si fœtus nondum animatus sit, est exilii temporalis *l.* 4. *h.* si animatus est, mors *l.* 8. *ad l. Corn. de Sic. junct. l.* 38. §. 5. *d. Pœn l.* 39. *Eod.*

5. Qui chomata vel aggeres rumpit, is pro admissi mensura varie punitur *l.* 10. *h.* quandoque flammis *l. unic. C. d Nil. agg. non rump.* Adde scopelismum, *l.* 9. *h.*

6. Et quidem hæ sequentesque species tantum sunt extraordinariæ. Privata vero delicta, quæ superius habuimus, Furtum, rapina, injuria pro arbitrio actorum civiliter, aut extraordinem moventur, ut alias dictum.

TIT. XII.
De Sepulch. viol.

QUi sepulchrum dolo malo violavit, is actione Prætoria in factum tenetur iis ad quos ea res pertinet, *l.* 3 *pr. h. t.* His non agentibus conveniri potest in 200. aureos actione populari *l.* 3. *inf. pr. h.* pœna actori cedente, quia non liquet, eam cum fisco dividi, ut fit in *l.* 25. §. *d. SC. Syll.* qui vero cadavera spoliant, maxime armati, etiam capite plectuntur *l.* 3. §. 7.

2. Pœna in eos, qui in sepulcro habitant vel ædificant dolo malo, est ducentorum aureorum, *l.* 3. *pr.* §. *pen.* & *ult. h.*

3. Violasse autem videtur qui diruit *l.* 2. *h. t.* qui terram evellit, saxa vel quid aliud aufert *l.* 4. & 5 *C. eod.* qui cadavera vexat spoliatve *ead. l.* 3. *l. ult. D. eod. l.* 4. *in fin. C. eod. l.* 38. *D. de relig.* qui mortuum infert in sepulchrum,

TIT. XVII.

De Fur. baln.

FUres nocturni & qui in balneis, ubi major est facilitas furandi, grassantur, sunt extra ordinem puniendi *l.* 1. *b.*

2. Huc pertinent & sacculatii, qui vetitas in loco artes exercent & pecunias inde subducunt, aut crumenas secant, βαλαντιοτόμοι *l.* 7. *d. extr. crim.*

TIT. XVIII.

De Effract. & Expilator. &c.

QUi carcere effracto evaserunt, capite puniuntur, licet innocentes sint *l.* 1. *pr. h. junct. l.* 13. *d. custod. reor.* qui per negligentiam custodum evaserunt, *levius* puniuntur *d. l.* 1. *f. pr.*

2. Expilatores in rubr. sunt maximè, qui in viis publicis viatores invadunt & expilant; quorum est gravior extraordinaria pœna *l.* 1. *pr. h.*

3. Sunt & directarii, qui se in aliena cœnacula furandi animo dirigunt; quibus affines apertularii, conscios cardinum, quibus nihil tam obseratum, occlusum, obsignatum, quod non aperiant *d. l.* 7.

4. Item effractores alio sensu, qui parietibus effractis vel perforatis, pecunias auferunt, qui relegantur si sint honestiores, vel in opus publicum dantur viliores, *l.* 1. §. *ult. h.* aliquando & gravius *l. ult. h.*

TIT. XIX.

Expil. heredit.

EXpilatæ hereditatis crimine tenetur is, qui res hereditatis jacentis, h. e. nondum aditæ, velut quidem, sed necdum possessæ surripit, quoniam tum hoc non est *l.* 1. & 2. *h.* uxor tamen, quia soci-

TIT. XV.
De Prævaric.

PRævaricator à varicando dictus *l.* 212. *d. V. S.* is eſt, qui adverſam partem, ſui clientis prodita causâ, adjuvat *l.* 1. *b.*

2. Judicium autem prævaricationis duplex eſt, publicum & extraordinarium. Publicum in accuſatorem, qui judicio publico non ex animo egit; ex qua cauſa eâdem pœna adficitur, qua teneretur, ſi ipſe in legem commiſiſſet, qua reus per prævaricationem abſolutus eſt *l. pen. D. h. tit.*

3. Extraordinarium in eundem, ſi judicio privato prævaricatus ſit: item in advocatum, ſive is publico, ſive privato judicio prævaricatus ſit *l.* 1. §. 1. *l.* 3. §. 2. *D. h. tit.*

4. Advocatus equidem hoc faciens proprie non prævaricatur; tamen extra ordinem punitur *d. l.* 1. §. 1. *l.* 8. *d. Extraord. crim.* Sed & omnis prævaricatio pœna afficitur extraordinaria *l.* 2. *h.*

TIT. XVI.
De Receptat.

REceptator eſt, qui maleficis facultatem ſe occultandi præſtat; & præcipitur, ut perinde ac ipſi latrones puniantur *l.* 1. *h.* quod limitandum videtur, ſi conſilia cum illis ſociaverint; alioqui mitius *l.* 1. *C. h. t.* cognati quoque lenius habentur *l.* 2. *h.*

2. Recte quoque, ab interpp. traditur, cauponem qui ſubitario hoſpitio latrones recepit, excuſari: neque enim eligit ſibi viatores, nec repellere poteſt iter agentes *l. un. in fin. D. furt. adv. caup. naut.*

3. In privatis autem & minoribus delictis relegandi videntur receptatores, per *l. ult.* §. *ult. ff. d. Abig.*

8. Pœna opus metalli excedere non debet in plebeium his autem qui sunt in aliquo honore positi, ad tempus relegatio, vel ab ordine motio remittenda est *d. l.* §. 2. *D. h. tit.*

9. Famosum sit, an secus hoc judicium *vidimus* ad *tit. de his qui infam. n.* 15.

TIT. XXI.

De term. mot.

HOc crimine tenetur, qui terminos finium cæ positos propulerit, avulserit: item qui finium obscurandorum causa faciem locorum converterit, 2. & 3. *D. h. tit.*

2. Modus pœnæ ex conditione personæ & mente facientis statuitur, alii relegantur, alii ad opus damnantur, sunt qui verberibus rem decidunt; sunt *qui capite* luunt *d. l.* 2. & *l.* 3. §. 1. *h.*

3. Concurrit cum accusatione extraordinaria, actio popularis ex lege agraria Caji Cæsaris, quâ reus interminos singulos, quos ejecerit locove moverit, quinquaginta aureos in publico dare jubetur *d. l.* 3. *h.* In conciliamus *l.* 1. cum *l.* 3. *h.*

TIT. XXII.

De Colleg. & Corp.

HIc puniuntur, qui collegium vel quodcunque corpus celebraverint, non ex Scti vel Cæsaris auctoritate; etiamsi honestus prætexatur titulus; veluti ipecies religionis, aut voti solvendi *l.* 1. §. 1. *l.* 3. §. 1. *D. de colleg. & corp. l.* 2. *de extr. crim. l.* 15. *C. de episc. & cler.*

2. Licita fuere collegia pontificum, argentariorum, publicanorum, pictorum, naviculariorum, fabricensium, Judæorum *l.* 2. §. 6. *de orig. jur. l.* 6. *pr D. eodem l.* 1. *D. Quod cuj. univ. nom. l.* 1. *C. de Jud. tit. C. de fabricens.*

3. Alii

l. 1. *rer. amot. l.* 5. *h.* & coheres, hoc judicio non tenentur *l.* 1. *C. h. t. l.* 51. *p. Soc.*

2. Pœnæ; quibus coercitum fuerit hoc crimen, in jure expressæ non sunt: cum vero crimen sit extraordinarium, non dubitandum, quin corporalis pœna infligi reo possit. *Gomes. tom.* 3. *resol.* 5. *n.* 16.

TIT. XX.

Stellion.

STellionatus, ita dictus a stellione versutissimo lacerti genere, Cujac. *h.* est omne delictum, quod nomine proprio caret *l.* 3. §. 1. *h.* ubi & species diversæ, quas inter, si quis rem alii oppignoratam dolose vendiderit. Atqui in *l.* 66. *d. Furt.* hæc species furtum appellatur.

2. Quid ita? Pignore, quod traditum est, vendito, sine dubio furtum admittitur §. 9. *Inst. de oblig. ex del.* etiam hypothecâ speciali vendita, ut Paulus & Julianus *d. l.* 66. at hic plus dubii est, quia possessio non eripitur: ideo Ulpianus, in *l.* 3. §. 1. *h.* stellionatum advocat; non secus ac in civilibus actio quandoque datur, sed dubitationis tollendæ causâ ad præscriptis verbis actionem recurritur, vid. *l.* 1. *Commod. in fin. pr.* junctâ *l.* 17. *pr. Præscr. verb.*

3. Intelligitur autem specialis Pignoratio; generalis enim ad neutrum crimen pertinet *l.* 23. §. 1. *qui pot. in pign.*

4. Reliquæ stellionatus species sunt: si quis rem alienam pignori dederit *l.* 16. §. *I. d. pign. act. l.* 2. *C. h. t.* aut eas pro auro dederit *l.* 36. *pr. D. de pign. act.*

5. Si quis merces suppositerit, vel obligatas averterit, vel corruperit *l.* 3. §. 1. & *ult. D. h. tit.*

6. Si quis imposituram fecerit, vel collusionem in necem alterius *cad. l.* 3 §. 1.

7. Si creditor pecuniam a se non numeratam acceperit, vel numeratam iterum è sententia licet, exegerit *l.* 29. §. 5. *D. mandat.*

perſtitione numinis terrent, qui ex reſcripto D. Max in inſulam relegantur *L.* 30. *D. de pœn.*

10. Qui incantationibus humanæ ſocietati nocen capite plectuntur *l.* 5. *C. de maleſ. & mathem. l.* 7. *l.* 9. *eod.* Incantationes innoxiæ fere impunitæ ſunt *l.* 4. Tamen qui morbos curant per Euangelium Johan aliaſque ſimiles nugas cum ignominia relegantur nos. Sand. 5. *tit.* 9. *def.* 13.

11. Sunt & alia crimina extraordinaria, in quæ gitum intendiſſe ſufficiat. Si quis ſollicitaverit alie nuptias *l.* 1. *pr. D. de extr. crim.* ſi conatus ſit puero prum perſuadere, eâdem *l.* 1. §. *ult.*

12. Si quis aquas, fiſtulas, lacus quidve aliud ad juriam publicam ſpurcaverit *d. l.* 1. §. 1.

13. Si quis rebus ſuis, vel ſibi obligatis, vel d bitis, quas alius poſſidet, titulum vel ſignum ſum impoſuerit, antequam per judicem evicerit *l.* 1. *& 2 C. ut nem. lic. ſin. jud. auct. ſign. Nov.* 17. *cap.* 15. *Nov.* 164.

14. Si quis titulum Principis prædio alieno impoſu rit *l.* 2. *C. ut nem. priv. tit. præd.*

15. Validi mendicantes, quorum numerus, rar cente ſervitutum uſu, mirificè auctus eſt, etiam coe centur *l. un. C. de mendic. val. Nov.* 80. *cap.* 5.

16. Si quis coegerit ludere *l.* 1. §. *ult. ff. d aleat.*

17. Si quis domum aleatoribus præbuerit *l.* 2. C. *eod.*

18. Si carceri præpoſitus, vel miles dimiſerit cuſto diam *l.* 8. *l.* 12. *& ult. D. de cuſt. reor.*

19. Hæreticus *l.* 3. *l.* 6 *l.* 8. §. 3. *C. de Hæret.* aut bla phemus fuerit *Nov.* 77.

20. Si quis ſciens filiumf. Pignori acceperit *l. ult. D Quæres pig. hyp. oblig. non poſ.* A. Matthæ. *diſp. de crimin. t th. ult.* Moribus gentium hæc aliaque crimina aliter que aliter coercentur, quod è ſingularum Statutis p tendum.

TIT. XXIII.

De Popul. action.

POpularis actio est, quæ jus suum populo tuetur, & datur quidem cuilibet ex populo ad agendum ipaci; sic tamen, ut is cujus maximè intereſt, præ-:ratur *l.* 3. §. 1. *h.* & Prætor eligat ex pluribus digniо-:m *l.* 2. *h.*

2. Procurator in his judiciis ab actore non poteſt, reo poteſt dari *l.* 5. *h.*

3. Ratio eſt, quia procurator tantum ab eo, cujus ıtereſt datur, actoris autem in his proprie nunquam, ei ſemper intereſt *l.* 42. *d. Procur.*

4. Eſt & hoc ſingulare, quod in his judiciis nec dejuſſor neque arbiter datur *l.* 56. §. *ult. d. fidej. l.* 32. . 7. *d. Recept.* qui arb. recep.

LIB. XLVIII.

TIT. I.

De Publ. judic.

PUblica judicia quid ſint diximus *ad tit. Inſt. de obl. ex del. & Publ. jud. à pr.* Excipitur crimen adulterii, quod tantum quatuor perſonis proxi-nis datur *l.* 30. *pr. C. ad L. Jul. adult.*

2. Habuerunt, inquam, olim Publica judicia legem :ertam, formulam ordinemque & pœnam certam *l.* 3. j. 2. *Stellion. l.* 3. §. *ult. d. Prævar. l.* 131. §. 1. *d. V. S.* Sed ›rimum ordo obſolevit, durante aliquandiu legum pœ-na *l.* 8. *d. publ. jud.*

3. Dein & pœnæ legum exoleverunt, vindican-urque crimina omnia extra ordinem, arbitrio judi-

cis, modo durius, modo remissius *l.* 1. §. *ult. l.* 13. *D. de pœn.*

4. Illud tamen peculiare est, quod publica crimina infamant omnia; extraordinaria non omnia *l.* 7. *D. de publ. jud.*

TIT. II.

De Accus. & inscript.

Accusatio est rei de crimine apud judicem persecutio, publicæ vindictæ causa facta; citrà quàm magistratus quoque in delicta inquirere possunt *l.* 1. *C. de Cust. reor. l.* 7. *C. h. t. l.* 13. *inf. d. Off. Præf.*

2. Accusare possunt, qui non prohibentur. Vetantur autem generaliter mulieres, pupilli, milites, magistratus, infames, qui duorum adversus eundem criminum sunt delatores, & qui pecuniam accusandi causa acceperunt *l.* 8. *h.* qui falsum testimonium dixit *l.* 9. & qui minus 50. aureis habent in bonis *l.* 10. *h.* denique servi *l.* 58. *d. jud.* & graviorum criminum rei *l.* 13. *d. his qui acc. non poss.* Excipe casus *l.* 13. *l.* 21. *h.*

3. Plerique tamen eorum admittuntur, si suam suorumque injuriam persequantur *l.* 2. §. 1. *l.* 5. *l.* 11. *h. t.* item in crimine majestatis *l.* 7. 8. *ad L. Jul. Maj.*

4. Præterea specialiter prohibentur liberi accusare parentes *l.* 5. *C. ad L. Corn. d. Falsi,* liberti patronos *l.* 8. *in f. h.* & consanguinei in crimine atroci, secus in levioribus *l.* 13. & *l.* 18. *de his qui accus. non poss.*

5. Accusatus reconvenire non potest; nisi atrocius vel idem crimen habeat opponendum *arg. l.* 1. *C. d. his qui acc. non poss.*

6. Qui autem ab uno est delatus, ab alio deferri non potest ob idem crimen *l.* 11. §. *ult. h.* & *l.* 9. *C. eod.* si diversa sunt delicta, manent quidem diversæ delationes, sed una post alteram exercetur *l.* 2. §. *ult. d. cust. reor.*

7 Ne

7. Altera pars rubr. est Inscriptio, qua accusator profitetur, se reum de tali crimine apud illum judicem deferre *l.* 3. *pr. h.* cui jungitur subscriptio, qua se accusator obligat ad pœnam talionis, si calumniæ convincatur *l.* 7. *pr. h.*

8. Excusatur tamen à subscriptione maritus, jure viri Uxorem adulterii accusans *l.* 30. *C. d. adult.* mulier suam suorumve injuriam persequens *l.* 12. *qui accus. non poss.* qui parentum vel liberorum necem ulciscuntur, *l.* 2. *C. de Calumniat.* nec non inquisitores aut nunciatores criminum *l.* 7. *C. h. l.* 6. *d. cust. reor.* Neminem tamen manifestam calumniam ferre impunitam ratio & vigor disciplinæ jubet.

9. Moribus hodiernis privati non accusant, sed Fisci Procurator, utique alii non solent; non prohibentur tamen legibus, & si velint privati, non videntur excludendi. A. Matth. *ad lib* 48. *ff. tit.* 20. *Cap.* 2. *n.* 2.

TIT. III.

De Custod. & exhib. reor.

INstituta accusatione, judex pro qualitate personæ & criminis cognoscere debet, utrum fidejussio vel judicio sistendi causa debeat admitti, an custodiendus sit; qualem quoque oporteat esse custodiam, carceris an militarem *l.* 1. *h.* juratoria cautio locum hic nullum habet *l. ult.* §. 2. *in f. C. d. Custod. reor.*

2. Quando judex sponsionem indulsit, fidejussor ad hoc obligatus, habet semestre spatium, antequam stipulatio committatur. *l.* 26. *C. de Fidejussor.* isque tenetur in biennium si non fuerit certum tempus expressum *arg. l. ult. C. ut intra cert. temp. Quæst. crim. termin.* Debet autem toties reum sistere, quoties citabitur usque ad tempus sententiæ, non tamen post appellationem *l. pen. D. jud. solv.* Adde Wissenbach. *th.* 5. *tit. de fidejuss.*

3. Quod ad carcerem attinet, notandum est, eos

qui disparis sunt sexus simul includendos non esse *l. C. h.*

4. Officium ejus, qui carceri præponitur, est commentarium referre eos, qui in carcerem conjiciuntur: (unde Commentariensis dictus) & judici singulis mensibus eos ingerere. *l. ult. C. hic.*

5. Præpositus carceris & alii custodes, sive milites sint, sive pagani, ob custodiam amissam, (id est, personas custoditas, *l.* 8. *l.* 10 *l.* 12. *l. ult. hic.*) pro modo culpæ puniuntur, *d. l.* 8. *d. l.* 12. & *l. ult. hic.* & ex constitutionibus eadem pœnâ (quod ob culpam sane dictum) quâ is, qui aufugit puniri debebat, afficiuntur. *l.* 4. *C. h.*

6. Qui non reos, sed jam convictos damnatosque emittunt, & vindictæ publicæ suffurantur, merito cum majestatis rei sint, gravius puniuntur. *l.* 4. *in fin. pr. ad L. Jul. Majest. l.* 2. §. 1. *h.*

7. Magistratus inferiores etiam mulctantur, si temerè & sine causa custodias dimittant. *l.* 10. *hic.* si injustè quem custodiæ tradant, aut cognitâ innocentiâ, captivum diutius detineant, ad interesse & injuriarum nomine tenentur. *arg. l.* 32. *d. Injur.*

8. Secunda pars hujus tituli est de exhibitione reorum. Exhibere, est deducere ac sistere reum coram judice, ut includi, vel aliter custodiri possit. *t. s. C. de exhib. reor. l.* 3. *C. de advoc. diverf. jud.* exempla vid. *in l.* 2. §. *ult. l.* 3. *l.* 4. *l.* 7. 11. *hic.*

9. Capti ab inferioribus Magistratibus ab his præparatoriè examinati ad Præsidem remittendi sunt, mora tamen 30. dierum illis ad componendos mœstos pœnites concessâ *l.* 2. *C. h. t.* quod ultimum non servatur moribus.

TIT. IV.
Ad L. Jul. Majeſt.

MAjeſtas propriè eſt amplitudo & dignitas â magnitudine ſic dicta, unde & Magiſtratibus, ut Conſuli à Cicerone *orat. in Piſ.* & Prætori in *l. pen. d. queſt. & jur.* tribuitur. Per excellentiam vero de ſummis poteſtatibus ea vox potiſſimum uſurpatur, adeoque jam obtinuit, ut pro ipsâ poteſtate ſummâ promiſcuè accipiant.

2. Igitur hujus criminis tenetur, qui dolo malo læſit ſummam poteſtatem, cui ſubjectus eſt; nam qui non eſt ſubditus, hoſtis duntaxat fit *l.* 1. §. 1. *h.* Enimvero non intereſſe, quæ ſit forma Reip. notiſſima Politices fundamenta docent.

3. Poteſt dici, crimen hoc eſſe proprium, vel improprium. Illud quod committitur contra ſummum Principem: & modo generis nomen retinet, modo in ſpecie perduellio dicitur. §. 3. *Inſt. d. publ. jud. l. ult. h. t.*

4. Perduellio, inquam, eſt, cum quis hoſtili animo contra ſalutem Principis, vel Reipublicæ, aliquid molitur, *d. l. ul. dixi. ad tit. Inſt. ult. n.* 8.

5. Majeſtatis in ſpecie crimen variis modis fit. Ut ſtatuas & imagines Principis violando: *l.* 6. *l.* 7. §. *ult. h. t.* vectigalia nova abſque ejus auctoritate imponendo, *per l.* 10. *in pr. d. Vectigal.* monetam adulterinam cudendo: *l.* 2. *C. de falſ. monet.* Si quis confeſſum in judicio reum ac propter hoc in vincula conjectum emiſerit *l.* 4. *in fin. pr.* D. *h. t.* Si quis ſciens falſum ſcripſerit, vel recitaverit in tabulis publicis *l.* 2. *D. h. tit.* Si quis privatum carcerem habuerit *l.* 1. *C. de priv. carcer.*

6. Improprie dictum Majeſtatis crimen, eſt etiam vel perduellionis vel Majeſtatis in ſpecie: Nam ſi quid hoſtile adverſus eos, qui Majeſtatem nonniſi improprie dictam habent, ſi commiſſum, reo quoque perduellionis

duellionis nomen tribuemus; alioqui Majestatis simpliciter suo modo. Conspiratio in necem Consiliariorum Principis qua talium, pertinet etiam ad perduellionem improprie dictam *l. 5. C. h. t.*

7. Quæritur, an & scientia reum faciat perduellionis; & quidem extra ordinem puniri eum posse, non est dubium. Ordinaria pœna dolum malum requit, proinde scientiam cum societate consilii junctam. *c. cap. l. 5. §. 6. C. h. t.* junct. *l. 2. ad l. Pomp. d. parricid.* & *l. 1. §. 17. & 28. ad Sct. Sil.*

8. Accusatus de hoc crimine statim post accusationem institutam à bonorum suorum administratione removetur; alienationes non tenent; & debitores *ei* non recte solvunt. *l. 6. §. 1. l. 8. fin. pr. C. h. t. l. 6. §. 1. C. eod.*

9. Convictus gladio, cruce, etiam aqua & ignis interdictione olim mulctabatur, *l. 3. ff. l. 5. C. hic. Paul. lib. 5. sent. c. 29. ubi Cujac.* hodie quidem semper morte punitur; *d. l. 5. in pr.* & memoria etiam mortui damnatur *l pen. & ult. C. h.* præterea filii sunt infames, & successionis cujuscunque incapaces *d. l. 5. §. 1.* præterquam, quod filiæ ex bonis maternis Falcidiam accipiunt *d. l. 5. §. 3.*

10. Hæc scil. in perduellione. Majestatis in specie crimen morte simpliciter adficitur *l. ult. h. t.* & improprium arbitraria pœnâ, pro meritis circumstantiarum plectitur. Corvin. *h. t. in fin.*

11. Sed quod modo de liberis perduellium dictum est, quær. Nepotes an filiorum appellatione in hac L. contineantur; videntur non contineri. Ratio est, In odiosis filiorum appellatione nepotes non comprehenduntur. Eâdem ratione, nec ad adoptivos, nec ad naturales filios prædictam constitutionem pertinere dicemus. Illud non dubito, pertinere eam æquè ad filios ante commissum crimen natos, atque eos qui post commissum crimen nascuntur. Etiamne ad emancipatos? Videtur. Adde D. Wissenb. *h. t.*

12. Cum

12. Cum liberi damnatorum priventur jure faciendi teſtamenti; quæri poteſt, utrum hereditates eorum fiſco vindicentur, an vero legitimis heredibus ab inteſtato deferantur? Benignius eſt, ut legitimis dicamus. A. Matth. *de crim. diſp.* 3.

TIT. V.
Ad L. Jul. d. Adult.

DE hoc crimine dictum quod ſatis ſit *ad tit. Inſt. de Publ. jud. n.* 13. *& ſeqq.*

2. Accuſatio adulterii datur marito & patri intra dies 60. præ aliis, ſine metu calumniæ *l.* 14. §. 2. *&* 3. *d. t. l.* 30. *C. eod.* poſt dies 60. iiſdem, ut & fratri, patruo, avunculo, non cuivis, ut olim *d. l.* 30. nec datur poſt quinquennium, aut in adulteram poſt ſex menſes utiles à divortio *l.* 29. §. 5. *ff. & l.* 6. *C. d. tit.*

3. Lenocinii ex eadem lege tenetur, qui adulterium aut ſtuprum ſuaſit. *l.* 12. *h. t.* qui quæſtum ex adulterio uxoris aut viri fecit, *l.* 2. §. 2. *l.* 8. *l.* 29. *h. t.* qui infamandæ uxoris cauſa adulterum ſubjecit, ut deprehenderet. *l.* 8. *l.* 9. *eod.* Cujus ope & conſilio, vel dolo malo in adulterio deprehenſi, ut ſe redimerent factum. *l.* 14. *pr. eod.* qui pro comperto adulterio vel ſtupro celando pecuniam accepit. *l.* 8.

4. Lenocinii pœna olim eadem erat cum pœna adulterii *l.* 8. *hic. l.* 2. *l.* 9. *C. eod.* nempe relegatio aut deportatio. *l.* 37. *de minor. l.* 29. *hic.* hodie eſt in mangonibus & lenonibus ultimum ſupplicium, *Nov.* 14. §. 1. in reliquis arbitraria, atque extraordinaria. *l.* 1. §. *qui puero, de ext. crim. Wiſ. hic n.* 16.

TIT. VI.
Ad L. Jul. de Vi publ.

TErtium in hoc ordine eſt vis, quæ & ipſa lege Julia vindicatur. Eſt autem vis duplex: alia publica, privata

vata alia. Publica (ſi Cujacio credimus) olim dicebatur, quam contra jus faſque inferebat perſona publica, quæ cum imperio & poteſtate eſt Privata quæ privatus, argumento eſt Paulus *lib. 5. ſent.* 26. §. 3. Hodiè vis publica eſt, quæ fit armis. Privata quæ ſine armis §. 8. *Inſt. de publ. jud. l. 9. l. pen.* §. 1. *de vi publ.*

2. Sed & vis publica eſt quælibet atrocior violentia, tam quæ fit armis quam ſine armis *l. ult. h. t.*

3. Ergo lege Julia de vi publica tenentur, qui arma, tela domi ſuæ, agrove in villa præter uſum venationis vel itineris, vel navigationis coegerint. Qui turbæ ſeditionisve cauſa ſervos aut liberos homines in armis habuerit. Qui cum armis, hominibuſve armatis incendium fecerit, villas expugnaverit, bona rapuerit, poſſeſſorem domo, agrove ſuo, aut nave dejecerit. Qui cum telo dolo malo in concione fuerit, aut ubi judicium publicè exercetur, Qui magiſtratus Pop. Rom. civem Romanum contra provocationem necaverit *l. t.* 3. 5. 10. 11. *D. h. tit.*

4. Tenentur & qui ſine armis vim fecerunt, ſi vis ab eis facta atrocior ſit: cujusmodi ſunt, qui convocatis hominibus incendium fecerint; quique ex incendio quid rapuerint. Qui fœminam per vim ſtupraverit. Qui nuptam innuptamve mulierem rapuerit. Qui legatum, oratoremve, aut comites eorum pulſaverit, injuriam fecerit. Qui reum vinxit, impediitve quo minus Romæ intra certum tempus adſit. Qui nova vectigalia exercuit, *l.* 3. §. 3. & 4. *l.* 6. *l.* 7. 8 *ult. D. h. tit.*

5. Pœna legis hujus eſt aquæ & ignis interdictio, in cujus locum ſucceſſit deportatio *l.* 16 §. 1. *D. h. tit.* §. 5. *Inſt. de publ. jud. Paul.* 5. *ſent.* 26. Exacerbatur in ſervos, & eos qui cædi cauſam dederunt; hi enim capite puniuntur *l.* 8. *l.* 6. *C. h. tit.* ſicut & incendiarii, quiplerumque vivi exuruntur *l.* 26. §. *incendiarii D. de pœn.* & tenentur etiam lege Corneliâ de ſicariis *l.* 1. *pr. D. ad leg. Corn. de ſic.*

6. Punitur etiam capite, qui in turba cum telo re-

des

des alienas aut villas expugnaverit *l. pen. h.* Qui non in turba id fecerint, extra ordinem accusantur, *l. 1. §. ult. l. 2. D. de effract. & expilat.* Quæritur, an & qui oppugnaverunt ædes alienas, non expugnaverint, capite sint puniendi? Placet sententia Wesenbecii in par. h. non esse puniendos: etenim non conatus, sed consummatum crimen capitis pœna punitur.

7. Specialiter punitur raptus virginis viduæque honestæ capitis pœna, seu stuprum sit junctum sive non, Imo etsi sponsam rapuerit sponsus; licet etiam non coacta sit mulier *l. unic. C. d. rapt. virg. l. 5. §. ult. h.* Sed hoc utrumque durum & moribus aliter. Imo l. unic. sic capienda videtur, ut violentia quidem abfuerit, malæ tamen artes adhibitæ sint.

8. Raptores in ipso flagitio deprehensi impunè à parentibus, consanguineis, tutoribus, patronis, dominis virginis vel viduæ occidi possunt. *d. l. un.*

TIT. VII.

Ad L. Jul. de vi priv.

PRivata vis dicitur, quæ minus est atrox: exempla sunt in *l. 2. 3. 5. & 6. h.*

2. Scil. qui ex naufragio quid dolo malo rapuerint, qui convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberaretur, pulsaretur neque homo occisus sit: aut fecerit quo minus quis in jus produceretur: aut ut ex agro suo sine armis dejiceretur: quique ipse dejecerit, spoliaverit, qui quæstionem de alterius servo habuerit, qui debitori suo debitum per vim extorquere conatus fuerit, aut bona ejus sinè judicis auctoritate occupaverit *d. l. 1. 2. & tit. D. ad leg. Jul. de vi priv.*

3. Ex his speciebus, quædam utroque legis capite vindicantur: Ut si quis convocatis hominibus vim fecerit, *l. 5. l. 10. §. 1. D. de vi publ. l. 2. D. de vi privat.* Et sane, posse quandoque ex eodem facto utriusque capitis crimen objici ostendit *l. 32. D. de pœn.*

4. Pœn

4. Pœna hujus legis est, publicatio tertiæ partis bonorum cum infamia. Itaque damnatus nec Senator nec decurio, nec judex esse, nec ullum honorem capere potest *l.* 1. *l. ult. D. ad leg. Jul. de vi priv. l.* 2. *eod.* §. 8. *Inst. de publ. jud.* Is autem, qui debitori vim fecerit extorquendi debiti causa, etiam jus crediti amittit. *l. pen. D. h. tit. l.* 13. *D. quod met. caus.*

TIT. VIII.

Ad L. Corn. d. Sicar.

HAc Lege tenetur non homicida tantum, sed & is qui cum telo ambulavit hominis occidendi gratiâ *l.* 1. *pr. h.* & quidem huic ultimæ speciei pœna deportationis, quam lex Corn. infligit, potius convenit, quam ipsi homicidio. Sed quia cives Rom. gravius quàm exilio non puniebantur, hinc factum, ut homicidis & cum telo ambulantibus eadem pœna statueretur; quod cum hodie aliter se habeat, & mors cædi proposita sit, sequitur mitius cum telo ambulantes quàm homicidas esse puniendos, quod nec Romani ignorarunt; sed discrimen illud assequi non potuerunt, quia tempore Syllæ gravius supplicium secundum leges erat ignotum.

2. Conatus etiam homicidii ordinariâ pœna afficitur *l.* 1. §. 1. *h.* Icil. qui jam cœpit in effectum deduci *d.* §. 1. In aliis criminibus perfectum scelus requiritur. *l.* 12. *ad l. Jul. d. Adult. L.* 6. *l.* 22. §. 4. *adl. Corn. d. Falsi. l.* 1. *pr.* & §. *ult. d. extr. crim.*

3. Si quis cædenti opem tulerit, haud dubie sicarius est; tametsi alter princeps sceleris patrati videatur; *arg. l.* 1. *D. de receptat. l.* 54. §. 4. *D. de furt. l.* 7. *D. ad leg. Pomp. l. un.* §. & *qui eis auxilium. C. de raps. virg.*

4. Dolus, hoc est, propositum requiritur, culpa non sufficit *l.* 7. *h.* Dolus autem intelligitur, si quis ferro, id est, ense, cultro, sicâ percussit, etsi repentinâ irâ, *l.* 1. §. 3. *h. t.* Licet homo alioqui clementissimus *l.* 16. §. 8. *d. Pœn.* nisi exquisitæ quandoque cir-

cum-

cumſtantiæ mitigari pœnam ſuadeant, ut ſi puer collusorem ſubito impetu occidat, *d. l.* 16. §. 8. cave tamen ideò putes verba *d. l.* 1. §. 3. eſſe mendoſa. de quo *alibi*. Nec obſt. *l.* 14 *h.* voluntas enim ibi pro dolo ſumitur, qui ſi abſit, caſus fortuitus non nocet, *add. l.* 3. §. 2. *h.*

5. Quid autem? ſi quis circa perſonam errans, Mævium occiderit, cum Titium vellet, an quaſi effectu ſceleris deſtitutus mitius puniendus erit? Tentabimus, hunc ordinaria pœna plectendum eſſe: fuit enim occidendi animus; occidit etiam: tametſi non eum quem deſtinaverat. Ita, qui Titio injuriam facere vult, ſi Sejo faciat, quem Titium putat, Sejo injuriarum tenetur *l.* 18. §. 3. *D. de inj. Vaſq.* 3. *cont. ill. cap.* 96. *n.* 32. Idem, ſi cum Titium occidere vellet, Mævium adſtantem, aut prætereuntem, vel & intervenientem occiderit: eſt enim eadem utroque caſu ratio.

6. Quandoque tamen propoſitum hactenus excuſabile eſt, ut pœna extraordinaria infligatur; exemplum in marito, qui uxorem adulteram occidit *l.* 1. §. *ult. h.* & qui moderamen inculpatæ exceſſit tutelæ *arg. l.* 14. §. 6. *d. bon. libert. l.* 38. §. 8. *d. Adult.* adde *d. l.* 1. §. 3. *h.*

7. Quantum ad perſonas attinet eorum, qui cæſi dicuntur, parum intereſt, qualem hominem occideris, liberum an ſervum *l.* 1. §. 2. *l.* 11. §. 1. & 2. *D. h. tit.*

8. Sanè ſunt qui impunè occidi poſſunt: nempe transfuga *l.* 3. § *ult. D. h. tit.* deſertor militiæ *l.* 2. *C. Quand. lic. unic. vind. ſe vel publ. devot.* latro & nocturnus graſſator in agris *l.* 1. *C. eod. l.* 2. 3. 4. *C. h. tit.* quin & fur quicunque alius, ſeu diurnus, ſeu nocturnus, ſi telo ſe defendat, parcique ei ſine periculo non poſſit *l.* 9. *D. h. tit. l.* 4. §. 1. *D. ad leg. Aquil. l.* 54. §. *furem D. de furt.* adulter *l.* 20. & *ſeqq. D. ad leg. Jul. de adult.* raptor mulieris *l. un. verſ. nec igitur C. de rap. vir.* ſtuprator, qui vim adhibet *l.* 1. §. *per. D. h. tit.*

9. Pœna legis Corneliæ fuit deportatio, & omnium bonorum publicatio: post honestiores quidem deportari, humiliores capite plecti cœperunt *l.* 3. §. *pen. h. t. tit.* Justinianus vero in §. 5. *Inst. de publ. jud.* tantum gladii pœnam proponit, eâque hodie utimur.

TIT. IX.

Ad L. Pomp. d. Parricid.

PArricidium proprie dictum, est cædes ejus qui linea recta sanguine junctus est, laxius pro cæde aliorum quoque cognatorum sumitur *l.* 1. *h.* §. 6. *l. publ. jud. l.* 9. §. 1. *h.* Pater tamen parricida non est is quem habet in potestate *arg. d. l.* 1. sed bene mater ita. Punitur autem ut homicida pater, quod est vestigium juris antiqui Patriæ potestatis vitæ necisque *d. l.* 1.

2. Notitia sola extra ordinem mitius punitur *l.* 2. nisi conscientia societati illigata sit *l.* 6. *h.*

3. Pœna parricidii stricte dicti est in *l.* 9. *h.* vid. §. 8. *l. h. t.* ubi plenius hæc enarrata sunt.

4. Quod parricidii pœna dicitur esse perpetua in *l. ult. h.* id de maximo in criminalibus spatio intelligendum, quod est vicennium *l.* 12. *C. ad l. Corn. d. Falsi.*

5. Cæterum, sicut legis Corneliæ pœna mitigatur ei, qui stimulo justi doloris concitatus occidit; ita patri quoque pœnam mitigant L. L. si justi doloris vi victus filium peremerit *l.* 5. *D. h. tit.*

6. De causis doloris ita tradunt Dd. *Ex quibus causis filius exheredari potest, ex iis si cæsus sit, pœna patri mitiganda est*, haud temere de mitigatione. Sunt etiam quibus plane ignoscendum, qualis est in *l.* 35. *D. de relig. & sumt. fun.*

7. Si filius patrem verberaverit, non occiderit, quid fiet? Præfectus urbi delictum, ad publicam pietatem pertinens, vindicabit pro modo admissi *l.* 1. §. 2. *de obseq. par. & patr. præst. l.* 3. & 4. *C. de patr. pot.* Jure divino est pœna capitis. *Exod.* 21. *v.* 15. eademque si maledixerit *vers.* 17.

& E

8. E contrario, ſi pater filium male contra pietatem adficiat, invitus eum emancipare cogitur *l. ult. D. Si a par. quis man. ſit l. 5. D. h. tit.*

9. De expoſitione infantium diximus *ad tit. de Agnoſ. & alend. lib.*

TIT. X.

Ad L. Corn. d. Falſ.

DE Falſo egimus ad *tit. ult. Inſt. n.* 30. *& ſeqq.* ubi ſpecies ejus varias indicavimus. Sunt in *l.* 1. §. 1. 2. 4. 9. *l.* 3. *l.* 8. *h. t.* nec minus variant pœnæ; quandoque deportatio *l.* 1. §. *ult.* aliquando ad beſtias *l.* 8. quandoque relegatio *l.* 21. vel interdictio ordinis aut officii *l.* 13. §. 1. quin aliquando pecuniaria in duplum pœna *l.* 32. §. 1. *add. l.* 8. 11 16. 17. *pen. & ult. C. h. t.*

2. In univerſum committitur falſum vel circa homines, vel circa res. Circa hominem falſum committit, qui falſum partum ſupponit; *l.* 19. §. 1. *l.* 30 §. 1. *hic.* vel nomen *l.* 13 *ff. l.* 20. *C. eod.* vel teſtes aut teſtimonia corrumpit *l.* 1. §. 1. & 2. *l.* 20. *ff. eod.* qui judicem corrumpit, vel corrumpendum curat; *l.* 21. *in fin. hic.* qui diverſa inter ſe teſtimonia præbuit *l.* 27. *h. l.* 1. *C. h. t.*

3. Falſum partum qui ſupponit, tam mulier quam obſtetrix, pœna capitali punitur *l.* 2. *de Carb. edict.* Ejus accuſatio nullâ temporis præſcriptione depellitur; nec intereſt deceſſerit, nec ne, ea quæ partum ſubdidiſſe contenditur *l.* 19. §. 1. *hic.* De eo ſoli accuſant parentes tum hi quorum intereſt, non quilibet ex pupillo, *l* 30 §. 1. *hic.*

4. Circa nomen committit falſum, qui dolo malo *l. un. C. de mut. nom.* nomine vel cognomine falſo *l.* 13. *hic.* aut inſignibus & titulis altioris ordinis utitur *Paul. 5. ſent.* 25. §. 11. § 12. *ubi Cujac.* qui nomine magiſtratus falſas literas proponit, aut reddit. *l.* 25. *hic.* qui tutor cum eſſet, eo diſſimulato, vectigalia publica conduxit *l. un. C. ne tut. vel cur. vect.*

5. Circa teſtimonium committit falſum, *l.* 1. §. 20. qui ſive falſum perhibet, ſive verum maliti tacet. Et qui pecuniam pro ferendo teſtimonio ac piſſe, pactuſve fuiſſe convincitur *d. l.* 1. §. 1.

6. Falſum quoad res, committitur circa monetam *l.* 1. 2. 3. *C. de falſ. mon.* ſcripturam, *l.* 1. *l.* 16. *hic.* menſuram, *l.* 32. *eod.* & alias res, puta leges & conſtitutiones.

7. Circa monetam, falſum committit, qui veram cudit, cujus ipſi non eſt poteſtas, *l.* 2. *C. de falſ. mon.* ubi pœna vivicomburii; adde qui eam radit, diminuit, *l.* 8 *hic.* qui in aurum quid vitii addit *l.* 9. *eod.* qui adulterinam monetam conflat. *d. l.* 9. eam ſciens dolo malo expendit. *d. l.* 9. *l.* 1. *l.* 2. *l.* 3. *C. de falſ. mon.* qui cum prohibere tale quid poſſet, non prohibuit. *d. l.* 9. domus, ob negligentiam domini publicatur *d. l.* 2. *C.* 9.

8. Circa ſcripturam falſum committit, qui ſcripturam, ſive publicam, ſive privatam abolet, radit, immutat, aut alio modo, quominus veritas appareat, facit. *l.* 1. *l.* 16 *l.* 23. *l.* 38. *&c. hic l.* 21. *l.* 23. qui legatum vel hereditatem ſibi in teſtamento alieno adſcribit l. 1. §. 7. *l.* 4. *l.* 5. *l.* 13. *l.* 12. *l.* 15. *l.* 17. *l.* 18 *l.* 22. §. 1. *hic.*

9. Circa menſuram falſum committit; qui injuſta menſurâ, pondere, bilance utitur. *l.* 32. §. 1. *hic.*

TIT. XI.

Ad L. Jul. repet.

HAc lege puniuntur ſordes & nundinationes magiſtratuum, ut dictum ad *Inſt. tit. ult. n.* 39. & *ſeqq.*

2. Pœna eſt gravior ex circumſtantiis *l.* 7. §. *ult. h.* aliquando & in quadruplum *l.* 1. *l. ult. C. h. t.* ita ut duplum reſtituatur ſpoliato, ac duplum inferatur fiſco. *l.* 3. *C. aſſeſſ.*

3. Datur in hæredem reſpectu mulctæ pecuniariæ *l. ult. ad l. Jul. pecul.* intra annum à morte rei *l.* 2. *ff. l.* 1. *C. h.*

C. *hic.* poſt annum non; niſi in quantum ad eum pervenit *l. 5. in pr. de calumn.*

4. Hac lege damnatus teſtimonium publice dicere, judex eſſe, & poſtulare prohibetur, *l. 6. inpr. & §. 1. eod.* Tandem lex venditiones omnes & locationes, ejus rei causa pluris minoriſve factas, irritas facit *d. l. pen.*

5. Munera licet accipere, modo infra Centum aureos in anno *l. 6. in fin. h. t.*

TIT. XII.
Ad L. Jul. d. Annonâ.

QUi effecit, ut carior annona fieret, is multatur 20. aureis *l. 2. §. ult. h.* & præterea extra ordinem plectitur *l. 6. d. extr. crim.*

2. Conſtitution. Car. V. capitalis eſt pœna *art. 113. conſt. crim. 5.* Hæc accuſatio non modo publica eſt, ſed & ſervis & mulieribus conceditur *l. 1. l. fin. § fin. hic.*

TIT. XIII.
Ad L. Jul. Pecul.

PEculatus late acceptus comprehendit ſacrilegium, cui ſtrictè opponitur in *rubr. & l. 1. h. t.* ut dix. *ad Inſt. de publ. jud. n. 31. & ſeqq.*

2. De ſacrilegio ejusque pœna *vid. l. 6. pr. h.* Sed cum res ſacræ inter Chriſtianos novi ſœderis ſint propriè nullæ, ſequitur nec ſacrilegium eſſe, ſed furtum atrox

3. In pecunia civitatum peculatus committitur ex conſtit. Trajani & Hadr. in *l. 4 §. ult. h. Imo furtum, non Peculatus l. 81. de furt.* Alciat. 1. *diſp.* 3. ex mſ. quod valde extollit, emendat *nec non:* aliis obloquentibus; forte, ut anceps quæſtio fuit, tempore *Papiniani* ſecus viſum fuit.

4. Criminis peculatus accuſatio quinquennium durat *l. 7. hic.* Etiam in hæredes exercetur, quatenus pecuniam reſpicit *l. ult. hic.*

5. Est adhuc crimen residuorum, quo tenetur qui pecuniam publicam in aliquos usus delegatam retinuit, neque in eos absumpsit, & multatur tertia parte amplius quàm accepit *l.* 4. §. 5. *d. Pecul.* & is apud quem ex locatione, emptione, aliave causa, pecunia publica resedit. *d. l.* 4. § *lege.* si eam ad ærarium non est professus, vel si professus retinuit ultra annum *d. l.* 9. §. *ult.*

TIT. XIV.
Ad L. Jul. d. Amb.

DE ambitu tenetur, qui corruptis populi suffragiis honores petunt, non qui Reipublicæ palam offerunt, ac donant ob decretum honorem, aut decernendum *l.* 1. §. 1. *de pollicit.*

2. Cui criminii in urbe locus non est, postquam Magistratuum creatio ad curam Principis, non ad populi favorem pertinere cœpit *l. un. in pr. h. t.* Ideo nunc *ad eos* spectat, qui in municipio magistratus, vel sacerdotia, illicito modo, ambiunt: *d. l. un.* §. 1. qui novum vectigal instituunt. *d. l.* §. *pen.*

3. Et per legem Juliam producitur ad reum, vel accusatorem, qui domum judicis ingressus est *d. l. un.* §. *ult.* Item ex constitutione Arcadii & Honorii, ad eos qui administrationis ratione non reddita, idem officium repetunt & continuant *l. un. C. eod.*

4. Pœna hujus criminis, ex lege Julia fuit prohibitio ad quinquennium honores petendi. Ex Senatus consulto, & lege Julia Judiciaria, est centum aureorum, cum infamia *l. un.* §. 1. & §. *fin. hic.* Ex constitutione Arcadii & Honorii, deportatio *l. un. C. eod.*

5. Cum quo parum convenit, quod est in *l. un. d. suffrag.* ubi condictio datur aulicis ad petendum id, quod pro suffragio ipsis est promissum; nam etsi Princeps hac lege non teneatur *l.* 1. *h.* ministri tamen corrumpendi non erant.

6. In *l. ult. C. ad L. Jul. Repetund.* ab iis qui honores & mu-

munera publica adepti sunt, juramentum purgationis exigitur, quadrupli pœnâ tam adversus dantem quam accipientem constitutâ *l. ult. C. ad L. Jul. repetund.*

TIT. XV.
Ad L. Iul. d. plag.

QUi hominem liberum sciens dolo malo, invitum emit, vendit, celat, vinctum habet, alienumve servum dolo malo supprimit, aut fugitivum vendit *l. 2. h. l. 6. C. h. t.* plagiarius est, in liberis indistincte, in servis, si non adsit furandi animus *l. 6. f. pr.*

2. Pœna variat pro circumstantiis *l. ult. h. t.* Hodie tamen maxime capitalis *l fin C. h. t.* Deuteron. 24. *v.* 7.

TIT. XVI.
Ad Sct. Turpill.

IN hoc Sctum incidit, qui non impetrata abolitione in universum ab accusando desistit, puniendus extra ordinem cum infamia *l. 1. §. 1. & 7. h. l.* 13. *h. l. 2. C. h. t.* quinque etiam auri librarum meminit. *l. 3. §. ult. d. prævaricat.* quæ & privatum hoc esse crimen indicat.

2. Abolitio est exemptio reorum â crimine. Et est duplex, publica vel privata. Publica, ob diem insignem aut gratulationem publicam *l. 8. h.* datur que invito etiam reo; qui tamen intra dies 30. denuo ab eodem vel ab alio accusari potest *l. 7. l. 10. §. 2. l. 12. h.* privata abolitio fit, actore postulante, quem accusationis pœnitet. Concedi solet propter errorem, cognationem, ætatem *l. 2. C. d. Abol. l. 16. & 30. C. ad L. Jul. d. Adult.*

3. Hæc invito reo, maxime si vinctus aut tortus sit, vix conceditur *l. ult. C. d. Abol.* Qui verò hanc privatam

impetravit, is amplius accusare non potest *l.* 3. *l.* 4. C. *de Abolit.* nisi ex indulgentiâ principis *l.* 1. *C. eod.* alius potest intra dies 30. utiles *l.* 3. §. *fin. d. Accus.* Sed & graviorum criminum reis plane non prodest *l ult. C. d. t.*

4. Notetur, esse diversa circa accusationes vitia, quæ veniunt vel ex parte accusatoris, vel ex parte rei. Ex parte accusatoris, calumnia, prævaricatio, tergiversatio *l.* 1. *pr. hic.* Calumniator est, qui falsa crimina sciens, & dolo malo intendit. *d. l.* 1. §. 1.

5. Qui in judicio publico calumniatus est, *infamia* notatur *l.* 1. *d. his qui infam. not. l.* 8. *C. d. calumniat.* & pœnâ talionis afficitur, id est, quam reus passus erat, si convictus fuisset. *l. ult. eod.* Qui in privato judicio est calumniatus, extra ordinem, pro qualitate admissi, plectitur, *l.* 3. *hic.*

6. Sed quidam sunt, de quorum calumnia quæri non solet, nec licet. *l.* 15. §. 2. *hic.* ut puta mater, quæ filii necem vindicat; *l.* 2. *C. de calumniat.* qui paternam mortem ulciscitur. *l.* 4. *C. eod.* maritus ut *sup.* & similes.

7. De nunciatoribus publicis constitutum est, apertam eorum calumniam impunitam esse non debere. *l. ea quidem. C. de accusat. l.* 6. §. 3. *hic.*

8. Prævaricator est, qui cum reo colludit. De eo dixi supra *l.* 47 *tit.* 15.

9. Tergiversator est, qui in universum ab accusatione desistit. *l.* 1. §. 6. *h.* de quo est *Sc. Turpil.*

10. Cum hodie privati raro accusent, vix est, ut Sti Turpilliani locus aut usus superfit.

TIT. XVII.

De requir. & damn. reis.

UT rei criminum damnentur, opus est præsentia illorum: absens enim nemo punitur, etsi crimen sit manifestum *l.* 1. *pr.* & §. 1. *h.* quod secus in praxi, plerâque Europâ; apud Frisios jus civile servatur. Utique,

ue, ſi jam ſemel ſe ſtiterit, peragi judicium poteſt *l. 1. pr. d. Pœn. Sand. lib. 5. tit. 9. def. 2.*

2. Reo non deprehenſo, bona ipſius annotantur, publicanturque, ſi intra annum ſe non defendat, quem in finem citari debet *l. 1. §. 2. & ſeqq. h.* Annus autem currit, ex quo per edictum reus eſt citatus *l. 4. pr.* vel à die accuſationis, ſi initio præſens fuerit. *l. 2.* ubi *injus petitus, C. h. t.*

3 Ad defendendam tamen innocentiam reus omni tempore poteſt admitti, *l. 4 §. ult.* ſed bona non recuperantur *l. 5. pr.* Quod ſi reus intra annum moriatur, bona ad heredes tranſmittuntur *l. 1. inf. h.*

4. Viginti quoque annorum præſcriptione fiſcus plane excluditur *l. 2. §. 1.* ut & omnis accuſatio ac pœna *l. 2. & 3. h. l. 12. C. d. L. Corn. de Falſ.* Interrumpitur illa præſcriptio per in jus vocationem. Sand. *d. def. 2. in fin.*

TIT. XVIII.

De Quæſtion.

QUæſtio eſt interrogatio de crimine per tormenta. Quæ ut locum habeat, quo requiruntur: primo, ut grave ſit delictum *l. 8. h.* ſecundo ut ſint graviſſima argumenta *l. 1. §. 1. l. 8. §. 1. C. h. t.*

2. Proinde non ob famam, fugam, fluxum ſanguinis, unumve teſtem *l. 20. h. t.*

3. Torqueri nequeunt milites *l. 8. C. h. t.* neque digniores, niſi in crimine atrociſſimo *l. 11. 16. & ſeq. C. h.* nec ſervus in caput Domini *l. 1. §. 16. h.* excepto crimine majeſtatis, annonæ, monetæ, & adulterii *l. 53. d. jud. l. 1. l. 7. & 15. C. h.*

4. Nec is, qui de ſe confeſſus eſt crimen, in alios torquendus eſt *l. 16. §. 1. h.* ſecus, ſi convictus *l. 29. in fin. d. Pœn.* Excuſantur & decuriones, *l. 11. l. 16. C. h.* horumque liberi, *d. l. 11.* impubes, *l. 10. l. 15. hic.* prægnantes, *l. 3. de pœn.*

5. Qui semel est tortus, potest quidem evidentioribus argumentis emergentibus repeti in quæstionem *l.* 18. §. 1. at si ter tortus fuerit, absolvendum ab instantia non male censent DD.

6. Quæ, & quanta tormenta adhibere oporteat, arbitrio judicis committitur *l.* 7. *eod.* videlicet, pro moderatæ rationis temperamento. *l. de minore* 10. §. 3. Item, an, & quæ fides sit eis habenda. *l.* 1. §. *quæstioni* 23. *&* §. *ult. eod.*

7. Confessio in tormentis facta ad condemnationem non semper sufficit, nisi cum circumstantiis convenit, nec revocetur *l.* 1. §. 17. *l.* 23. *& ult. ff. eod.* Quod si reus eam revocet, rediri ad equuleum potest, quia prior confessio in tormentis facta, est loco semiplenæ probationis, & facit novum indicium. *Bald. in l. fin. C. de prob.*

8. Quid si bis tortus & confessus bis revocet, tertium ne torquendus, an damnandus? Si valde prægnantia sint indicia & facti principalis & malitiæ in revocatione, potest damnari, ut memini à summâ Curia factum adversus incendiarium astutum & juris ejus conscium, quod scil. ter tortus foret absolvendus.

TIT. XIX.

De pœn.

POena est delicti coercitio *l.* 131. *d. V. S.* Alia est capitalis, alia non capitalis, alia legalis, alia arbitraria. Capitalis, *ἐν πλάτει* appellatur, quæ vel vitam, vel libertatem, vel civitatem adimit. *l.* 2. *b. & l.* 2. *de publ. jud.* propriè & strictè, quæ caput vitamque adimit *l.* 21. *hic.*

2. Variis modis infertur, ut igne, gladio, laqueo, bestiis, *l.* 28. *l.* 11. § *fin. l.* 8. §. 1. *hic.* quin capitalis pœna in genere dicitur omnis famæ causa *l.* 103. *d. V. S.* sed in ultimis suppliciis erant olim gradus: Namcrux *κατ' ἐξοχήν* summum dicebatur supplicium, aliquando & vivicomburium. *d. l.* 28. *pr. h.*

3. Sed

3. Sed hodie inter prohibita ultimi ſupplicii genera , crux; quia ſublatum eſt crucis ſupplicium à Conſtantino, ejuſque loco introducta furca; uti ſcribunt Zephorus & Aurelius Victor in Conſtantino. *Cuj. in ſent. Paul. tit.* 17. §. 1. & 16. *obſ.* 1.

4. Vetitum quoque, ne quis ſecuri vel telo perimatur *l.* 8. §. 1. *D. de poen. Spart. & Xiphil. in Caracal.* ne fuſtibus aut virgis ad necem uſque cædatur, aut armentis enecetur *d. l.* 8. §. *nec ea quidem. l. pen. D. de quæſt.* aut veneno *d. l.* 8. §. 1. aut inedia *l.* 10. *D. de inter. & releg.* aut de ſaxo præcipitetur *l.* 25. §. 1. *D. de pœn.*

5. Proxima morti pœna eſt, in metallum damnatio *l.* 28. *pr. verſ. deinde.* vel in opus metalli: nihil enim intereſt, niſi vincula; quibus gravioribus in metallum, levioribus in opus metalli damnati premuntur: unde & refugæ ex odore metalli in metallum dantur *d. l.* 8 §. *eſt pœna* 4. & §. *inter eos autem D. de Pœn. l.* 5. §. *ult. D. de extr. cognit.*

6. Non Capitalis vel corporis coercitione conſtat, ut fuſtes & flagella *l.* 7. *l.* 10. *h.* vel damno cum infamia *l.* 8. *pr. l.* 28. §. 1. Damnatio ad opus publicum perpetuum, capitalis pœna videtur *l.* 17. §. 1. ſecus, ſi temporarium *l* 6. *C. exquib. cauſis inf.* Carcer jure Civ. ſpecies pœnæ non eſt *l.* 8. § 9. *l.* 35. *h.* etſi ad tempus puniendi cauſa quandoque homines includantur *l.* 28. §. 1. *inf. h. l.* 1. §. *ult. d. Aleat.*

7. Pœna legalis eſt, quæ à jure limitata & expreſſa. Arbitraria, quæ judicis arbitrio commiſſa eſt.

8. Pœnam irrogat magiſtratus, penes quem jus eſt gladii, & merum imperium, ut præfectus urbis, Præſes; quam ſemel impoſitam, revocare nequeunt, ſolus Princeps poteſt *l.* 27. *l.* 31. *hic. l.* 14. *l.* 16. *C. eod.*

9. Sed in pœnis irrogandis ſeptem debet ſpectare circumſtantias; cauſam, perſonam, locum, tempus, qualitatem, quantitatem, eventum; *ut explicatur in l.* 16. §. 1. & *ſeq.*

10. Pœ-

10. Pœnam tollit mors damnati *l.* 2. 3. *C. si reus vel accus. mort. l.* 20. *de accusat.* abolitio, indulgentia, restitutio & remissio à Principe facta, *ff.* & *C. de sent. pas.* & *restit.* & *de abolit.* præscriptio viginti annorum. *l.* 12. *C. ad L. Corn. de falsi.*

11. Pœnam mitigat, diuturnitas temporis, *Gl.* & *D. D. in l. si diutino.* 25. *hic.* & *l. querela. C. de falsi.* in, *l. un. C. Si quis Imp. maled. l.* 3. *de divort.* inconsultus calor *l.* 1. §. 5. *ad Sc. Turp.* dolor, *l.* 38 §. 8. *de adult.* ebrietas, *l.* 6. §. 7. *de re milit.* ætas, *l.* 1. §. *impubes*; *d. SC. Claud.* sexus, *l.* 6. *ad L. Jul. pecul. c. sicut ae homicid.* ignorantia juris, aliquando & facti, *l.* 1. §. *Divus* 3 *ad L. Corn. de sicar. l.* 5. §. *ult. hic. d. l.* 38. §. 2. affectio consanguinitatis, *l.* 2. *de recept. l.* 1. *C. de his qui latro.* quæ tamen & gravare potest; necessitas famis, *c. si quis propter. de furt.* merita publica *l.* 3. § *ult. de re milit.* insigne artificium, *l.* 31. *hic.* &c. Corvin. *h.* Quæ tamen prudenter accipienda, nec sine sale. *Sand.* 5. 9. 1.

12. Argumentis, indiciis, & indubitatis præsumptionibus posse aliquem capitis damnari probat *l.* ult. *C. de Probat. l.* 22. *C. ad l. Corn. d. Falsi.* generaliter, quod omnis probatio artificialis æque ad fidem faciendam quàm inartificialis valeat *d. l. ult. C. de Prob.* Multum tamen abest, ut ex suspicionibus quemquam damnari dicamus *l.* 5. *h. t.* vid. Sand. *lib. ult. decis. tit.* 9. *def.* 14.

13. Condemnati capitis puniuntur demum post dies 30. *l.* 20. *C. d. pœn.* quod multi de his tantum, in quos Princeps extra ordinem animadvertit, accipiunt, propter *l.* 5. *C. d. Custod. reor.* hodie non servatur.

TIT. XX.

De bon. damn.

OLim bona capitis damnatorum publicabantur *l.* 1. *pr. h.* salvâ liberis parte dimidiâ *l.* 1. & *l.* 7. *ff. l.* ult. *C. h. t.* sed hodie cessat confiscatio, & bona servantur libe-

beris quibusvis & adscendentibus ad tertium gradum, excepto crimine perduellionis *N.* 134 *c. ult. juncta Authent. bona damnatorum C. de bon. damn.*

2. Jure civ. fiscus bona vendicat ubicunque sunt sita, sed in praxi cedunt fisco cujusque loci. Wissenbach. *ad h. tit.*

3. Pannicularia, & ea quibus induti sunt supplicio affecti non cedunt speculatoribus aut commentariensibus, sed in usus publicos referuntur *l.* 6. *h.* quod secus usu fere hodierno.

TIT. XXI.

De bon. eor. qui ant. sent.

QUi ex conscientia criminis sibi manus intulit, cum reus esset capitalis delicti, ejus bona publicabantur. Secus si tædio vitæ vel impatientiâ doloris elegerit mortem *l.* 3. *pr.* §. 4. & 6. *h.* tamen ut heredes admittantur ad innocentiam defendendam §. *ult.* Hodie sequitur hic titulus sublatam bonorum publicationem, de quâ *tit. præced.*

TIT. XXII.

De interd. & releg.

DIfferentia inter relegatos & deportatos repetenda ex Inst. Interdicitur, vel certo loco, pluribusve locis *l.* 7. §. 10. *cum* §§. *seqq.* & §. 10. *hic.* vel ordine, *d. l.* 7. §. 20. vel honore *d. l.* 7. § *pen.* & *ult.* vel negotiatione, vel professione, vel advocatione seu foro, vel spectaculis, *l.* 1. §. *pen. de off. præf. urb.* vel arte *l. ult. in pr. d. pœn.* ad tempus, aut in perpetuum. *d. l.* 1. §. *pen. d. l. ult.*

2. Relegatur vel à loco, quod nihil aliud est quam interdicere, vel in locum certum, *d. l.* 7. *in pr.* & §. *sicut cum* §§§. *seqq.* vel ad tempus, vel in perpetuum *d. l.* 7. §. 2. & *seqq.*

3. Re-

3. Relegatione ad tempus facta, bona adimi nequeunt *d.* 7. §. 2. si in perpetuum, pars bonorum expressim adimi potest *l.* 4. *hic.*

TIT. XXIII.

De Sent. pass. & rest.

QUi specialiter restituitur, recuperat omnia sua bona & jura & famam *l.* 2. 7. & 9. *C. h. t.* fructus tamen bonorum antea percepti non debentur ipsi, nec etiam bona prius per fiscum alienata, quia beneficium hoc salvo jure aliorum indulgetur; alioqui restitutus directas habet actiones *l.* 3. *h.*

2. Nempe restitutio vel est simplex criminis indulgentia, & pœna tantum remittitur, nec quid amplius restituitur, *l.* 6. *l.* 7. *l.* 9. *C. hic. l. ult. C. de gener. abolit.* vel est restitutio in integrum, & ita plena est, *ut* etiam honoribus, ordini cæterisque omnibus *restituat l.* 1. *hic.*

TIT. XXIV.

De cadaver. punit.

CAdavera punitorum cognatis ad sepulturam conceduntur *l.* 1. *h.* etiam a judice *l.* 11. *C. de Relig.* nisi quod in deportatis venia Principis requiritur *l.* 2. *h. t.* Hinc adeò facilis Pilatus in permittendo sepulturæ corpore benedicto.

LIB. XLIX.

TIT. I.

De Appell. & Relat.

SEntentia lata aliquando rescinditur, nisi ipso jure nulla sit; quo casu rescissione nihil est opus. Verum, si adversus actorem lata sententia sit nullius momenti, perseverat is agere veteri actione; cui si opponatur exceptio rei judicatæ, replicandum de dolo: Sin adversus reum, actionem rei judicatæ elidet, oppositâ doli mali exceptione, *l.* 59. §. *ult. D. de re judic. l.* 1. *C. de sent. & interloc. l.* 4. *& 6. C. Quom. & quand. jud. sent. l.* 6. *C. Quand. prov. non est necess. l.* 2. §. *& generaliter l.* 9. *D. de dol. mal. & met. except. l. cum. d. te* 25. *D. de dol.*

2. Rescinditur sententia per in integrum restitutionem, per supplicationem, per appellationem. Per in integrum restitutionem rescinditur, non solum lata adversus minorem, sed & adversus majorem. Adversus hunc, si indefensus condemnatus sit; adversus illum, si defensus Nam adversus minorem indefensum lata est ipso jure nulla *l.* 14. *& tot. tit. C. Si adv. rem jud. l.* 1. *C. Quib. ex Caus. ma. rest. l. ult. D. de int. restit. l.* 4. *C. de procur.*

3. Per supplicationem rescinditur sententia Præfecti prætorio. Cum enim vice sacra judicet, absurdum visum est, appellatione interposita, de iniquitate sententiæ ab eo prolatæ queri. Offerendus igitur libellus supplex, quo quis, non ob iniquitatem, sed errorem retractari sententiam petat, *l præfecti* 17. *D. de minor. l. un. C. de sent. præf. præt. l. un.* §. 1. *D. de off. præf. præt. l.* 35. *C. de appellat.*

4. Germani adhuc habent *leuterationem. & oberleuterationem*, quæ sunt implorationes Judicis, ut sententiam à se latam declaret. Carpz. *de proceff. tit.* 17. & syndicatum

catum sive Accusationem judicis apud superiorem. *Ordin. Camer. p. 3. tit. 53. §. wo aber einige Partyen.*

5. Appellatio est querela non acquiescentis iniquæ sententiæ judicis inferioris. Sententiam intelligimus definitivam, non interlocutiones, ut *inferius*. Appellatur quidem etiam à nominatione ad honorem, munusve publicum *l. 1. C. de temp. appel. l. 1. D. de vac. & excus. mun.* ab indictione gravioris tributi, *Nov. 128. cap. 7.* sed inprimis à sententiâ.

6. Appellat non solum dominus, sed & is, cujus interest, & procurator, tutor, curator: Quin hi officii causa non solum possunt, sed & debent appellare, appellationemque interpositam prosequi *l. 4. §. 2. & seqq. l. 5. D. de appell. l. 2. D. An per al. caus. appel. poss. l. 17. C. de procur.* vide tamen de Procuratoribus supra ad *tit. de Procur. n. 21.*

7. Quin & citra mandatum auditur mater in causa filii, maritus in causa uxoris *l. 1. §. 1. D. de appell. recip. l. 21. C. de proc.* & generaliter quicunque citra mandatum agere possunt, etiam sine mandato appellare queunt. *Gail. 1. obs. 133.*

8. Relatio, cujus etiam mentio fit in Rubricâ, duplex est, una, cum judex causam plene instructam mittit ad Principem, ut is eam cognoscat & decidat, quo casu non potest appellari *l. 34. C. h. t.* Altera, cum judex relatis causæ meritis, ad Principem, de jure illum consulit, ut juxta consultationem ferat sententiam. *l. 1. & 2. C. de Relat.* Ab hac, quoniam fit partibus non auditis, recte appellatur *l. 1. §. 2. h. t.* sed hæc hodie regulariter est prohibita, *Nov. 125.*

9. Appellatio quoque dividitur in Judicialem, quæ à sententiis fit, & extrajudicialem, quæ fit à nominatione ad munus publicum & alio quolibet gravamine: de munere publico jus loquitur, ut superius dictum De gravaminibus aliis Canones *c. 1. c. cum Romana. 3. de Appell. in 6.*

10. Effectus appellationis est, ut extinguat sententiam,

am; hoc est, effectu suo privet *l.* 1. §. *ult. ad SC. Turp.* Qui autem postea sequitur effectus rei judicatæ, est secunda sententia, quæ cum se referat ad priorem, ideo & appellatio negatur extinguere, sed tantum suspendere dicitur sententiam *l.* 32. *C. d. Transact.* hinc & usuræ confirmatâ sententia priore cursum suum non interruptum continuant *l.* 24. *pr. h. l.* 41. *pr. d. usur.*

11. Admittitur appellatio in qualibet causa, etiam in capitalibus, & vel maxime in his; quin pro invitis quoque reis admittitur *l.* 6. *h. t.*

12. Uno appellante in causa ejusdem argum. reliquis prodest victoria ipsius *l.* 10. §. *ult. h.* Idem est, si appellans plures habeat adversarios, & quosdam in appellationis libello nominaverit *l.* 3. §. 1. *h. tit. C. Si un. e. plur. app.*

13. Potest interponi provocatio statim post sententiam, apud acta illius judicis, qui pronuntiavit: Nisi is copiam sui non faciat, aut propter metum provocari libere coram eo nequeat. *l.* 2. & *t. t. C. de his qui propt. met. jud non app.*

14. A sententia definitiva appellari potest, verbo, sine scriptura, sive apud acta, incontinenti, *l.* 2. *ff. l.* 14. *C. hic.* Si ex intervallo appelletur, libellus est necessarius, qui continere debet, quis appellet, contra quem, & à qua sententia *l.* 1. §. *ult. eod.*

15. A sententia interlocutoria, non habente vim definitivæ, aut ab alio gravamine, inscriptis, gravaminibus expressis, est appellandum *c. cordi hic in* 6. Stat. Fris. *tit.* 2. *art.* 59. 60.

TIT. II.
A quib. app. non lic.

NOn licet à Principe, nec à Senatu, nec ab eo, qui sine appellatione à Principe datus est *l.* 1. *h.* nec à sententia præf. Præt. *l. un. D.* & *C. d. off. Præf. pr.* sed conceditur à sententia ejus supplicatio, cui hodie revisio

respondet. *Nov.* 119. *c.* 5. nec licet ab executione, *nisi* modum legalem excedat, *l.* 5. *C. quor. app. non recip.* non ab arbitro compromissario, *l.* 1. *C. l.* 32. §. *cum. quidam. D. de recept. arb.* nec à judice, à quo litigantes, *si* non appellaturos caverunt, *d. l.* 1. §. 3.

2. A reliquis omnibus tam ordinariis, quam *delegatis* judicibus, provocatio instituipotest.

3. Reductio, quæ fit hodiernis moribus à pronunciatis Arbitrorum, non fit quasi per appellationem, sed per modum restitutionis, tanquam ab enormi læsione, ut diximus ad *tit. de Arbitr n.* 19. & *seqq.* Ergo non requiritur, ut reductio fiat ab Arbitris iisve insinuetur, sed rectâ potest ad superiorem querela deferri, modo pars adversa certior fiat intra tempus, contra quam aliquando vidi in foro opinantes.

TIT. III.

Quis à quo appelletur.

IN urbe à judice pedaneo appellatur is, qui dedit *judicem*, à mandatario non mandans, sed is qui mandante superior est *l.* 1. *pr.* & §. 1. *ult. h. t.* à prætore Præf. Urbi, & ab hoc Princeps *l.* 17. & 19. *C. de Appell.* In provinciis à duumviris appellatur ad præsidem, à Præside Princeps *l.* 7. & 19. *C. eod.*

2. Debet autem ita dirigi appellatio, ut nunquam per saltum fiat, sed semper ad proxime superiorem.

3. Si per errorem magistratus unus pro alio provocatus fuerit; & si quidem magistratus minor pro majore, nocet error, adeo ut non appellatum intelligatur. Non nocet, si major vel par ei fuit, qui debuit appellari; sed perinde cognoscere debet is, qui appellari debuit, ac si nominatim appellatus fuisset *l.* 1. §. 3. *de appell.* Moribus, sua quæque Gens habet proprios appellationis gradus.

TIT. IV.

Quand. appell.

TEmpora appellationi præſcripta, ſunt tria, interponendæ, introducendæ, proſequendæ appellationis. Interponendæ olim erat biduum in propria, triduum in aliena cauſa *l.* 1. §. 5. *h.* hodie ſunt decem dies poſt ſententiam N. 23.

2. Introducendæ appellationis terminus variat jure Civ. pro locorum intervallo. In eadem provinciâ ſunt tres menſes; ad Principis auditorium ſex *l. f. pr. C. de temp. app.* ad delegatum menſes duo *l.* 2. §. *ſin autem ex ſent. eod.* totidem in muneribus publicis *l.* 1. *d. t.* In appellatione ad ipſum Principem eſt annus *d. l. ult.* §. 2.

3. At non quovis die horum temporum, cauſæ appellationum agi poſſunt; obſervandi enim ſunt dies fatales, ita dicti, quod fatum finemque appellationibus adferant: Sunt autem decem, quinque ante lapſum, totidem poſt lapſum prædictorum temporum, quibus elapſis victus ipſo jure tres habet reparationes menſtruas. His ſi excitarit etiam adhuc quarta reparatio petenti datur à Principe, cis trimeſtre ſpatium *l.* 2. *l. ult. pr. C. de Temp. & repar. appell.*

4. Poteſt etiam victor poſtulare, ut appellationis cauſa etiam abſente poſt litem conteſtatam adverſario, peragatur *d. l. f.* §. *Illud. l. ult. C. Quand. provoc. nec. non eſt.* Cæterum, conventione partium prorogari poſſe dies fatales, dicendum videtur, per *l. ult.* § *ult. C. de Tempor. app. Nov.* 93. *c.* 1.

5. Sunt autem hæc tempora continua & utili so reſpectu, fere ſicut diximus ad *tit. Inſt.* 18. & *ad tit. de perp. & temp. act. n.* 11. & die latæ ſententiæ continentque dies etia *Nov.* 23. §. 1. tamen ut non præjudicent ign nec non, quibus defuit, coram quo appellare & *ult. h. t.* Perez. ad *tit. C. de Tempor. app. in pr* bus ſpatium illud interponendæ appellationis c ceptum eſt, in altero variatur. Gail. 1. *obſ.* 139

6. Tempus proſequendi appellationem eſt vel ex juſtâ causâ biennium *l. ult.* §. 4. & *Auth. Ei eod* At hoc moribus hodiernis non perinde obſ tur.

TIT. V.

De Appell. recip. vel. non.

CAſus, quibus appellationes non recipiuntu primo conſiderantur ratione cauſæ, veluti, de tutelæ munere fiat *l.* 1. §. 1. *quand. app.* ſi liſ momentanea poſſeſſione, ex Interdicto. *l. un. C. Si moment. poſſ.* ſi quæſtio ſit de annona, de aperiendo ſtamento, miſſione in poſſeſſionem bonorum, & re, quæ dilationem non recipiat *l. ult. hic. l.* 6. *C. appell.*

2. Sed nec admittitur provocatio poſt duas appell tiones inſtitutas, ſeu tres ſententias conformiter la *l. un. C. Ne liceat. in una ead. cauſ.*

3. Denique, ab Interlocutione non appellatur, ſi contineat ejuſmodi gravamen, quod ſententiâ corri non poteſt *l.* 2. *h. t.* ut jam ſuperius dictum.

4. Moribus hodiernis contra eſt, quin & ab omn gravamine extrajudiciali appellatur; idque Statut noſtris definitum *lib.* 3. *tit.* 2. *art.* 60. ſine diſcrimine

fin

perpetuum, an temporale gravamen.

Etiam in judicio poſſeſſorio, quod duplex facio ordinarium & ſummarium, appellari poteſt: in narium cum effectu ſuſpenſivo executionis, in ſumo cum devolutivo effectu cognitionis duntaxat, e mores habent ex jure Canonico *cap.* 10 & 15. *de reſtit. ſpol. C.* 1. *de ſequeſtr. fruct.* Sand. *lib.* 1. *tit.* 13. *fin.* In Friſia tamen ita fert uſus, ut in ſummao poſſeſſorio non recipiatur appellatio, ſed remittantur partes ad ordinarium poſſeſſorium.

6. Caſus ratione appellantis ſunt, ſi is ſuo juri antea renuntiavit; *l.* 1. §. 3. *à quib. app. non lic.* ſi condemnatus ſit ob contumaciam; *l.* 23. §. *fin. Appell. l.* 1. *C. quor. appell. l.* 13. §. 4. *C. de judic.* vel ob malè geſtum officium publicum, *l.* 3. *C. quor. appell.* vel ob æs alienum fiſco debitum; *l.* 4. *l. fin. C. eod.* ob delictum confeſſum. *l.* 2. *C. eod.* quodque ſtatim puniri, propter atrocitatem, publicè interſit. *l.* 16 *de appell. l.* 244 *de V. S.*

7. Extra hos caſus judex inferior appellationes recipere debet ſub pœnâ extraordinaria *l.* 19. *C. de Appellat.* quin & damnum litis ſuſtinet atque decem libris auri mulctatur *l.* 21. *C. de appell. Nov.* 126. *c.* 3. ſi non dederit *apoſtolos* intra dies triginta. Intra idem tempus & *acta cauſæ* parti alteri tradenda *d. Cap.* 3. *Nov.* 126. quibus Judex addere poteſt *Relationem*, & appellans refutatorias preces *l.* 6. §. *ult. C. de appell.*

TIT. VI.

De libell. dimiſſ.

APoſtoli, ſive epiſtolæ ſunt libelli, quibus judex, à quo appellatur, ſignificat ſuperiori ad quem appellatum eſt, quis in qua cauſa provocaverit *l. un. pr.* & §. 1. *b.*

2. Peti debet intra dies 30. idque ſæpius & inſtanter *l. un.* §. 2. *b.* 24. *C. d. Appell.* datâ ob caſus fatales reſtitutione *l.* 5. *C. d. Appell.*

3. Si tamen per judicem ſtet; quo minus dentur, nihil oberit appellanti *l.* 1. §. 7. *quand. appell.* dummodo intra 30. dies de ſua diligentia fuerit proteſtatus *d. l. un.* §. *fin.*

4. Judex autem niſi mulctari velit *d. l.* 24. *C. de appell.* apoſtolos dare debet. *l.* 6. §. *ult. C. eod.* Vide *poſt. tit. præced.* Statuta noſtra dant literas compulſorias. *lib.* 3. *tit.* 2. *art.* 61.

TIT. VII.

Nihil innovandum pendente appellat.

SUſpenſo effectu ſententiæ per appellationem, cuncta manent in ſtatu, niſi duorum reus criminum leviori appellaverit, tunc enim executio gravioris non differtur; contra, ſi à graviore ſit appellatum *l. un.* §. 3. *& ſeqq. h. t.*

2. Sententia Præf. Præt. à quâ ſupplicatum eſt, habet executionem, ut tamen victor caveat de reddendo, ſi retractetur, nempe, ſi intra decem dies facta ſit ſupplicatio; alioqui cautio non exigitur *N.* 119. *c.* 5.

3. Si pœniteat appellantem, deliſtere poteſt ante introduct. refuſis impenſis. *l.* 28. *C. de Appellat. cap. Interpoſita x. de Appell.*

4. Probatio incumbit hic eidem, cui in priori inſtantia, niſi vitium proceſſus arguatur, quod eſt *probandum*, per *l.* 5. *C. d. app.* ut tamen & novæ probationes fieri poſſint *l.* 6. §. 1. *& l.* 2. *l.* 7. *l. ult.* §. 1. *C. d. Appel.* Juſjurandum calumniæ hic ceſſat. *arg. l.* 8. *D. de Condit. Inſt.* Secus in foro paſſim.

5. Fere etiam mores volunt, cauſas minoris momenti quæque moram non ferunt; non obſtante appellatione, dandas executioni. Quæ ſint hujus generis *apud* Friſios *vid.* 3. *Stat. Friſ.* 2. §. 6. 7. Sand. 2. 13. 4.

TIT

TIT. VIII.

Quæ sent. sin. app. resc.

HUjusmodi sunt sententiæ ipso jure nullæ; quales quæ expresse legibus repugnant. *l.* 1. § 2. *b.* nam si implicitè & per consequentiam juri adversa sint, appellandum est, ut in *l.* 27. *d. rejud.*

2. Nec opus est appellatione à sententia contra eum judicatam lata *l.* 1. *C. quand. provoc. nec. non est.* nec 3. à judice incompetente lata, aut qui modum & tempus suæ potestatis excessit *l.* 5. & 6. *C. eod.* vel ex errore calculi *l.* 1. §. 1. *h.* vel 5. si quis condemnatus quam contumax ex edicto peremptorio, quo neque propositum est, nec in notitiam pervenit *l.* 1. §. *ven. hic.*

3. VI. Si judex causæ conventionis & reconventionis alteram litem decidit, altera pendente *d. l.* 1. §. *fin.* ubi tamen nota temperamentum.

4. VII. Si reus tempore, quo sententia dicitur, in rebus humanis esse desiit *l.* 2. *hic. l.* 59. §. *fin. de rejudic.* VIII. Si talis sit condemnatio, cui pareri per rerum naturam non potest, *l. fin. hic.* adde *Struv. h.*

5. Tales sententiæ & similes, *via tit. C. quand. prov. non nec.* nunquam transeunt in rem judicatam; & ad 30. annos impugnari possunt, proposita nullitatis querelâ apud eundem, vel superiorem judicem. Sera tamen nullitatis querela, temporibus appellandi elapsis, nisi videns sit, non solet impedire executionem, idque ob metum calumniarum Gail. 1. *obs.* 113. *n.* 2. 3. add. *struv. h.*

TIT. IX.

An per al. app. causæ redd. poss.

REgula est; quibus in causis procurator in prima instantia dari potest, iisdem & in secunda potest *l.* 1.

h. nempe, si pœna non sit ultra relegationem *d. l.* 1. respice igitur *ad tit. de Procurat. n.* 12.

TIT. X.

Si tut. vel cur. magistr. creat app.

CUi munus aliquod injunctum est, hic ab ipsa dictione statim appellare potest *l.* 1 *h.* quod mutuum in tutela, ut alias dictum *l.* 1. §. 1. *quand. app.*

TIT. XI.

Eum qui app. in prov. def.

TIT. XII.

Apud eum, à quo app. aliam caus. ag. comp.

QUi ex provincia Romanâ, vel ab inferiore ad superiorem appellavit, non potest ideo Judicem, à quo provocavit, recusare tanquam sibi offensum, quia publicum remedium nihil ad privatam injuriam pertinet.

TIT. XIII.

Si pend. app. mors inter.

MOrtuo appellatore sine herede, evanescit appellatio, sed heres eam prosequi tenetur, cum alterius aut fisci interest *l un. h.* Hæres & appellare in civilibus sine dubio tenetur. Executio competit judici, ad quem est appellatum, *arg. l.* 6. *C. d. App.*

TIT. XIV.

De Jure fisc.

ABsoluta sunt, quæ ad jus privatum pertinebant. De jure publico ex professo in Institutionibus & in Pandectis non agitur. Quædam nihilominus hisce capi-

capitibus, quæ sequuntur, delibata sunt, facto initio a Jure Fisci.

2. Significat autem fiscus pecuniam publicam; metonymicè, quia fiscos, id est, viminea vasa olim custodiendæ pecuniæ publicæ adhibebant. Discrimen ab ærario, quod Romani Principes verbo magis quam re introduxerunt, de quo diximus *lib.* 3. *Digress. cap.* 21. hodie nullum est, nisi quod fiscus maxime de emolumentis, quæ princeps habet extra tributa & vectigalia, & de his ærarium magis usurpatur.

3. Habet autem multa jura præcipua, id est, privilegia fiscus, veluti jus pignoris ex contractu *l.* 46. §. 3. haud perinde in pœnis *l.* 17. & 37. nec cum privato succedit *l.* 6. *h.*

4. Quibus adde, quod is, qui non acquirit, in fraudem fisci alienare censetur *l.* 45. quod alioqui fecus est *l.* 6. *pr. d. his quæ in fraud. cred.* excepto tamen patre, qui capitis reus filium emancipavit ut hæreditatem sibi delatam adeat sibique habeat *l.* 26 *h. t.* Speciale etiam est, quod is qui res fisci subtrahit, in quadruplum sæpe punitur *l.* 6. *in fin. ad L. Jul. pecul. l.* 46. §. *f. h. l.* 1. *in f. C. de lib. natur.*

5. Privatos ad editionem instrumentorum cogit, *l.* 2. §. 1. *hic.* Conductores rerum publicarum invitos detinet, si maximos fructus fecerint *l.* 11. §. *fin. de publ. & com.*

6. Debitores debitorum suorum exigit *l.* 3. §. *multa. hic.* Evictionem simplicem tantum præstat, licet duplam promiserit *l.* 5. *eod.* adde §. *ult. I. de Usucap.*

7. Dein, Fiscus ex variis causis acquirit, de quibus vid. *l.* 1. *h.* Species præcipuæ sunt. Cum bona damnatorum publicantur, de quo *superius*, quod tamen sublatum in *N.* 134. *c. ult.*

8. 11. Si fideicommissum incapaci in fraudem legis clam relictum, *d. l.* 1. *pr.* 3. Si hæres hæreditate sit indignus, *d. l.* 1. *pr.* 4. Si testamentum, vel codicilli surrepti, quibus aliquid Principi relictum *d. l.* 1. *pr.* 5. Si

quodvis aliud instrumentum ad fiscum pertinens, surreptum, *l.* 2. §. 1. *eod.* 6. Si thesaurus inventus in loco publico, principis, vel religioso *d. l.* 1. *l.* 3. §. 10. *eod.* aut magicis artibus. 7. Si fisci causam agens prævaricatus sit, & ideo victus sit fiscus, *d. l. pr.* 8. Si domus destructa negotiandi causa; *l.* 1. *pr. hic.* 9. Si res litigiosa scienter in scientem alienata sit *supr. de Litig.* 10. Si quis instituta publici judicii accusatione destitit *d. l.* 1. *pr.* aliisque modis.

9. Postremo, bona vacantia nuntiata fisco cedunt *l.* 96. §. 1. *d. Legat.* 1. *l.* 1. *l. pen. C. de bon. vacant.* De hiis diximus ad *Nov.* 118. *parte I. fin.* 3. *pr. n.* 50. commissa quoque ad Fiscum pertinent, de quibus *supra ad tit. de public. & vectig.*

10. Cæterum, nec omnibus denunciari potest, *l.* 1. §. *pen. l.* 13. §. *extat. l.* 16. *l.* 18. *hic.* neque ex omnibus causis *l.* 1. §. *an bona. l.* 11. *l.* 13. *l.* 12. §. *pen. l.* 45. *hic.* Sunt etiam pœnæ singulares in temere aut falso deferentes constitutæ *l.* 2. *l.* 15. *l.* 42. §. *fin. eod. l.* 4. *C. de delator. lib.* 10.

11. Nec coram omni judice *l.* 7. *l.* 45. §. 7. *hic. t. t. C. ubi cauf. fiscal.* nec omni tempore; causa fiscalis agitari potest *l.* 13. §. *antepen. hic.* Nam omnibus fiscalibus quæstionibus 20. annis præscribitur, *l.* 1. §. 3. *hic. l.* 13. *C. de diverf. temp. præsc.* excepta quæstione de vectigali non soluto, cui quinquennio, *l.* 2. *C. de vectigal.* & nunciatione bonorum vacantium, cui quadriennio præscribitur, *l.* 1. §. *Divus.* 2. *hic.*

12. Denique in fisci venditionibus Ædilitium edictum locum non habet, *l.* 1. §. *illud. de Ædilit. edict.*

13. Omnis venditio ab eo, quasi in diem facta recipit adjectiones *l.* 1. *C. de vend. reb. civ. l.* 4. *C. de fid. & jur. haft. fisc.*

14. Aliis creditoribus soluta aufert, ut sibi satisfiat. *l.* 18. §. *fin. cum ll. seqq. h. t.*

15. Usuras in bonæ fidei contractibus ex mora non præstat, *l.* 17. §. *fiscus. de Usur.*

16. Res

16. Res dominicæ, ut & Augustæ iisdem privilegiis donantur, quibus res fisci *l.* 6. §. 1. de quo tamen vid. *l.* 56. *d. leg.* 2. *cum. l. seq.*

TIT. XV.

De Capt. & Postl. rev.

QUi capti sunt in bello justo, non civili, habent jus postliminii, postquam ex captivitate reversi sunt *l.* 21. §. 1. Definitur hoc, jus quo quis in pristinum statum restituitur & res suas recuperat, perinde acsi captus non fuisset, jure Gentium inter liberos populos receptum *l.* 19. *pr.*

2. Restitutio fit in omnibus rebus, exceptis iis, quæ facti sunt *l.* 12. §. 2. item rebus mobilibus, nisi quæ in bellis habent usum, nam hæ quoque recuperantur *l.* 2 *b.* rursus exceptis armis, quæ sine flagitio non amittuntur, nec ideo digni postliminio habentur *d. l.* 2. §. 2.

3. Fruitur captivus hoc jure, & omnia jura pristina recuperat, statim atque fines nostros attigit, *l.* 12. §. 1. *eod.* fingiturque retro in civitate semper fuisse, *l.* 16. *eod. d. l.* 12. §. 1.

4. Quare & testamentum, ante captivitatem conditum, servatur. § *fin. Inst. quib. non est perm. fac. test. l.* 6. §. 12. *de injust. rupt. irr. test.*

5. Pretio ab hostibus redempti, siquidem antea fuerint liberi, & jus postliminii habent *l.* 20. *eod.*

6. Pignori tamen redemptori pro λύτρῳ, donec solvant, obligantur *l.* 17. *C. eod.*

7. Si solvere nequeant, per quinquennium ei operas præstare coguntur, *l. fin. C. eod.*

8. Pretium tacitè remissum videtur, contracto inter redemptorem & redemptam matrimonio, *l.* 15. *in pr. ff. l.* 2. *C. hic.* & si redemptus, in testamento redemptoris, sibi ipsi legetur. *l.* 43. §. *ult. de legat.* 1.

TIT.

TIT. XVI.

De re militari.

Milites sunt, qui sacramento rogati adactique, *l.* 11. *de testam. milit.* & in numeros relati sunt. *l.* 42. *eod.*

2. Eorum alii sunt tyrones, *l.* 3. §. *si plures. hic.* qui nondum in ordinem relati; *d. l.* 42. alii veterani, *inf. de priv. vet.* alii gregarii, alii centuriones; *l.* 13. § *irruens hic.* tribuni; *l.* 12. §. 2. *eod.* præpositi, *l.* 6. §. 1. *l.* 12. *eod.*

3. Militandi munus hactenus publicum est, quod & inviti ad illud cogi possunt *l.* 4. §. 10. 11. forum habent milites separatum, de quo in *tit. d. judic.* scil: in militaribus delictis. Nam eorum delicta, vel singularia sunt, vel cæteris communia, *l.* 2. *hic.*

4. Communia communibus rerum criminalium *judiciis* coërcentur. Singularia, quæ ad disciplinam militarem pertinent, *qualia vide in l.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. *eod.* extra ordinem puniuntur, aut castigatione corporali, aut mulctâ pecuniariâ, aut indictione munerum, aut gradus dejectione, aut missione ignominiosa, *l.* 3. §. 1. *hic.*

5. Severior autem disciplina sagi est, quam togæ, quia sine rigore insigni exercitus in officio contineri nequeunt. Sic desertor capite punitur; etsi aliquando levius *l.* 3. *pr.* §. 5. 10. 13. item *l.* 6. §. 3.

TIT. XVII.

De Castr. pecul.

Quid sibi velit hæc rubr. satis est notum ex *tit. I. Per quas person. cuiq. acquir.* unum hic speciale traditur in *l.* 2. quod olim successio ab intestato in castrensi peculio nulla fuerit.

TIT.

TIT. XVIII.
De Veteran.

VEterani sunt, qui legitima viginti annorum stipendia confecerunt. *l. ult. C. de his qui non impl. stipend. sacr. solu.* aut qui honestam vel causariam dimissionem impetraverunt *l.* 2. *hic.*

2. Privilegia veteranorum sunt, quod nec fustibus cœdi, nec bestiis objici, nec in metallum aut opus metalli, aliudve opus publicum dari possint. *l.* 1. & 3. Immunes quoque sunt à navium fabrica *l.* 5. *pr.* sed à patrimonialibus non excusantur *l.* 2. §. §.

LIB. L.

TIT. I.
Ad Municipal.

MUnicipes (*à muneribus capiendis*) sunt cives urbium Rom. imperio subditarum, sed suis legibus & magistratibus utentium, quæ municipia dicuntur *l.* 1. §. 1.

2. Fit autem municeps tribus ex causis, origine, manumissione, adoptione *l.* 1. *pr.* Orginem facit nativitas parentum, aut saltem, ubi municipes fuere parentes, vel uterque; vel saltem pater; nisi materna origo aliquid habeat privilegii *l.* 1. §. 2. *l.* 6. §. *ult.*

3. Incola est, qui aliunde ortus domicilium in illa civitate collocavit *l.* 239. §. 2. *d. V. S.* etiam qui in agro sedem posuit *d.* §. 2. secus, si prædium ibi duntaxat habeat, *l.* 35. *h.*

4. Cogitur autem incola ferre munera & pati forum tam in loco originis quam incolatus *l.* 29. *h.* sed incola-

tui

tui potest renuntiari, nisi jam ad munus sit vocatus *l.* 34. *ff. & l.* 1. *C. de Incol.* Denique, forum patiuntur & peregrini, etiam non incolæ *l.* 7. §. 10. *inf. d. Interd. & releg.*

5. Studiosus quoque si decennium uno loco habitet, incola fit, per *l.* 2 *C. d. Incol.* quod intelligendum, si Academia non habeat proprium forum.

6 Mulier sequitur domicilium & forum Viri *l.* ult. §. 3. *h. vid. sup. de Judic. n.* 48. *& seqq.*

7. Notabilis est locus in *l.* 38. *in pr.* ubi Imperator facit gratiam jurisjurandi, quo quis juraverat, se nunquam interfuturum collegio decurionum.

8. Moribus hodiernis hæc res aliter se habet & hoc jure utimur, ut civis dicatur, omnis homo liber, qui juris fruendi vitæque feliciter agendæ gratiâ, cum alio sub eadem summâ potestate sociatus est.

9. Ergo & incola, qui aliunde ortus sedem fortunarum in aliqua civitate collocavit & civis & municeps est, nec loco originis amplius est subjectus, si indeplane recessit.

10. Hoc saltem interesse videtur, municipem respectu certæ urbis, civem ratione totius Reipubl. dici; quanquam more loquendi sic obtinet, ut agricolæ cives non appellentur, quod tamen sunt æquè ac urbani, ratione totius Reipubl. Dixi plenius hac de re *lib.* 2. *de jur. Civit. cap.* 4.

TIT. II.

De Decur.

DEcuriones in municipiis sunt, quod Romæ Senatores, in quorum ordinem honestiores eligendi; quare & spurii postponuntur, competitoribus legitime natis *l.* 3. §. 2. *l.* 6. *pr.* ex decurionibus fiunt duumviri *l.* 7. §. 2. *h.*

2. Privilegia Decurionum sunt; quod non torquentur, *l.* 11. *l.* 16. *C. de Quæstion.* & ad inopiam redacti aluntur *l.* 8.

3. Ple-

3. Plebeji, hoc est, admodum viles non fiunt Decuriones; quales tamen non sunt, qui utenfilia negotiantur *l.* 12.

TIT. III.
De Albo.

IN albo, id est, catalogo Decurionum primo recensentur, qui maximis honoribus, præsertim judicio Principis sunt functi *l.* 2. reliqui secundum ordinem ætatis, juxta quem sententiæ etiam rogantur *l.* 1.

TIT. IV.
De Muner. & Honor.

MUnus est administratio reip. sine dignitate, Honor cum dignitate *l.* 14. *pr.* & §. 1. est autem munus vel patrimoniale, quod rebus imponitur & sumptus requirit; vel personale, quod animi provisione & corporalis laboris intentione perpetratur, vel mixtum, quod de utroque participat *l.* 18. *pr.* & §. 1. 7. & *seq.* ubi & exempla. Quæ hodie longè aliter in nostris civitatibus se habent.

TIT. V.
De Vacat. & excus. mun.
TIT. VI.
De jur. immunit.

A Personalibus muneribus excusat ætas, numerus liberorum, adversa valetudo *l.* 2. §. 1. & 7. sed à patrimonialibus non datur excusatio *l.* 10. & 11. nisi forte 16. liberi. *l.* 5. §. 2. *d. jur. immun.* quæ tamen expresse de patrimonialibus non loquitur: & intelligi potest, quod numerus 5. liberorum à præcipuis quidem, non etiam ab omnibus muneribus excuset, sed quod 16. liberi ab omnibus absolute excusent.

2. Ex-

2. Excusatio initio proponenda est, simul ac munus injungitur. *l. pen. §. ult. hic.* & quidem per appellationem, nominatione atque electione factâ & insinuatâ *l. 1. hic. l. 2. de decur. lib. 10. l. 4. C. de appell.*

3. Causæ excusationum recensentur, aliæ, quæ liberant à muneribus personalibus & ab honoribus; ut si quis minor sit 25. annis, *l. 2. pr. hic.* si appellationis causâ peregrinetur, *l. 8. §. fin. eod.* si sit negotiator frumentarius, *l. 9. §. 1. eod.* si defensionem Reipublicæ susceperit *l. 10. §. fin. eod.* si sit veteranus, *l. 7. eod. l. 2. de veteran.*

4. Aliæ, quæ à muneribus personalibus, non ab honoribus, ut si quis sit major 70. annorum *l. 2. §. 1 hic.* si quinque liberos habeat. *l. 8. eod.*

5. Immunes sunt, qui à Principe muneribus sunt exempti, quod est personale beneficium, nisi expressa heredum mentio sit facta *l. 1. §. 1.* Generi verò posterisque si datum fuerit, non pertinet ad descendentes sexus muliebris *l. 1. §. ult. h.*

6. Collegiis tributæ immunitates, perpetuæ sunt; *l. pen. §. pen. hic. l. 7. §. fin. quod cujusque univ.*

7. Verùm hæ non ad singulos pertinent; sed tantum ad artifices, qui operam publicis utilitatibus necessariam exhibent. *l. pen. §. pen. hic.*

TIT. VII.
De Legation.

LEgati sunt, qui cum mandatis lecti ad principem vel populum negotii publici causa mittuntur, Varr. *lib 4. d. L. L.* proprie qui habent summam potestatem soli legatos mittere possunt, sed hic municipales nuntii hoc nomine gaudent, habentque & dum absunt & biennio post excusationem *l. 7. & 8.* de sanctitate legatorum vid. *l. ult.*

2. Legati esse non possunt, debitores Reipublicæ, infames, qui jus postulandi non habent: *l. 4. hic.* nec plures quam tres; nisi aliud legationis dignitas exigat, *d. l. 4. in fin.*

3. Quam-

3. Quamdiu Romæ legatione funguntur, nulla propria actione conveniri possunt. *l.* 3. *l.* 8. *l.* 11. *hic.* nisi ex delicto inibi admisso *l.* 24. §. 1. *de judic.*

4. Si Romæ conveniantur, vel in comitatu Principis, etiamsi contraxerint ante legationem, vel extra provinciam suam, jus habent revocandi domum *l.* 2. §. 3. *l.* 8. *de jud.*

TIT. VIII.

De adm. rer. ad civ. pertin.

UT in aliis rebus universitates eodem jure, quo privati utuntur, ita & administratores tenentur, quemadmodum administratores privati. Hinc debitoribus per gratiam non possunt tribuere dilationem *l.* 3. §. 4. *ff. quod vi aut clam.* ex necessitate possunt *l.* 2. §. 3. præstant latam & levem culpam *l.* 6. *h.* ob dolum tenentur in duplum *l. ult.* §. 4. *h.* singuli etiam in solidum tenentur *l.* 3. *pr. l. ult.* §. 8. *h.* sed non ultra tempus administrationis suæ *l.* 3. §. 1. *in fin. h.*

TIT. IX.

De Decret. ab ord. fac.

DEcreta ordinis Decurionum ut valeant, oportet ex tribus eorum partibus adesse duas *l.* 3. *h.* item ne ambitiosa sint, hoc est gratiæ captandæ causa *l.* 4. *h.* Ita facta non rescinduntur, nisi publica utilitate flagitante, vel per appellationem ad Præsidem *l.* 1. § 3. *ff. quand. app.*

TIT. X.

De Oper. publ.

REspubl. operibus suis præficit curatores, vulgo hodie *commissarios*, qui locant ea redemptoribus, quibuscum ipsis est negotium *l.* 2. §. 1. *h.* qui etiam per sub-

ſtitutos opus facere poſſunt, quatenus nihil intereſt re pub. *l.* 48. *locat. junct. l.* 31. *d. Solut.*

2. Tenentur de levi culpâ *l.* 9. §. 5. *Loc.* ſed & de periculo, ſi obtulerint ſe *l.* 25. §. 7. *eod. l.* 1. §. 35. *depoſ.* Ex pluribus tamen ſinguli tantum pro partibus *l.* 11. §. 1. *d. duob. reis.*

3. Quæſtioni de vitio operis, & culpa redemptus 15. annis præſcribitur *l.* 8. *C. h. t.*

4. Si merces non ſolvatur, quæritur, an exhibitorem operis facti negare poſſit, & jure retentionis ut de privatis certum eſt; Sed ratio differentiæ eſt, quia privati foro cedere poſſunt, reſpub. non potest. 2. *pr. ad l. Rhod. l.* 18. §. *ult. comm. div.*

TIT. XI.

De Nund.

JUs nundinarum, hoc eſt, habendi mercatum cum univerſali confluxu, à ſolo Principe conceditur, & nonutendo per decennium quoque amittitur *l.* 1. *h.* 2. Privilegium nundinarum eſt, quod repreſſaliis & detentionibus ob debita privata locus in illis non ſit, niſi partes hoc expreſſerint. *l. un. C. h. t.*

TIT. VII.

De Pollicitat.

POllicitatio eſt promiſſio facta reipub. ſine acceptione *l.* 3. *pr. h.* adeoque differt à pacto. Primo, quod hoc inter privatos fiat; ſecundo, quod hoc niſi acceptatum non valeat *l.* 1. §. 2. *de Pact.* tertio, quod pactum inter abſentes & per epiſtolam rectè fiat, ſecus at pollicitatio *l.* 5. *h.* Denique, pactum ſtatim parit exceptionem, pollicitatio non obligat validè, niſi certæ cauſæ reſpectu fiat, veluti ob honorem *l.* 1. §. 1. tamen ſi jam opus inchoaverit, tenetur ad perficiendum *l.* 1. §. 2. & 3. *h.*

2. Vo-

2. Votum est promissio facta Deo, de re licita & intentione animi pia, quo filiisfam. non obligantur *l.* 2. §. 1. *h.*

3. Effectus est, ut is qui vovit, extra ordinem compellatur implere votum; persona scilicet, non res voto obligatur *l.* 2. *in pr. h. t. d. l.* 2. *pr.*

TIT. XIII.

De extraord. cogn. & si jud. lit.

COgnitiones extraordinariæ habentur de rebus, de quibus Prætor non dat judicem, sed ipsemet cognoscit, ut de honoribus, de famosis & criminalibus causis *l.* 1. *pr. & seqq. l.* 5. *pr. h.* Philosophi non possunt petere salarium *l.* 1. §. 4. *junct. l.* 8. §. 4. *d. Vacat.* ratio utrobique redditur, quod pecuniam curare non debeant.

2. Juris professores ob dignitatem artis petere etiam judicio non possunt, accipere possunt honeste *l.* 1. §. 5. *pr.* Advocati non possunt petere plus pro singulis causis quam 100. aureos *l.* 1. §. 10. & 12. *infin.* Hæc moribus hodiernis aliter ut plurimum.

TIT. XIV.

De Proxenet.

PRoxenetica sunt remunerationes eorum, qui contrahentibus operam in negotiis conciliandis præstant, pro modo negotii *l.* 3. *h.* De negligentia sua non tenentur proxenetæ, sed de dolo tantum *l.* 2. *h. t.*

TIT. XV.

De Censib.

CEnsus est publica civium bonorumque descriptio, estque tam rerum quam personarum, juxta quam præstationes tributariæ exiguntur *l.* 3. *p. l.* 4. *pr.* & §§. *seqq. h. t.*

2. Immunitas concessa personis neque tertio, neque socio neque heredi prodest, nisi mentione ejus expressè factâ; *l.* 3. §. 1. *h.*

3. Quin etsi fundus ea lege sit venditus, ut *venditor* censum præstet, fiscus tamen convenit emptorem *l.* 2. *C. Sin. cens. vel reliqu.* imo & emptor de reliquis, hoc est, tributis non solutis, quæ ante venditionem cesserant, adhuc tenetur *d. l.* 2. quod non modo respectu fisci intelligendum, sed ne actio quidem ex empto de ejusmodi pacto danda videtur *l.* 1. & *ult. eod.*

4. Idem est, si convenerit, ut census de fundo in fundum transferatur *arg. dd. ll.* Cæterum, immunitas rebus data perpetua est *l.* 3. §. 1. *h. t.*

5. Qui censum non bene professus est, crimine fraudati census tenetur *l.* 53. *d. jud.* Plures etiam possessores singuli in solidum tenentur, sed unus quum solidum solvit, petere potest, ut actiones sibi cedantur *l.* 5. *pr. h.*

TIT. XVI.

De Verborum significatione.

DE his duobus titulis excerpsimus notabiliores tertus, quos legite, sultis, & nucleum titulorum illis inesse credite.

2. Verbum hoc, *si quis*, tam masculos quam fœminas complectitur. *l.* 1.

3. Urbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur. *l.* 2. *pr.*

4. Nominis appellatione rem significari, Proculus ait *l.* 4.

5. Verbum *Ex legibus*, sic accipiendum est; tam ex legum sententia, quam ex verbis. *l.* 6. §. 1.

6. Mulieris appellatione etiam virgo viripotens continetur. *l.* 13. *pr.*

7. Verba *Contraxerunt*; *gesserunt*, non pertinent ad testandi jus. *l.* 20.

8. Bona

8. Bona intelliguntur cujusque, quæ deducto ære alieno supersunt. *l.* 39. §. 1.

9. Neratius Priscus tres facere existimat collegium. *l.* 85.

10. Quid aliud sunt jura prædiorum, quam prædia qualiter se habentia, ut bonitas, salubritas, amplitudo? *l.* 86.

11. Tantum quisque pecuniæ relinquit, quantum ex bonis ejus reflci potest *l.* 88.

12. Hoc sermone, *Dum nupta erit*, primæ nuptiæ significantur. *l.* 89. §. 1.

13. Littus est, quousque maximus fluctus à mari pervenit, idque Marcum Tullium ajunt, cum arbiter esset, primum constituisse. *l.* 96. *pr.*

14. Speciosas personas accipere debemus, clarissimas personas utriusque sexus. *l.* 100.

15. Verum est, morbum esse temporalem corporis imbecillitatem, vitium vero perpetuum corporis impedimentum. *l.* 101. §. 2.

16. Derogatur legi, aut abrogatur: derogatur legi, cum pars detrahitur; abrogatur legi, cum prorsus tollitur. *l.* 102.

17. Debitor intelligitur is, à quo invito exigi pecunia potest *l.* 108.

18. Hereditatis appellatione bonorum quoque possessio continetur. *l.* 138.

19. Hominis appellatione tam fœminam, quam masculum contineri, non dubitatur. *l.* 152.

20. Etiam aureos nummos æs dicimus *l.* 159.

21. Non est pupillus, qui in utero est. *l.* 161.

22. Natura cavillationis, quam Græci σωρίτην appellaverunt, hæc est, ut ab evidenter veris per brevissimas mutationes, disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducatur. *l.* 177.

23. Mulier familiæ suæ & caput & finis est *l.* 193. §. 5.

24. Familiæ appellatione & ipse princeps familiæ continetur. *l.* 196. *pr.*

25. Æs alienum est, quod nos aliis **debemus.** A suum est, quod alii nobis debent. *l.* 213. §. 1.

26. Verbum *Facere* omnem omnino faciendi causa complectitur, dandi, solvendi, **numerandi,** judicandi, ambulandi. *l.* 218.

27. Amicos appellare debemus, non levi notitia conjunctos: sed quibus fuerint jura cum patre familias, honestis familiaritatis quæsita rationibus. *l.* 223 §. 1.

28. Magna negligentia, culpa est, **magna** culpa dolus est. *l.* 226.

29. Urbs ab urbo appellata est, urbare est aratro definire. *l.* 239. §. 6.

30. Oppidum ab ope dicitur, quod ejus rei causa mœnia sint constituta. *l. ibid.* §. 7.

31. Viduam non solum eam, quæ aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem, quæ virum non habuisset, appellari ait Labeo: quia vidua sic *dicta est*, quasi vecors, vesanus, qui sine corde, aut *sanitate* esset. Similiter viduam dictam esse, sine duitate. *l.* 242. §. 3.

TIT. XVII.

De Regulis Juris.

REgula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. non, ut ex regula jus sumatur, sed ex jure, quod est regula fiat. *l.* 1.

2. Feminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sunt *l.* 2.

3. Ejus est non nolle, qui potest velle *l.* 3.

4. Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur *l.* 9.

5. Secundum naturam est, commoda cujusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda *l.* 10.

6. Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest *l.* 11.

7. Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere *l.* 21.

8. Plus

8. Plus cautionis in re est, quam in persona *l.* 25.

9. Quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere *l.* 29.

10. Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est; *l.* 35.

11. Culpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti *l.* 36.

12. Culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest, *l.* 50.

13. Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est *l.* 53.

14. Nemo plus juris ad alium transferre potest, quam ipse habet *l.* 54.

15. Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur. *l.* 55.

16. Semper in dubiis benigniora præferenda sunt *l.* 56.

17. Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur. *l.* 57.

18. Heredem ejusdem potestatis jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat. *l.* 58.

19. Invito beneficium non datur. *l.* 69.

20. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. *l.* 74.

21. Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam. *l.* 75.

22. In toto jure, generi per speciem derogatur *l.* 80.

23. Quæ dubitationis tollendæ causa contractibus inseruntur, jus commune non lædunt *l.* 81.

24. In omnibus quidem, maxime tamen in jure, æquitas spectanda sit *l.* 90.

25. Non solent, quæ abundant, vitiare scripturas. *l.* 94.

26. Omnia quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt *l.* 95.

27. Libertas inæstimabilis res est. *l.* 106.

28. In eo, quod plus sit, semper inest & minus. *l.* 101.

29. Pupillum qui proximus pubertati sit, capax esse & furandi, & injuriæ faciendæ *l.* 111.

30 Nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur *l.* 112.

31. Nihil consensui tam contrarium est, quam vis atque metus. *l.* 116.

32. Non capitur, qui jus publicum sequitur *ibid.*

33. Prætor bonorum possessorem heredis loco in omni causa habet. *l.* 118.

34. Nemo plus commodi heredi suo relinquit quam ipse habuit. *l.* 120.

35. Furiosus absentis loco est. *l.* 124. §. 1.

36. Favorabiliores rei potius, quam actores, habentur *l.* 125.

37. In pari causa possessor potior haberi debet, *l.* 128.

38. Imperitia culpæ adnumeratur, *l.* 132.

39. Nunquam crescit ex postfacto præteriti delicti æstimatio, *l.* 137. §. 1.

40. Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias. *l.* 141.

41. Non omne, quod licet honestum est *l.* 144.

42. Nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt, *l.* 145.

43. Semper specialia generalibus insunt, *l.* 147.

44. Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet. *l.* 151.

45. Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere jus non habet, *l.* 151.

46. In maleficio, ratihabitio mandato comparatur. *l.* 151. §. 3.

47. Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multo magis quis dixerit, *l.* 156. §. 1.

48. Refertur ad universos, quod publice fit per majorem partem, *l.* 160. §. 1.

49. Quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. *l.* 162.

50. Rapienda occasio est, quæ præbet benignius responsum. *l.* 168.

51. Is

51. Is damnum dat qui jubet dare: ejus vero nulla culpa est, cui parere necesse sit, *l.* 169.

52. Factum à judice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est, *l.* 170.

53. Unicuique sua mora nocet, *l.* 173. §. 2.

54. Dolo facit, qui petit, quod redditurus est, *ibid.* §. 3.

55. Non debeo melioris conditionis esse quam auctor meus, à quo jus in me transiit *l.* 175. §. 1.

56 Non est singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri: ne occasio sit majoris tumultus faciendi, *l.* 176.

57. Infinita æstimatio est libertatis & necessitudinis, *l.* 176. §. 1

58. Etsi nihil facile mutandum est ex solennibus: tamen, ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est, *l.* 183.

59 Vani timoris justa excusatio non est *l.* 184.

60. Impossibilium nulla obligatio est *l.* 185.

61. Nihil peti potest ante id tempus, quo per rerum naturam persolvi possit, *l.* 186.

62. Quæ rerum naturâ prohibentur, nulla lege confirmata sunt *l.* 188. §. 1.

63. In re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius, *l* 192. §. 1.

64. Expressa nocent, non expressa non nocent, *l.* 195

65. Omnis definitio in jure civili periculosa est: parum est enim, ut non subverti possit, *l.* 202.

66. Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire, *l.* 203.

67. Juris naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiorem, *l.* 206.

68. *Ex his regulis quædam positionum Juris, quædam axiomatum usum præbent*, quorum differentiam indicavimus *ad Proœm. Inst. in pr.* Denique positiones sunt omnes reliquæ præceptiones horum librorum. Plura si vis axiomata ex aliis juris partibus, hæc habeto.

AXIOMATUM JURIS SPECIMEN.

Ex INSTITUTIONIBUS.

Æpe de facultatibus ſuis amplius quam in his eſt, ſperant homines §. 3. *Ex quib. caus. manum.*

2. Expedit Reipubl. ne quis re ſuâ male utatur §. *ult. de his. qui ſui vel al. jur.*

3. Qui pro Republ. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur *fin. pr. d. Excuſat. Tut.*

4. Conſequentia nomina rebus eſſe ſtudendum eſt §. 3. *d. donation.*

5. Peſſimum exemplo eſt, humanioribus damnum inferri, ſævioribus lucrum accedere §. *ult. d. tit.*

6. Innumerabiles cauſæ humanis neceſſitatibus imminent §. *pen. d. Teſtam. ordin.* Commodius eſt ſingulas cauſas ſingulis appellationibus diſtinguere §. 5. *Quib. mod. teſtam. infirm.*

7. Veritas magis oculata fide quam per aures hominum infigitur § *ult. d. grad. cogn.*

E PANDECTIS.

QUæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, ea nec facere nos poſſe credendum eſt, *l.* 15. *d. condit. inſtit.*

2. Scire Leges non eſt verba earum tenere, ſed vim & poteſtatem *l.* 17. *d. Legib.*

3. Minime ſunt mutanda, quæ interpretationem certam ſemper habuerunt *l.* 23. *eod.*

4. Nulli hominum jus ſuum detrahendum eſt *l.* 8. *d. his. qui ſui vel al. jur. ſunt.*

5. Ve-

5. Vetus proverbium est, ὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, ὅτε παρὰ πάντων *l.* 6. §. 2. *d. off. Proconſ.*

6. Non tam ſpectandum eſt, quid Romæ factum ſit, quam quid fieri debeat *l.* 12. *d. off. Præſ.*

7. Veritas, rerum erroribus geſtarum non vitiatur *l.* 6 §. 1. *eod.*

8. Animi motum vultus detegit *l.* 19. *eod.*

9. Non conſentiunt, qui errant *l.* 15. *d. Juriſd.*

10. Quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, ipſe eodem jure utatur *l.* 1. *Quod quiſque jur.*

11. Verba cum effectu ſunt accipienda *l.* 5. *Ne quis eum qui in jus voc.*

12. Quid tam congruum fidei humanæ, quam ea quæ inter eos placuerunt ſervare? *l.* 1. *in pr ff. de pactis.*

13. Difficile eſt, ut unus homo duorum vicem ſuſtineat. *l.* 9. *ff. de pactis.*

14. Turpia lucra heredibus extorqueantur, *l.* 5. *ff. de calumniatrib.*

15. Non debet quis lucrari ex alieno damno *l.* 28. *ff. de dolo malo.*

16. Ferendus eſt, qui pudorem ſuum purgat *l.* 25. *de procurat.*

17. Non oportet laudando augeri malitiam *l.* 1. §. 4. *d. Serv. corr.*

18. Non oportet jus civile calumniari, neque verba captari, ſed qua mente quid dicatur, animadvertere convenit. *l.* 19. *ad exhib.*

19. Summa eſt ratio, quæ pro religione facit. *l.* 42. *in fin de religioſis.*

20. Grave eſt fidem fallere. *l.* 1. *in pr. de conſtit. pecun.*

21. Bonæ fidei non congruit de apicibus juris diſputare. *l.* 29. §. 4. *ff. mandati.*

22. Intereſt hominis, hominem beneficio affici *l.* 7. *de ſervis exportand.*

23. Nemo ex conſilio ſuo obligatur *l.* 2. *Mandati*

24. In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non

non minus justius est, quam tutius *l. 2. de his quæ testam. delent.*

25. Iniquum est, damnosum cuiquam esse officium suum. *l. 7. ff. testamenta quemadm. aper.*

26. Rerum vocabula immutabilia sunt, hominum mutabilia. *l. 2. ff. de legat. 1.*

27. Exempla pessimum est, fœminino vocabulo etiam masculos contineri. *l. 45. in pr. ff. de leg. 2.*

28. Ignaviam prætendentes, audiri non oportet. *l. 78. §. 2. ff. de Leg. 2.*

29. Omne artificium, incrementum recipit. *l. 6. §. 3. ff. de leg. 3.*

30. Malitiis indulgendum non est *l. 58. d. R. V.*

31. Jus civile vigilantibus scriptum est *l. 24. in fin. de his quæ in fraud. cred.*

32. Peccata nocentium nota esse oportet & expedit *l. 18. in pr. d. Injur.*

33. Satius est, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari *l. 5. in pr. d. Pœn.*

34. Suadendo juvisse, sceleris instar est *l. 16. in pr. d. pœn.*

35. Cogitationis pœnam nemo patitur *l. 18. d. Pœn.*

36. Unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur *l. 26. d. pœn.*

37. Quædam etsi honestè accipiantur, inhoneste tamen petuntur *l. 1. §. 5. d. Extraord. Cognit.*

38. Prodesse sibi unusquisque, dum alii non nocet, non prohibetur *l. 1. §. 4. & 11. d. aqua pluv. arc.*

39. In obscuro favorabilius *respondetur. l. 10. in f. d. manum. vind.*

40. *Discendi cupiditas sola vivendi ratio optima l. 20. d. Fideic. libert.*

41. Quod non est mutatum, cur stare prohibetur; *l. 27. C. de Testam.*

42. Cujusque rei potissima pars, principium est *l. 1. d. O. J.*

43 Ex conversatione æquali contemptio dignitatis nascitur *l. 19. d. Off. Præf.*

44. Ad-

44. Adjuvari nos, non decipi beneficio oportet *l.* 17. §. 3. *Commod.*

45. Natura rerum conditum est, ut plura sint negotia, quam vocabula *l.* 4. *d. præscr. verb.*

E CODICE.

REbus, non verbis lex ponenda est *l.* 28. *C. de Usur.*

2. Deum imitatur, qui ignoscit *l.* 23. *C. de Nupt.*

3. Nimis est indignum, flagitii præsidia quærere *l.* 7. *fin. C. de Natur. lib.*

4. Naturalis ordo per omnia servandus est *l.* 5. *C. de Legit. Tut.*

5. Non est ferendus, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit *l. un.* §. 4. *D. de Caduc. toll.*

6. Ludibrio leges esse non oportet *l. ult.* §. 5. & 6. *de bon. quæ lib.*

7. Mos retinendus est fideliſſimæ vetustatis *l.* 18. *C. de Testam.*

8. Nihil dubium aptum est ad tollendam ambiguitatem *l.* 12. §. 2. *C. de. Ædif. priv.*

9. Pene similis omnium hominum natura est *l.* 13. *C. de contrab. stipul.*

10. Quid verbis opus est, quæ rerum effectus nullus sequitur? *l. ult. C. de donat.*

11. Culpa similis est tam prohibita discere, quam docere *l.* 8. *C. de malef.*

12. Vanæ voces populi non sunt audiendæ *l.* 12. *C. de pœn.*

13. Facies hominis ad similitudinem pulchritudinis cœlestis est figurata *l.* 17. *C. de Pœn.*

14. Naturale vitium est, negligi quod communiter possidetur *l.* 2. *C. Quand. & quib. quart. deb.*

15. Magistros studiorum doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundiâ. *l.* 7. *C. de Professor.*

16. Pu-

16. Publicæ utilitatis interest, non amicitiâ creari nes fieri, sed æstimatione vera & commoda Reipu *l. un. C. Si propt. unim. creat. fact. sit.*

17. Leges sunt inexorabiles *l. ult. C. de Tabular. sub.*

18. Utilitas publica præferenda est privatorum contractibus *l.* 3 *C. de Princip.*

19. Principis salus, populi salus *l.* 1. *C. de Veter.*

Ex NOVELLIS.

LEges neminem in paupertate vivere, neque in anxietate mori permittunt. *N.* 1 *in fin.*

2. Nihil immensum bonum est. *Nov.* 3. *in princ.*

3. Ecclesia, Imperii mater. *d. Nov.* 3. *in princ.*

4. Humana natura quodammodo labitur ad delicta. *Nov.* 5. *c.* 2. *sub finem.*

5. Seniorum conversatio, juventutis educatio perfecta *d. Nov.* 5. *c.* 3. *in fine.*

6. Uno principio illicito dato, plura sequuntur. *Nov.* 28. *in pr.* §. 1.

7. Pater, licet legum contemptor & impius sit, tamen pater est *Nov.* 12. *c.* 1.

8. Quantò quilibet præest melioribus, tanto major ipse & honestior est *Nov.* 15. *in f. princ.*

9. Quia non cum lege agimus, erubescimus. *Nov.* 18. *c.* 5. *in f. princ.*

10. Non erubescimus, si quid melius, quam ipsi prius diximus, adinveniamus, hoc sancire *Nov.* 22. *in. f. princ.*

11. Disponat unusquisque super suis, & sit lex, ejus voluntas. *Nov.* 22. *c.* 2. *in princ.*

12. Multæ hominibus ad malitiam viæ sunt *Nov* 22. *c.* 15.

13. Erubescit lex castigatores filios genitoribus statuere. *Nov.* 22. *c.* 24.

14. Leges etiam in ipsa arma imperium habere volumus. *Nov.* 25. *c.* 5. *in f.*

15. Nihil in pravo magnum existere, rectè à nostris dictum est majoribus, *Nov.* 29. *c. pen. sub. fin.*

16. Con

16. Concordiâ nihil unquam inter homines præclarius extitit, & præstantius. *Nov.* 30. *c.* 1. *in princ.*

17. Non est inhumanitas, sed potius summa humanitas, cum multi paucorum animadversione salvantur. *Nov.* 30. *c.* 11.

18. Quod in multitudinem dividitur, onus insensibile propemodum facit iis, qui hoc sustinent. *Nov.* 38. *in princ.*

19. Congruens magis est, amplificare rem in paucis corporibus angustatam, quàm multitudinem multitudini adjicere. *Nov.* 38. *c.* 6.

20. Tempus ferre omnia consuevit. *Nov.* 39. *in princ.*

21. Nuptiis nihil utilius, tanquam solis facere homines valentibus. *Nov.* 39. *in f. princ.*

22. Ea, quæ communiter omnibus prosunt, iis quæ specialiter quibusdam utilia sunt, præponimus. *Nov.* 39. *c.* 1. *in pr.*

23. Nihil inter homines sic est indubitatum, ut non possit tamen suscipere quandam sollicitam dubitationem *Nov.* 44. *c.* 1. §. 3.

24. Melius est pauca agere cautè, quam multis interesse periculosè. *d. Nov.* 44. *c* 1. §. 3. *in fine.*

25. Veracium solummodo amator est Princeps. *Nov.* 58. *in præfat.*

26. Multis undique natura novitatibus utitur. *Nov.* 84. *in princ.*

27. Multæ sunt homini & anxietates innumeræ & repentinæ mortes. *Nov.* 84. *c.* 1. *in f. prin.*

28. Oportet semper aliquod inchoare bonum, non aliorum destruere. *Nov.* 89. *c.* 7.

29. Non erit decens, ut quæ bene exclusa sunt, in Rempubl. rursus introducantur. *Nov.* 89. *c.* 11. §. 2.

30. Multa quilibet cogitans inveniet. *Nov.* 94. *c.* 1.

31. Quod factum est infectum manere impossibile est. *Nov.* 97. *c.* 1.

32. Imperatori & ipsas Deus leges subjecit, legem animatam eum mittens hominibus. *Nov.* 105. *c.* 2. *in fine.*

33. Quod

33. Quod in legum positum est potestate, non egebit aliqua extrinsecus dispositione. *Nov.* 113. *c.* 1.

34. Si pro causis corporalibus cogitamus, quanto magis pro animarum salute providentia est nostræ solicitudinis adhibenda? *Nov.* 115. *c.* 3. *sub. fin.*

35. Considerare debent parentes, quod & ipsi fuerint, *Nov.* 115. *c.* 5. *in princ.*

36. Quis enim ibi delinquit, ubi salutem petat? *Nov.* 117. *c.* 15. *f.*

37. In delicto æquali, similes eis imponere pœnas justum esse putamus. *Nov.* 127. *c. ult.*

38. Nullum ita magnum subjectorum delictum est, quod non clementia Principis medeatur. *Nov.* 129.

39. Neque enim viros mulierum studia decent, neque rursus virilia mulierum collegiis conveniunt *Nov.* 133. *c.* 3.

40. Nullus potest naturam sic retinere, ut peccet nihil, hoc enim proprium est solum Dei. *Nov.* 133. *c.* 5.

41. Mens vacans nihil bonorum parit. *Nov.* 133. *c. ult.*

42. Malè adinventa, malæque consuetudines neque ex longo tempore, neque ex longa consuetudine confirmantur *Nov.* 134. *c.* 1.

43. Oportet nos humani generis infirmitatem protegere. *Nov.* 134. *c.* 13.

44. Unicuique integrum est his, quæ ipsi à lege data & concessa sunt, renuntiare. *N.* 136. *c.* 1.

45. Eos qui violento affectu odioque semel correpti fuerint, perquàm est difficile sanare. *Nov.* 140. *in f. præfat.*

46. Nullus misericordiam petens sine actu à facie Principis recedere debet. *Nov.* 147. *in præfat.*

FINIS.

Smith

EY LHW QEu6
Ulrici Huberi ... Positiones j
Stanford Law Library
3 6105 043 742 720